4° Int - Isag 25 Gravina



Digitized by Google

JANI VINCENTII GRAVINAE,
JC. & Anteceſſoris Romani,

ORIGINES JVRIS CIVILIS,

quibus
Ortus & progreſſus Juris Civilis, Jus Naturale, Gentium & XII. Tabb. Legesque ac SCta explicantur;

J. G. Scharf. B. l

AD
CLEMENTEM XI.
PONT. MAX.



LIPSIAE,
Apud JO. FRIDERICVM GLEDITSCH,
M DCC VIII.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

Gravissimo JCto

J. VINCENTIO GRAVINAE,

S. P. D.

J. BVRCHARDVS MENCKENIVS, J. D.
Cons. & Historiogr. Regius.

VT primum limatissimas lucubrationes Tuas vel leviter inspexi, ita Te amare virtutesque & doctrinam Tuam suspicere coepi, ut omnino peroptarem, ne, aut Tu, quae consignata haberes alia, Eruditis invideres, aut Germani nostri, ad quos libri trans Alpes excusi rarius & immensa pretio perferuntur, voluptate ea,

Digitized by Google

quae ex ſcriptis Tuis capitur, exciderent & fruſtrarentur. Nam & ex Opuſculis Tuis, jam tum anno MDCXCVI Romae editis, Te primum velut ex ungue leonem cognovi, in quibus quid ingenioſius Specimine priſci Juris? quid elegantius Dialogo de lingua Latina? quid reliquis, quae de converſione doctrinarum, de contemtu item mortis & de luctu minuendo, ut & pro legibus Arcadum diſſeruiſti, gravius atque copioſius? Nec ſine multa animi oblectatione legi poſſunt, quae patrio ſermone de Fabulis Veterum eodem anno commentatus es. Sed Te ipſum ſuperaſſe videbare, Vir Conſultiſſime, cum primum Originum Juris Civilis, quarum ſpem in Specimine illo feceras, Librum Neapoli quinquennio poſt in lucem ederes, quem quanto plauſu eruditi exceperint, vel Eruditorum Acta, *quae Lipſiae publicantur, teſtari abunde poſſunt. Cumque nonnulli dilectiſſimo Socero meo* GLEDITSCHIO *perſuaſiſſent, ut librum lectu digniſſimum, in gratiam potiſſimum Germanorum, noſtratibus typis recuderet, certatim fere Juriſconſulti noſtri avideque eum exceperunt, exceptum com-*

Digitized by Google

commendarunt, commendatum privatis publicisque scholis proposuerunt atque explicarunt. Tantum vero abest, ut Tu, quemadmodum solent fere cives Tui Germana, editionem nostram nauseaveris, ut reliquos etiam libros petenti Bibliopolae concedendos utique duxeris, eosque nitide descriptos abhinc fere biennio ad nos transmiseris; quibus in rebus conciliandis non ignoras, quantum debeamus Viro Excellentissimo, HENRICO de HVTSSEN, nuper admodum ardua summi Moscorum Imperantis in Aula Caesarea negotia tractanti, qui & Te mihi paravit amicum, & scripta tua ad me quam diligentissime curavit. Memini, quae tum promissa Tibi dederim; nimirum me assidue curaturum, ut opus integrum tribus Libris distinctum post paucos menses typis nostris quam emendatissime prodiret. Enimvero probibuere Sueci, qui optimos multorum conatus, facta in Saxoniam irruptione, si non perverterunt, morati sunt certe, quo minus ante hunc diem excudi liber potuerit, nec ipse, etsi maxime optabam, curam impressionis potui in me suscipere, cum secundae Academiae munus

Digitized by Google

hoc integro semestri hiberno mihi incumberet, publicisque negotiis meas curas unice deposceret; quare etsi nec typorum nitorem, nec chartae puritatem desiderari posse existimaverim, valde tamen vereor, ne sphalmata nonnulla, quamvis praecipuam curam adhibuerit Typographus, irrepsisse deprehendantur. Par autem fuerat, ut liber tam doctus, tam nitidus, tanto denique studio, tot laboribus consummatus, vestitu atque ornatu exquisitissimo instructus prodiret in lucem, ne solus Typographus minus pretium statuisse huic operi videatur, quod ita optimorum in Republica Litteraria Virorum commendatione munitum est, ut inter praecipua hujus saeculi cimelia jure meritoque censeatur reponendum. Quanta ubique gravitas? quanta venustas? quam luculenta, quam distincta, quam pulcra omnia & plane ad priscam eloquentiam accommodata? Nihil est ex omni antiquitate tam reconditum, nihil in legibus ipsis tam intortum ac perplexum, nihil denique injuria temporum corruptum vel amissum, quod non felicissime evolvas, emendes, restituas. Ingeniose imprimis Florentini Codicis auctorita-

ta-

Digitized by Google

tatem ex ipsa antiquitate, quae alios fugit, vindicas & tueris? Nosti, quantum Juris Interpretibus tribuendum. Quare a Cujacio Tuo non facile discedis, qui in omni jure regnat & tantum non triumphat. Vbi vero a Duareno, Jacobo Gothofredo aliisque discedis, adeo aperta omnia sunt & obvia, ut prorsus persuasum habeam, eos ipsos, in quos insurgis, si adhuc vita superessent, in sententiam Tuam manibus pedibusque ituros. Leges vero XII Tabularum, quae principium Juris Romani constituunt, ita in illustri ponis & plane absolvis, ut post Pauli Manutii, Francisci Balduini, Conradi Rittershusii, Tuosque, Vir doctissime, Commentarios, vix superfit, quod accedere eis possit ulterius. Quin & vetustas Leges & Senatus Consulta Libro III nova plane ratione explicas, & quemadmodum ad usum fori pleniorem possint transferri, magna facundia ostendis. Quid enim nitorem in dicendo Tuum & vim, quid nervos & copiam memorem? quae auget omnia comitas summa, nulla cum ostentatione conjuncta, ut cum omnia teneas, exi-

sti-

Digitized by Google

ſtimari velis ignorare quam plurima. Et in eo mihi major ſemper viſus es plerisque hujus temporis Jurisconſultis, qui Romanas leges absque Romana eloquentia vel intelligi vel explicari poſſe opinantur, atque in omni lege tollunt, addunt, mutant, prout vel per ſomnium acceperint. At Tu, quae prelo parata habes, porro prome, Vir optime, Inſtitutiones praeſertim Juris & Orationes, jam pridem promiſſas Eruditis, quorum plauſu & favore ut diutiſſime fruaris, etiam atque etiam precor. Vale. Dab. Lipſiae, pridie Idus Maji, M DCC VIII.

DE OR-

Digitized by Google

VINCENTII GRAVINAE

ORIGINVM JVRIS CIVILIS

LIB. I.

QVI EST

DE ORTV ET PROGRESSV JVRIS,

AD

CLEMENTEM XI.

PONT. MAX.

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIME PATER.

QUAE tria bona sunt a divina providentia summis principibus ad optimum populorum regimen attributa, quaeque saepe in singulos dispertita

Digitized by Google

ta quidem adspiciuntur, in eumdem vero collata raro memorantur; ea omnia nos in te uno, CLEMENS MAXIME, intuemur: ingentem rerum optime gerendarum potestatem, cognitionem, & voluntatem. Quae sicuti dissociatae parum promovent; quia neque potestas absque cognitione invenire; neque cognitio absque voluntate capessere meliora valet: ita conjunctae nunc in SANCTITATE TUA, orbem terrarum universum ad aeternorum operum spem, haud immerito, erexerunt. Vetus enim illa, & praeclara de te opinio ex beneficentia & prudentia tua, praeclarisque factis ubique diffusa, jam tanto crevit amplius; quanto mirabilis illa tuorum comitiorum eventus

Digitized by Google

tus rebus humanis omnibus antecellit. Quo virtutis exemplo vel ipsis veteribus Ecclesiae saeculis inaudito, cum & praeteritas tuas laudes obrueris; & paris gloriae spem ceteris mortalibus abstuleris: nostram interea excelsorum actuum cupiditatem adeo dilatasti: ut ei explendae, superatis jam ceteris, tutemet sis in posterum superandus; neque alium praeter te competitorem atque aemulum laudum tuarum sis habiturus. Mortales enim ita natura comparati sumus, ut cum nobis ipsis facile condonemus; ab aliis tamen semper majora contendamus. Cum igitur tu notas antea, usitatasque virtutes cursu superioris temporis exegeris; & in creatione tua speciem pietatis adhuc ignotam

Digitized by Google

e coeleſtibus animi tui penetralibus emiſeris: quid mirum, ſi nova ſemper & inſueta, tuique propria, in poſterum expectemus? Quod vix, ac ne vix quidem aſſecuturos a quoquam homine confideremus: niſi mirabile facinus abs te profectum, divinam vim actionibus tuis perpetuo excitandis atque regendis in tuo pectore conditam indicaret. Talis enim tua fuit Pontificatus recuſatio, ut nihil humani penitus in egregia illa moderatione animi deprehendatur. Neque enim cum ſenſu modeſtiae, metus hoſtium Chriſtiani nominis admiſcebatur: non tyrannorum atrocitas, non Eccleſiae vexatio, non pericula, non caedes, nulla ſtrages, nulla ſeditio, commotio nulla honorum fugam inci-

Digitized by Google

citabat. Et tamen ad culmen dignitatum omnium invitus atque reluctans, moerore ac triſtitia ſqualidus, lacrymans & gemebundus, e cubiculo ubi te condideras, velut ad cruecm aliquam evocabaris, utpote de illorum numero qui ἔρχονται ἐπὶ τὸ ἄρχειν οὐχ ὡς ἐπ' ἀγαθόν τι ἴοντες, οὐδ' ὡς ἐυπαθήσοντες ἐν αὐτῷ ἀλλ' ὡς ἐπ' ἀναγκαῖον, καί οὐκ ἔχοντες ἑαυτῶν βελτίωσιν ἐπιτρέψαι τὴν ἀρχὴν οὐδὲ ὁμοί οις. Dum enim ampliſſimi Patres ad te confertim ibant, ut paratum divinitus, delatumque ad te a collegis omnibus, Pontificatum maximum reciperes: tu illum ad ſeniores conſtantiſſime remittebas, unanimesque preces lacrymis abunde manantibus refutabas. Cum igitur nemo, quin eſſes unice creandus, ambigeret, praeter unum

unum te, a cujus modeſtia cum illi magis contenderent, minus expugnabant: idemque diffiſus viribus copiam ſuffragiorum undique te ambientium averteres; ac ſolus petitioni omnium repugnares: certe non tam comitia illa fuere, quam lis, & judicium inter te, ac Sacrum Senatum inſtitutum, coeleſtique ſententia diremtum, ac definitum Sacrorum librorum oraculis: quae voluntatem pervicere tuam, ac te attinuere dilabentem: ut divinam in Pontificia creatione praeſentiam, quam nobis adhuc religionis auctoritas perſuaſit, nunc in mirabili creatione tua oculis prope deprehenderimus. Qua enim humana ope negotia illa, quae ſuapte natura levi qualicunque aura vertuntur, tamdiu con-

Digitized by Google

conſtitiſſent: niſi vis divina optimorum patrum voluntates in te incumbentes ex alto rexiſſet; eorumque ſuffragia, ne aliorſum deflecterent, totum illud glorioſiſſimum tibi, longum vero atque anxium ceteris mortalibus, triduum admirabiliter ſuſtinuiſſet? Quae tum populi totius trepidatio fuit! Quae ſollicitudo bonorum! Quales anguſtiae doctorum ac piorum hominum! Quanta fluctuatio Eccleſiae univerſae: quae dum retraheres manus a gubernaculo tibi porrecto, portum hic, illic ſcopulos; hac ſerenitatem, illac tempeſtatem proſpectans, a te unice petebat, ut in tranquillum conferretur! Neque aliunde, praeter quam a divino conſilio proceſſit, ut neglecta, opportune de Seniorum etiam ſen-

Digitized by Google

tentia lege annaria, dignitate ſuprema aetatem antevenires. Cum enim ſuperiorum Pontificum piis legibus, & exemplis abacta vitia, propter eorum imperii brevitatem, ſtatim ab abſceſſu refluerent: florentem aetatem tuam Deus ad ſummam poteſtatem adduxit: ut imperii diuturnitate optimae leges verterentur in mores, ac mala omnia tuarum continuatione virtutum, veluti longi temporis praeſcriptione in poſterum tollerentur. Tu vero, non ut imperares, imperium accepiſti, ſed ut Eccleſiae temporibus, & legi divinae ſervires. Etenim ut egregie Plato: τῶ ὄντι ἀληθινὸς ἄρχων οὐ πέφυκε τὸ αὐτῷ σύμφερόν σκοπεῖσθαι, ἀλλὰ τὸ τῷ ἀρχομένω. Omnes nimirum homines Deus Opt. Max. propter communis genitoris cul-

Digitized by Google

culpam perpetuo labore damnavit; ſed ſapientes hoc diſcrimine ſecrevit a ceteris, quod alios tantum ſua; ſapientes vero publicae utilitatis cauſa laborem ſuſcipere voluit. Hoc autem onus ideo tibi ſubeundum prae ceteris erat, quod unus inter mortales absque ullis edictis, quae irrita ſunt niſi vim habeant adjunctam, & absque vi quae numquam abeſt a communi triſtitia: ſed ipſo adſpectu jucundiſſimo vitae tuae, ac propriorum luce meritorum labes eluere valeas Magiſtratuum & procerum, unde corruptio manare ſolet ad ceteros. Ac ſola imago animi tui modo locata ſublimius, & majoribus exprimenda in dies operibus, praeſentis erit; & poſteri cenſura temporis. Quis enim aut ignavus,

Digitized by Google

aut impurus, aut indoctus munus petere ausit ab eo Pontifice, cujus pueritiam in elegantioribus literis; adolescentiam in Sacris & civilibus legibus; juventutem in jure integerrime sanctissimeque dicundo, ac sequentem aetatem tribus Pontificibus dicatam in Ecclesia universa moderanda, totamque vitam in antiqua Sanctorum patrum disciplina cognoscenda, & undequaque imitanda sciat esse traductam? Quis vero inani, & puerili doctrina imbutus, turgidaque recentiorum temporum facundia inflatus graviores, & sublimiores doctrinas vicerit apud eum Pontificem, ad quem instituendum omnium temporum selectiora studia confluxere? Quem ab ineunte aetate latinam eloquentiam addi-

scen-

Digitized by Google

ſcentem Tulliani Saeculi lux,& candor excoluit; cui ad graecas literas cupide progredienti cum omnium inventorum, atque artium ſuarum copiis Academia univerſa, cumque Demoſtenea vi,atque frugalitate Atticum forum exultanter occurrit. Qui juris prudentiam ab Antonini aetate, Theologiam a Theodoſianis temporibus arripuit, omnesque doctrinas,atque artes e purioribus fontibus arceſſivit. Eo cultu,atque ſeveritate ſtudiorum tecum ad Supremum Eccleſiae faſtigium reduce, non Principem literulas alentem videbimus,& argutiolas; ſed Heroicorum temporum eruditionem,& Sapientiam ſuſcitantem adſpiciemus, Romanique juris Majeſtatem jamdiu obumbratam foro reddentem,&

Digitized by Google

ad veteris Eccleſiae pietatem, atque doctrinam noſtratium criticorum religione atque judicio expenſam, & excoctam, auream illam eloquentiam adjungentem, quam in Italiam Leonis X. beneficentia revocatam nova ſermonis contagio pene profligavit. Quam ſane morum, atque bonarum artium felicitatem prope adſpirare video, poſt quam exemplo tuo ea defertur conditio petitoribus, ut aut ſpes honorum eis deponenda ſit, aut vetuſta morum, & doctrinarum Sanctitas repetenda. Hinc tu, Princeps humaniſſime, voti compos fies, & ſeveritatem, quae animum tuum a dominatu avertebat, effugies: moribus enim recta diſciplina, & literarum cultura compoſitis delictorum, & vitiorum ſemina tandem ex-

Digitized by Google

extingues, ut ſeveritate tibi non ſit utendum, quoniam bonis dominaberis: poterisque clementiſſime, atque ex animi tui ſententia imperare. Non enim clementia eſt parcere ſontibus, quorum vita tot eſt inſontibus noxia: ſed ea demum vera eſt clementia, numerum augere bonorum rectis inſtitutionibus, iisque aditum ſepire criminibus, ut quam rariſſime oporteat eſſe ſeverum. Quoniam vero haud pauci reperiuntur, qui ramos malorum deciderint; radicem vero qui tentaverit adhuc nemo: & vitia plerumque ſtudio virtutis non deponuntur, ſed fuga poenarum: coguntur Principes atrocitate decretorum eos exulcerare, qui vel voluptatem ex propriis, vel utilita-

Digitized by Google

tatem ex alienis vitiis capiunt; quique illis ablatis quotidianam etiam vitae occupationem amitterent. Tu vero, qui virtutum omnium ſcientiam habes & uſum, exemplis tuis, & nova emendandi arte animos ad illas adeo condocefacies, ut ſenſim delectati melioribus, deteriora ſint relicturi: ac nec opinantes a ſenſibus jucunde deceſſuri ad honeſtatem. Itaque virtutibus illatis, vitia ſine ſatellite, ac ſine voce praeconis exulabant. Tua vero gravitas lenitudine temperata, orisque majeſtas benignitate condita, ſuffuſaque ſuaviter moribus, & ſermonibus tuis decora, & verenda comitas, nonne faſtum deprimet, & ſuperbiam depellet, pro-

Digitized by Google

procerum illorum, qui tenuiorum contemtu, & pectoris tumore, atque capitis elatione celso fulgentique de curru sibi videntur praeferre fasces, & in privata fortuna, publice imperare? Atque cum divinae omnes animi tui dotes in universarum gentium utilitatem redundent: ii etiam, qui jampridem patrocinio tuo perfruuntur, quo illo digni videantur, motu feruntur eodem: ut & ipsi pro virili aliquid publice prodesse cupiant. Quos inter, & ego, qui omnia tuae solius beneficentiae debeo, per quam etiam ab INNOCENTII XII. benignitate publicum juris docendi munus accepi: animum induxi meum, ut privata quoque studia in commune ad-

Digitized by Google

ducerem, absolutis nuper tribus de originibus juris civilis libris, qui jam in lucem prodeunt sub auspicio SANCTITATIS TVAE; cui non modo ex infinita potestate, sub qua omnia subjiciuntur: sed privato etiam, & antiquo nexu labores mei sunt omnes obnoxii. Et si vero nostra sententiarum, & verborum inopia tanti, tamque Sapientissimi Pontificis luce sit indigna: materiae tamen gravitatem certe non adspernabere; tradimus enim primordia juris civilis, quae si non proximum, at communem tamen habent cum Sacro jure fontem, nunc in aeternam Ecclesiae tranquillitatem e tuo pectore profluentem. Jus enim Romanorum id habet seorsum a popu-

Digitized by Google

pulis aliis totum ut sit arte mira, & certa ratione deductum a naturali honestate, quae divina est illa in omnium cordibus insculpta, inque animis inscripta lex. Hinc jus civile pro jure gentium servatur ab omnibus illis nationibus, quae cum Imperio Romanorum, non tamen acceptam ab iisdem humanitatem deposuerunt. Quin etiam, si originem illius e remotiori memoria repetamus, Mosen ipsum haud levi ex parte nostri juris auctorem reperiemus. Multa enim Aegyptii ab Hebraeis, cum quibus versabantur, in suos vertere mores: cujus rei argumentum est suum abominatio, jejunia, & περιτομή Herodoto teste Aegytiis etiam Sacer-

cerdotibus usurpata : quae suo populo Moses asserta, & ab alienis repetita retulit in scriptas ab se, atque a DEO dictatas leges. Athenas autem, unde Romani primaeva jura petierunt, vel Phoenices Hebraeis affines, ut multas Graeciae urbes condidere, vel Aegyptii : Erichtheus certe, ac Cecrops, qui eam urbem primi legibus composuerunt, primique imperarunt, ex Aegypto advenerant, indeque in Graeciam attulere mores patrios, quibus multa haeserant ex hebraicis institutis. Quamobrem Cecrops propter graecos mores Aegyptiis insitos διφυὴς appellabatur. Hinc non

Digitized by Google

non mirum si tot Hebraici juris vestigia in Romano inveniantur, ut utriusque populi leges incerto auctore inter se collatas habeamus. Quamobrem emersis Lotharii temporibus, post diuturnam noctem Romanis legibus, adeo Sacrae cum illis coaluerunt; ut Decretalium libri, exceptis iis, quae sunt divini tantum juris, nihil fere aliud videantur, quam progressio, & germinatio juris civilis: quod Summi Pontifices ALEXANDER, atque INNOCENTIVS TERTII, GREGORIVS IX. INNOCENTIVS IV. BONIFACIVS VIII. aliique plurimi sua in juventute hau-

Digitized by Google

hauſerant e Bononienſi plerique Schola, quae tum celebratur, illudque de Summo Eccleſiae Solio mortalibus praebuerunt, aut reſpondentes Epiſcopis, & Praeſulibus Oracula Romana petentibus; aut controverſias, cauſasque definientes; aut conſtitutiones Eccleſiaſticas pro re nata condentes. Quo magis confido TE hoc literarum genus complexurum benignius: &, qui animum habes non modo tuae ditionis opulentia, ſed ipſis etiam humanis neceſſitatibus longe majorem, quique occultis largitionibus literarum inopiam e re familiari tua ſublevabas, eo ma-

Digitized by Google

majori munificentia cultum vetusti juris excitaturum, quod haec studia longe auctius Reipubl. remittunt quod acceperunt, & pro caducis, & mortalibus bonis aeterna, & saluberrima retribuunt, conjunctam scilicet cum Romana eruditione justitiam animumque Romanum. Quae, dum scriptis committimus, numquam interea sensus declinamus ab immortalibus dictis factisque tuis, unde longe majorem boni, & aequi scientiam, & usum colligemus, quam e mortuis monumentis vetustae virtutis, quae nunc longe clarior in tuis operibus reviviscit. Quibus con-

Digitized by Google

contemplandis admirandisque adeo, PATER BEATISSIME, rapior, ut ad integram absolutamque felicitatem id unum a DEO Opt. Maximo deprecer, ut per longam TE annorum seriem sospite atque superstite dimittar e vita.

Ad

Digitized by Google

Ad Cupidam Legum Juventutem.

Mirari aliquando ſoleo & mecum ipſe reputare cur extremis hiſce temporibus, quibus ceteroqui ſcientiae, vel recens exoriuntur, vel veteres exſuſcitantur, vel adhuc incolumes ad clariorem lucem extolluntur, ita ut communis & nova quaedam reddatur vita doctrinis; una tamen Jurisprudentia, veluti damnata barbarie ſenſim repudietur ab eruditis, & elegantiorum artium commercio paulatim

Digitized by Google

excludatur ? An rude aliquod artificium est jus civile, cui nonnisi pinguiora ingenia se tradiderint ? An usu, officioque suo juris ars est avara quaedam nundinatio verborum, & vocabulorum aucupium evertendis aliorum fortunis, & patrimoniis ex judicum libidine transferendis institutum ? An civilis doctrina claris illa quidem profecta initiis, & a Sublimioribus ingeniis educata, traducta tamen per manus imperitorum, diuque sordide contrectata, ita squallet ; ut ab eo temporis vestigio, ad aetatem usque nostram cultiora ingenia suo foeditatis adspectu rejecerit ? An hoc denique studium quaestuosum est magis, quam glorioſum & illustre : atque ideo docti homines, qui suam opulentiam in abstinentia, & frugalitate collocant, cum hujusce artis proemiis minime ducantur, ipsam etiam artem putant esse contemnendam ? Immo vero nihil prorsus horum objici jurisprudentiae potest. Quid enim ejus munere gravius, quo singulorum status, & bona proteguntur ab injuriis ? Quid solidius praeceptis, regulisque suis, quas haustas ex honestate naturae, non confuse congestas, proditasque temere ; sed ratione, atque via traditas a majoribus fuisse didicimus. Etenim, si quam ba-

Digitized by Google

habet philoſophia dignitatem, (habet autem hominum opinione maximam) ea omnis translata fuit in jurisprudentiam Romanorum, qui partum armis imperium, juris commercio, legumque majeſtate continuerunt. Quidquid enim a Graecis philoſophis de honeſto, & juſto; de finibus bonorum, & malorum; de regendis populorum moribus; de legibus & Republica quaeſtionibus infinite propoſitis, & ambitioſis magis, quam utilibus diſputationibus effundebatur, totum collectum fuit a Juriſconſultis noſtris, atque, nugis excuſſis, traductum in Urbem: ut quod apud Graecos exercitatio erat ingenii, longiorisque otii levamen, Romae in corpus juris civilis converſum publicae, ac privatae ſemen eſſet utilitatis. Itaque contemplatio Graecorum otioſa, & iners, a noſtris operoſa reddita eſt, atque frugifera. Cumque deinceps philoſophia in honorum, & opum vile mercimonium converteretur: poteſtas omnis illius, atque dignitas in Juriſconſultorum ſcholis, atque in Romano foro conſedit: manſerat enim graecis tantum ſplendor, faſtusque verborum: pondus tamen rerum & ſententiarum utilitas commigraverat omnis in artem Juriſconſulterum, quorum auctoritate

Digitized by Google

forum regebatur, ut hoc opere nostro procedente, patebit.

Caligo vero barbarorum interpretum cur huic detrabat doctrinae dignitatem, cum proximis saeculis ad vendicandum jus civile cultiores omnes artes, omne genus eloquentiae, retrusior omnis eruditio contra barbariem conjurarint: ut non tantum contulerint conditores, quantum novi ejus vindices reddiderunt? Itaque sicut ager sit intermissa cultura feracior; ita jurisprudentia, quae barbarie inhorruerat, segetem protulit ex nova eruditorum industria laetiorem. Vel unius enim Jacobi Cujacii mirabili acumine, atque inaudita doctrina, jus civile nostrum scientias omnes in certamen gloriae provocaverit. Quaenam est autem urs, quaenam facultas, cui tanta eruditio sit implicata, quantam complectitur Jurisprudentia, ex qua nativa rerum singularum vocabula, & arcana latinitatis, & selectiora dicendi genera ducuntur, & recondita notitia vetustatis eruitur, & scientia temporum, atque factorum, non communis illa quidem, & pervulgata, sed sanctior, atque selectior: ita ut unius Jurisprudentiae studium, graecam atque Romanam eruditionem trahat universam.

Cur

Digitized by Google

Cur igitur eruditi a Jurisprudentia, & Juris professores ab eruditione plerumque, atque ab eruditis professoribus abhorrent? Sane, non aliam prodiderim causam, quam numerum, & magnitudinem voluminum, & molestas rerum jam desuetarum expositiones, disputationesque longiores, & acumen aliquando immodicum; quibus, ut summum scriptoris ingenium arguatur: ii certe, qui haec non propense, neque instituto suo, sed cursim atque alio intendentes arripiunt; longioris moræ fastidium ferre non possunt. Cum igitur ejus lectionis difficultate, atque studiorum tristitia plurimi deterreantur: facile huic labori parcitur: ne vel eruditus a studiis amoenioribus, vel juris professor ab artis suae quaestu diutius abstrahatur. Facilem enim gloriam laboriosae praeferimus, & praematurum lucrum plerumque anteponimus honestiori. Et quamvis multa prodierint, quibus aut grandiora volumina contrahuntur; aut resecantur obscuriora: ibi tamen, vel ea saepe offendimus quae nos morantur inutiliter; vel ea desideramus quae pateant latius: pleraque enim jejune traduntur, & exiliter, ut vix arrepta diffugiant. Res nimirum e proprio trunco avulsae, atque in Epi-

Digitized by Google

tomen redactae attingunt simul animum, & elabuntur; carent enim nexu ordineque suo, sine quo nihil mentibus adhaerescit. Qui hoc igitur in genere libri sunt breviores, vel doctrinam universam per summa capita percurrunt, quod est nimis exile: vel certam in partem adeo effunduntur, ut alienissimas quoque doctrinas eodem trahant, quod stomachum saepe facessit. Non igitur alia ratio superest, nisi ut aperiantur fontes uberiores, ex quibus non in singula tantum membra, sed in universum Jurisprudentiae corpus eruditio necessaria iusluat, non quidem adeo parce, ut cognitio illius brevi exaresçat; neque tam abunde, ut mergat ingenium, & diu mentem ulterius pergentem irretiat. Quod praestare animus fuit bisce tribus Originum libris: ut fontes recludantur unde universa legum eruditio, & vetus Jurisprudentia manat. Curaque fuit rivos inde ita ducere, ut vel coërceantur redundantes, vel tenues justa copia impellantur: quo juri civili nutriendo sufficiant, & sobrie ad usum, & commodum legentium, non immoderate ad ostentationem ingenii veteris juris notitia, & lectior eruditio suggeratur. Itaque in his conjectum est libris quidquid eruditis, & a-

ju-

Digitized by Google

juris professoribus honeste ignorari non potest: quo eruditi scientiam juris ex his colligant suis utilem studiis, & jurisperiti luce hac eruditionis accepta in lectionem Digestorum, & Codicis, & Novellarum confidentius ingrediantur: ut nonnisi quibusdam in locis obscurioribus, si quando in foro usu venerit, consulere oporteat longiores eruditorum interpretum commentarios: quorum tamen sensum sine rerum hic expositarum notitia nemo nisi divinando adipiscatur.

Igitur primo libro quasi telam explicamus, quae universum juris civilis corpus expressis potioribus membris exponat, & cujusque juris portionis tempora certa, & intervalla patefaciat: quo summatim prodatur unde sit orta primum scientia juris, quemadmodum paulatim, vel novis legibus, vel prudentum interpretationibus, vel magistratuum edictis, vel principum sanctionibus ad integritatem pervenerit: Tum quamdiu steterit, cur inclinaverit, quave ratione ad statum denique redierit suum. Quibus exponendis, oblata facultate, auctores proferentur constituti, perturbati, & reparati juris, deque singulorum scriptis, doctrina, ingenio, & usu judicia ferentur, quibus studio-

Digitized by Google

diorum cursus dirigatur : plurimum enim refert, unde quis primum lectionem auspicetur, quibusve deinceps & quo ordine libris utatur : nam quae lectio ad tempus maxime prodesset, ea immature aut praepostere suscepta nocebit. Si enim quocumque fors appulerit haereamus, libris saepe inutilibus florem nostrae conteremus aetatis. Hinc in tanto studiosorum numero tam pauci sapientes. Hoc igitur libro nascentis, & progredientis juris civilis, tum singularum partium ejus celebriorumque scriptorum brevem narrationem pertexemus.

Altero libro primordia juris naturalis & gentium, ac vetustiores juris civilis fontes aperientur, sive leges XII. Tab. quotquot e veterum reliquiis erui potuerunt, adsperſa in tempore ad res illuminandas Attici juris notitia. Hisque proditis originibus pervetustis, & quasi jurisprudentiae cunabulis, transibimus ad recentiores, nempe ad leges, & Senatus Consulta: quibus jus civile privatorum (nam quae ad Reipublicae administrationem pertinebant, cum nullius jam sint usus, vix attigimus) leges inquam illas & S. C. persequimur, quibus priscum, & privatorum praecipue jus, aut deficiente sententia XII. Tab. augetur ; aut tempo-

Digitized by Google

pore aliter poscente mutatur ; aut ubi obscurum sit atque perplexum auctoritate populi totius explicatur. Quae postremo libro concludentur.

Toto autem hujusce operis cursu eruditionem, & notitiam vetustatis ita intermiscebimus : ut quod scitu opus fuerit lectori ad locum occurrat : quo is postea per se possit obscuros, atque perplexos Jurisconsultorum sensus expedire, atque barbarorum interpretum notare lapsus. Multa enim jure tradendo peccarunt illi, quae notata sunt ab eruditis, multosque in forum errores intulerunt ignoratione morum, legumque vetustarum, ac temporum, quorum notitia hisce praebetur originibus: quas Tribonianus, cum suo tempore paterent omnibus, parum in posterum prospiciens, reliquis subtraxit aetatibus : atque illis abscissis, tamquam ademto capite, totoque juris corpore dissoluto, concisi cadaveris membra posteris reliquit. Omissa enim primaeva lege, quod caput erat disputationum, tantum ex legum consequentiis per interpretes, aut principes, aut magistratus eductis exorditur titulum, seriemque pertexit : quo fit ut ad ipsum saepe vestibulum subsistamus. Quis enim non haereat,

Digitized by Google

aut labatur in consequentibus, cum antecedentia prorsus ignoret? Cum autem proximis saeculis jurisconsultorum eruditissimi, vel harum reliquiarum aliquas integris voluminibus comprehenderint; vel pro re nata in suis de jure civili commentariis non paucas explicaverint: non inutile consilium visum est tam varia & laboriosa lectione levare studiosos, easque omnes multis libris dispersas & dissipatas in unum conducere, inque facilem ordinem tributas breviter atque perspicue, quantum facultas nostra tulit, exponere: ut, si quod recepi praestitero, suum Jurisprudentiae caput reddatur integrum, & quae dispersa & infinita in aliorum libris esse videntur, ratione & distributione unico adspectu patefiant. Qui enim ante nos ista collegerunt, doctissimi quidem illi & ingeniosi, tamen obscurum potius indicem ex ipsis fragmentis contextum, quam dilucidam eorum sententiam protulerunt: vel quod satis habuerint ea monumenta colligere, ac reliquum laborem aliis consulto reliquerint; vel quod luce carebant ea, qua postea Jacobus Cujacius, & Gothofredus junior jurisprudentiam emendarunt: quorum scripta sane gravissima plurimum huic operi contulerunt. Qui vero aut unam,

Digitized by Google

nam, aut certas aliquot harum originum explicarunt, ii longis, ut diximus, & alienis aliquando disputationibus ingenia fatigant, eorumque cursum, qui ad forensem exercitationem vocantur, impediunt. Praestat autem rem cognoscere universam, quam longiorî cura partem tantum illius expendere.

Orationem vero adhibuimus continuam, scribenti quidem perdifficilem, tota enim ex illius ingenio continenter fluit; legenti vero facillimam: etenim animus cursu illo veluti secundo flumine vehitur. Nam criticorum scribendi consuetudinem, cui alioqui sua debetur laus, de industria effugimus, interciſa enim, & comminuta eorum oratio singulis momentis intercipit spiritum, & frequentius abrupta scriptorum locis moratur properantem, & detinet injucunde. Ideo succum quodammodo e veteribus expressimus, inque orationem nostram confudimus, testimonia vero & auctoritates in marginem conjecimus; ac si quid exprimendum occurrit more criticorum (occurrit autem in XII. Tab. explicatione saepius) id separatim in notas contulimus breviores, & a continenti oratione seduximus. Ubi vero critici personam suscipere cogimur, cura est a novis emendatio-

Digitized by Google

nibus, quantum licet, nos continere; contentique saepe sumus correctionibus aliorum, quarum si quas non probavimus, non nisi caute, mutamus atque verecunde: tum quia nobis nihil suspectum est magis quam judicium nostrum: tum etiam quia critices licentiam jamdiu esse compressam oportuit. Adeo enim emendando critici modum excesserunt, ut non sit amplius id emendandi studium, sed reprehendendi libido, furorque rixandi. Quo magis admiror eruditissimi Graevii sobrietatem, qui suis in notis criticum acumen philosophiae modestia, & veritatis amore temperavit. Quid autem mali de nobis posteri promeruerunt, ut contentionibus nostris abducendi sint a scientiis gravioribus, & praesertim a studio sanioris eloquentiae, quae propemodum exaruit, quia diutius in interpretibus, quam in ipsis auctoribus occupamur. Tandem, ut omnes omnium emendationes merito suspectas habeamus: non ne praestiterit in una qualicumque lectione quiescere, quam diutius vaticinando multiplicare deliria, & posteris laborem, atque fastidium ex ea disputationum sterilitate procreare? Nec semper meo judicio, vera lectio erit ea, quae melior; scriptores enim varia distracti scri-

Digitized by Google

ſcriptionis cura induſtriam aliquando remittunt. Neque humanum ingenium contendere ubique poteſt omnibus nervis : ideo ut in acie milites, etſi minus fortes, tamen, quia feſſis integri ſuccedunt, pugnant aliquantiſper alacrius: ita evenit, ut acutius aliquando comminiſcantur interpretes, quam ipſimet auctores invenerunt.

Ceterum etſi nullae hic inveniantur forenſes diſputationes, & rerum quotidianarum controverſiae, quarum utinam, aut minorem habeamus copiam, aut non videamus imminere majorem: tamen ut ii, qui ad palaeſtram vocantur, quo ſint ad luctam expeditiores oleo prius unguntur : ita forenſem pugnam initurus ingenio fiet ex hac lectione promtior. Etenim non auctoritatibus tantum, quae arma ſunt imperitorum, quaeque indicem pervolventibus praeſto ſunt in utramque partem, ſed ſcientia plurimum, & ratione valebit : praeſertim ſi ad forum veniat aliquanto cultior, & bonarum artium luminibus excitatus. Quod facillime aſſequetur, ſi vulgaris inſtitutionis ſcopulos declinatus a puero, per breviorem, & leniorem incedat viam. Neque enim ab omnibus juris profeſſoribus perfecti Juriſconſulti doctrinam,

Digitized by Google

acumen, & eruditionem contendimus, cujusmodi perraros admodum ſingulae tulerunt aetates: ſed plerumque ſatis fuerint ea, quae politum praeſtent ornatumque cauſsidicum: quo Jurisprudentia puris attrectetur manibus, & forum, quantum per conſuetudinem licuerit, expietur. Nihil enim tam foedum fuerit, nihil tam obſcaenum, nihil tam denique ſacrilegum, quam jus civile abſtruſioris eruditionis venam, germen utilioris philoſophiae, atque florem elegantiae, negligentia tamen humaniorum literarum redundare ſordibus, & ingeniis patere lutulentis. Has injurias recta ſtudiorum inſtitutio procul a Jurisprudentia flectet, itaque de his placet pauca diſſerere.

Tria omnino ſunt juris profeſſori neceſſaria, latinae linguae peritia, ratiocinandi ars, & notitia temporum. Latina lingua evolvit arcana jurisprudentiae, degetitque ſententias intimas Jurisconſultorum, quae germanis vocabulis, & abſtruſioribus, ac peculiaribus latine dicendi generibus obſignantur. Quamquam enim jurisconſultorum, quorum fragmenta retinemus, plerique latinitate jam inclinata floruerunt: ſtudio tamen, ac religione verborum, qua maxime ſcientia legum adſervabatur, ita ex-

Digitized by Google

excellebant, ut auream prope latinitatis aetatem elegantia, & proprietate reddiderint. Verborum praeterea scientia, & cognitio formularum, quarum in jure civili maximus est usus, nihilominus quam historia mores ritusque aperit veterum Romanorum, quorum notitia obscuriora loca juris civilis illuminat.

Ratiocinandi ars cunctas profecto doctrinas decet, utpote cogitationum humanarum omnium gubernaculum & moderamen, atque initium, & dux recte dictorum, rectequè factorum: sine qua praeposterа & perturbata erunt universa. Nam ut Lucretius ait:

- - - Si falsa est regula prima,
Normaque si fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum,
Omnia mendose fieri atque obstipa necesse est,
Prava, cubantia, prona, supina, atque absona tecta;
Jam ruere ut quaedam videantur velle, ruantque,
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.

Pro-

Digitized by Google

Professoribus vero juris civilis eo magis est necessaria, quod eorum consilio, atque judicio salus aliorum, & fortunae reguntur. Advocatorum enim, & judicum lapsus patrimonia secum, & vitam ruunt aliorum.

Notitia temporum & historiarum lectio cum ad prudentiam est utilis, quae de cognitione praeteritorum, tamquam ex futurorum imagine suscipitur, tum etiam ad intelligentiam locorum obscuriorum juris, quae luce vetustatis, & discrimine temporum patefiunt: multarum enim legum dissidium sola temporum ratione recte animadversa componitur.

Hasce autem facultates cito assequetur adolescens, si e longa, & salebrosa via decedat ad faciliorem, ac primo retia vitaverit vulgaris grammaticae, quibus pueritia miserrime implicatur, & pro ea sumserit Sanctianam Scioppii, Vossiique breviorem, aut ex his conflatam novam methodum gallice scriptam, vel ejus epitomen: deinde adjunxerit exercitationem quotidianam, optimis auctoribus explicandis, Terentio praesertim, Cicerone, Caesare, Virgilio, Tibullo, paucisque aliis aetatis aureae scriptoribus, adhibitis facilioribus commentariis: longum enim esset, & laboriosum prae institutione, so-

Digitized by Google

forensi, aut optimos scriptores explicare omnes, aut criticos consulere graviores. Optima enim causidico satis fuerit, si paucorum, & quidem elegantiorum imitatione, atque studio facultatem comparaverit intelligendi optime, ac scribendi mediocriter: ut si ornate atque eleganter nequeat, barbarum tamen effugiat, & inconditum dicendi genus.

Rationis regendae, atque emendandae mentis artem, quam Logicen appellant, omnium cum veterum, tum recentiorum optime facillimeque traditam habemus in libello inscripto Ars cogitandi: *Cujus lectione non modo e communibus naturae tenebris mens exolvetur, sed etiam labyrinthum effugiet vulgarium Dialecticarum, e quibus longa diuturnaque jactatione, assiduisque jurgiis, non aliud nisi fallere fallique discimus. Ex ea quoque lectione lumina excipiuntur ad omnes fere scientias; quarum semina illic sunt effusa; ut, quacumque flectere quis voluerit, rectam per se se inire valeat viam. Hinc etiam tollere poterit adolescens quidquid philosophiae opus fuerit homini negotioso, & publicis muneribus occupato, quem oportet quidem philosophari, sed paucis, ut ait Ennius.*

Digitized by Google

nius. Cetera quae hoc in genere vulgo, argute ne dicam, an intemperanter & absurde disputantur? jam hac aetatis nostrae luce, inque tanta inventorum novitate, non modo ignorantur utiliter, sed etiam laudabiliter contemnuntur.

Rhetoricam non adjungimus, utpote magis ad morum, & publicarum rerum scientiam utilem, quam ad scribendi usum, qui Tullio ipso judice naturae beneficio, & bonorum scriptorum imitatione maxime comparatur: qua de re sunt haec ab Augustino scripta divinitus: (a) Cavendum est, *inquit*, ne fugiant ex animo quae dicenda sunt, dum attenditur ut arte dicatur. Et tamen in sermonibus, atque dictionibus eloquentium impleta reperiuntur praecepta eloquentiae, de quibus, ut illi eloquerentur, vel cum loquerentur, non cogitarunt, sive illa didicissent, sive ne attigissent quidem. Implent quippe illa, quia eloquentes sunt, non adhibent ut sint eloquentes. Quapropter cum ex infantibus loquentes non fiant, nisi locutiones discendo loquentium: cur eloquentes fieri non possunt, nulla eloquendi arte tradita, sed elocutiones

(a) De doctr. Christ. lib. 4. in princ.

Digitized by Google

nes eloquentium legendo, & audiendo, & quantum assequi conceditur imitando? Quid quod ita fieri ipsis quoque experimur exemplis? Nam sine praeceptis Rhetoricis novimus plurimos eloquentiores plurimis, qui illa didicerunt.

Historiarum lectio partim anteire debet, partim comitari jus civile. Ne quis enim initio sit ad juris prudentiam rudior, generatim saltem oportet animo anteacta tempora comprehendere, ut reliqua vita, ubi erit otium, res gestas cognoscat particulatim: quo de rebus cum privatis, tum publicis ex praeteritorum exemplis recte consulat, atque prudenter. Occasiones vero legum, tempora, & causae, quae maxime sententiam aperiunt earum, omnia eruuntur ex historijs. Ante quam igitur quis auspicetur studium juris ex universa saltem Iustini brevique historia memoriam temporum hauriat antiquiorum, ut postea cum studiis juris Livij lectionem conjungat, indeque per sequentium aetatum scriptores continenti serie ductus ad nostra tempora referatur, in iisque studiis occupabit quidquid ei temporis a divino cultu, qui praeire debet rebus omnibus, & a forensi munere, atque honestis animi laxamen-

Digitized by Google

tis in vita superfuerit, adjunctis uberioribus Chronologiae, atque Geographiae compendiis: in quibus usui esse poterunt aucta nuper Cluveriana introductio, & Petavij rationarium temporum, ac Bussuetij Episcopi Meldensis Theologorum eloquentissimi de universa Historia dissertatio: quae non modo brevem, atque perspicuam continet memoriam temporum, notatis eventis illustrioribus; verum etiam vivis coloribus exprimit religionis nostrae veritatem omnium saeculorum auctoritate comprobatam, ac simul pandit regnorum omnium ortus, & interitus, eorumque causas e moribus deductas populorum, qui nucleus est historiarum.

Juris vero studia inchoanda sunt a concinnis certe, ac lepidis Antonii Peresij institutionibus: cum quibus conferendae identidem germanae Justinianeae, adhibitis Vonnij commentariis miro Judicio contextis, miroque delectu rerum; nec non eiusdem notis, quae sunt commentariorum veluti faculae quaedam. Qui longiores, aut locupletiores desiderant Cujacium audiant hisce verbis exagitantem commentariorum importunitatem: (a) Ex libris *inquit*, Juris civilis libello institutionum, neque

(a) In observ. lib. 12. cap. 18.

Digitized by Google

que comtior, neque facilior ullus est, quique interpretem desideret minus: ut plane illorum videatur esse otium ignobile, qui eum libellum longissimis onerant commentariis, quod positum est in una cognitione, in infinita dispertientes. *Et paulo inferius:* Nam quae scientia haec est, quae modum non habet ullum? quae fines suos egreditur? quae tota deerrat a praeceptis suis, & summo illo praesertim, nec a Justiniano praetermisso, ut incipientibus jura tradantur levi ac simplici via; ne difficultate institutionis tam numerosae, atque perplexae ab hoc studio deterreantur. *Itaque commentarios, qui Oinotomi nomine feruntur, qui ad forensem sane usum plurimum conferunt, potius rejicerem ad extremum studiorum; quam in ipso, ut fit, initio adolescentibus anteponerem: quos obruit copia rerum aut praematare, aut praeposterе ibi disputatarum: & melius Justinianeis adjungerem Theophili sobrias, & eruditissimas institutiones, nuper cum clarissimorum auctorum notis editas a Dovjacio. Post hos locus erit hisce tribus Originum libris, ut altiores juris radices eruantur, & mox ab iis decurratur ad ramos, nempe ad argu-*

Digitized by Google

menta singulorum juris titulorum: quae cognosci poterunt e VVesembecii Paratitlis Digestorum, & e Peresii Paratitlis Codicis. Interea celebriores leges in Manuductione juris civilis notatae deligentur, atque ad eas veterum & novorum uberiores, itemque ad forum utiliores, aut, ubi loci obscuritas postulet, eruditiores interpretationes adhibebuntur, ut scientia simul & usus eodem tempore comparetur.

Haec praefari voluimus, ut ad studium juris animos praepararemus detrahentes inutilia, & adolescentibus jucundiora simul, & expeditiora praebentes. Non plus enim temporis vel a mediocribus ingeniis haec institutio postulat, quam philosophiae vulgari addiscendae, non sine lugenda temporis jactura, tribuitur.

Tres

Digitized by Google

TRes libri Originum juris civilis, quorum primum nunc iterum, posteriores nunc primum edit Vir clarissimus J. Vincentius Gravina in Romano Archigymnasio Antecessor, quosque jussu Patris Magistri Sac. Palatii Apostolici diligenter examinavi, nihil nec bonis moribus, neque fidei orthodoxae contrarium continent; imo cum in ipsis auctor, a juris naturalis, et gentium purissimis fontibus, eas civiles leges deducat, quibus hoc tempore utimur in republica Christiana, cumque varia, nec passim obvia eruditione a Romanis, et Graecis non e vulgo scriptoribus depromta suum opus conspergat, non neglectis neque solidioris philosophiae principiis, sine quibus etiam leges

Digitized by Google

leges ipsae puerile quiddam, et fortuitum redolent, neque eloquentiae luminibus, et latinae linguae candore, quae in foro valde utilis, propter rei difficultatem negligebantur; digni profecto sunt, ut in publicum bonum exeant in lucem, quo cupida legum Juventus cui diriguntur, ceterique causidici discant, quantum dignitatis, atque splendoris juris scientiae accedat ab humanioribus disciplinis, et a placitis illorum philosophorum, quorum sapientia in sophisticam non abierit.

Romae ex aedibus D. Callixti V. Idus Novembris MDCCIV.

D. Io. Baptista de Miro Casinensis.

Digitized by Google

DE ORTV ET PROGRESSV JVRIS CIVILIS.

QVoniam nihil est aliud jus civile, nisi naturalis ad Romanae Reip. institutionem relata, Romanisque moribus, & literis explicata ratio: ideo ut juris cursum ostendamus, ponenda est ante oculos Romanae Reip. facies, imagoque illius brevi oratione adumbranda ducto initio ab antiquiori Pop. Rom. divisione, in patricios scilicet, & plebejos.

I. De Popvlo Romano, et ejvs ordinibvs.

Populi Romani summa, & praecipua divisio ea est, quae a genere proficiscitur, quaeque ipsum habet auctorem Romulum. Is enim delectis primoribus Civitatis, viris ingenuis, qui aetate, opibus, consilio, auctoritate ceteris antecellerent; iis magistratus omnes, & divinarum humarumque rerum, totiusque Reipublicae curam attribuit: (a) eosque a reliquo populo discretos patricios appellavit; quod essent ingenui, ac patron-

(a) Livius lib. 1. Dionys. lib. 2. Plutarch. in Romul.

Digitized by Google

trem ciere, sive demonstrare possent, atque essent, ut Plutarchus ait εὐπατρίδας: ceteros jussit esse plebem, quam publici negotii minime participem abduxit ad agrorum cultum, pastum pecorum, opificia quaestuosa. Ex patriciis publicum Consilium constituit, quem Senatum a gravitate nuncupavit: eique adscriptos ab auctoritate Patres, ab aetate Senatores. Itaque Senatorum natus est ordo, quem excepit equestris: Ex quibus alia deducta est Populi Romani divisio, quae ab ordine dicitur; atque in Senatores, equestrem ordinem, & plebem populus omnis est descriptus.

II. DE EQVESTRI ORDINE,

Equestris autem ordo ab ipsa quoque Romuli aetate repeti potest. Nam, ut Dionysius, ac Livius tradunt, Romulus ad custodiam sui corporis, ex honestissimis familiis, trecentos sibi delegit; qui primo quidem celeres dicti sunt, a Remi interfectore Celere, qui eis initio praefuit: (a) deinde Flexumines, postea Trossuli, quod Trossulum Tuscorum oppidum sine peditum opera expugnarint: postremo Equites, quod equo publico a Censoribus (b) assignato, collataque ad id ex publico pecunia, mererent. Siquidem erant & alii, qui cum proprio equo mererent; huic tamen ordini non adscribebantur: qui vero equo publico merebant, in Vrbe Senatoribus; qui privato peditibus in bello opponebantur (c). Is autem ordo a paucis initiis, mirum quantum procedentibus temporibus abundarit! Equitum insigne fuit aureus annulus, & angustus clavus, sive tunica clavis purpureis, iisdemque angustis inter-

(a) Festus *verb. celeres.* Plinius *lib. 33. cap. 2.* Sigon. *de antiqu. jur. Civ. Rom. lib. 2. cap. 3.*

(b) Varro *de lingua latina.* Sigon. *loc. cit.*

(c) Sigon. *ibid.*

Digitized by Google

intertexta (a). Eidemque ordini legibus theatralibus attributi sunt quatuordecim gradus, in quibus sedentes ludos spectarent. (b) Hujus ordinis homines a Censoribus vectigalia, & tributa, certa pecunia quaestoribus urbanis repraesentata, conducebant, quos publicanos appellarunt (c). Vt autem Senatores; ita & equites a Censoribus legebantur: & equites quidem censu sestertium quadringentorum millium: unde Horatius (d): *Si quadringentis sex septem millia desint Plebs erit.* Senatores autem censu duplo majori, nempe octingentorum millium, sive scutatorum aureorum viginti quatuor millium (e).

(a) Rosin. *lib. 5. cap. 33.* Sigon. *lib. 3. de Judic. cap. 20.*
(b) Hotom. *antiq. Rom. lib. 2. c. 10.*
(c) Cic. *pro Planc. & pro Dom.*
(d) *Epist. 1. ad Mecenat.* Sigon. *ibid.*
(e) Manut. *de Sen. Roman. de Orig. Senat.*

Censo Senatorum

III.

DE SENATORIBVS.

Senatus constabat initio centum patribus, qui ob id C. literam centenarii notam calceis inscribebant (f). Is vero numerus non fuit diuturnus: Nam bis a Romulo Senatum lectum scribit Dionysius; primo ex Albanis centum; deinde ex Sabinis, quos ex foedere in civitatem acceperat, alteros centum. Iterum Tarquinium (g) Priscum alios adjecisse centum: ac praefinitum ab his numerum Tarquinii saevitia, & caedibus fuisse imminutum, post vero expletum a Bruto Consule. Longe aliter Livius, qui lectos quidem a Romulo centum scribit, deinde alios centum a Prisco: Verum Brutum Consulem, ut ordinis robur augeret, adjecisse centum numero Senatum constitisse: his verbis (h): *Deinde quo plus virium in Senatu frequentia etiam ordinis faceret; caedibus regis deminuitum patrum numerum, primoribus equestris gradus electis, ad*

(f) Hotom. *Antiquit. l. 2. c. 10.*
(g) Sigon. *lib. 2. c. de anciq. jur. Civ. Rom.*
(h) Liv. *lib. 1. c. 1.*

Digitized by Google

Patres Gentium { majorum / minorum
Patres Conscripti

trecentum summam explevit. Atque a Romulo lecti Patres majorum gentium; ab aliis adjecti Regibus minorum gentium; adscriptique a Bruto Cos. Patres conscripti dicebantur: quo nomine sequens aetas totum est complexa Senatum. Hunc numerum auctum Sullanis temporibus fuisse Sigonius (*a*) ex veteribus colligit. Duas enim lectiones Senatorum factas; alteram Sulla & Rufo Coss. alteram Sulla Dictatore, Appianus refert. Ego vero non tam auctum a Sulla Senatum arbitror; quam caedibus imminutum ex bello civili, post ab eo novis lectionibus restitutum, quem autem numerum praefinierit non plane constat: certe Ciceronis tempore CCCC. exuperasse colligitur ex epistola quadam Ciceronis ad Atticum: scribit enim Curioni assensisse Senatores XV. ex altera vero parte affuisse CCCC. Caesar vero Dictator, cum omnia ex libidine gereret, ac turpissimis mortalium Senatum aperiret; DM fere Senatorum legit; auctoque supra modum numero, imminuit ordinis dignitatem. Vnde Augustus, ut veterem Senatui splendorem redderet, rejectis indignis, numerum decusque restituit pristinum (*b*). Porro Senatus initio quidem nonnisi patriciis patuit; postea vel a Servio Tullio gratiam plebi ob delatum sibi regnum referenti, vel a Poplicola & Bruto, qui post exactos Reges ex plebeis familiis imminutum Senatorium numerum expleviſse dicuntur, Senatus est plebeis patefactus: ut ex equestri potissimum ordine, qui Senatorum seminarium appellabatur, Senatores legerentur, si cen-

(a) *Cap. 2. lib. 2. de jur. Civ. Rom.*

(b) *Sueton. in Aug. cap. VIII. 35.*

Digitized by Google

censum haberent Senatorium: quem censum ampliatum ab Augusto fuisse Suetonius auctor est. Isque census necessarius erat non modo ad adipiscendum, sed ad tuendum, & retinendum ordinem: nam si lapsis facultatibus minueretur census, in equestrem ordinem Senator Censoris jussu transibat, si censum haberet equestrem: si ne huic quidem censui sua bona sufficerent, ad plebejos descendebat: unde plures patriciorum familiae, absumta re familiari, modo ad equites; modo ad plebejos jussu devenere censorio. Nec omnis aetas aditum ad Senatum habebat: sed cum in Senatum ij maxime legi consuevissent, qui magistratus urbanos gesserant, quorum initium ducebatur a quaestura, cujus legitima aetas erat annorum XXVII: hanc antiquitatis studiosi ad Senatoriam dignitatem arbitrantur fuisse praefinitam aetatem. Nec tamen qui Magistratus gesserant, continuo Senatores erant: nisi per Censorem lecti essent dum lustrum conderetur: ac, si censoria lectio defuisset, jus quidem habebant sententiae in Senatu dicendae, Senatores tamen minime dicebantur: neque, cum in Senatum venerant, sententias rogabantur; sed in eas quas principes dixerant, non voce, sed pedibus concedebant, locum mutantes, & transeuntes ad eos, quorum sententiam probarent: ideoque Pedarii vocabantur. (a) Vnde veteris edicti formula: *Senatores quibusque in Senatu sententias dicere licet.* Mos erat sane olim, ut praetextati Senatorum liberi, simul cum Patre curiam

(a) Hotom. *lib.* 2. *cap.* 10. *Antiq. Rom.*

Digitized by Google

am ingrederentur: sed Senatusconsulto fuit sublatus; unique Papirio Praetextato datus aditus ad curiam, praemio repraesentatae in puerili aetate prudentiae, cum matrem, a qua de rebus in Senatu gestis interrogabatur, mendacio elusit: qua fide & praematura sane gravitate meruit, ut nondum assumta virili toga pro Senatore haberetur: ac ab egregio facinore, quod praetextam adhuc gerens ediderat, praetextati cognomen retineret. Tribunis tantum plebis sine lectione censoria post Atinium plebiscitum tributam fuisse senatoriam dignitatem scimus: Siquidem haec Gellius refert ex Capitone: (a) *Tribunis plebis Senatus habendi jus erat, quanquam Senatores non essent ante Atinium plebiscitum.* Atinium fuisse Sigonius suspicatur Tribunum illum plebis, qui Q. Metellum Macedonicum de Saxo dejici jusit, a quo Censore in legendo Senatu fuerat ipse praeteritus: rogavitque populum, ut Tribuni plebis deinceps Senatores essent; metuens ne iterum a sequentibus Censoribus praeteriretur. Antequam autem census institueretur Paulus Manutius ex Livianis verbis in oratione Canuleji colligit, Senatores fuisse creatos a populo, & aliquo etiam tempore post censuram institutam: siquidem in ea oratione legitur patrum multos fuisse cooptatos, aut lectione Regum, aut jussu Populi, cui testimonio aliud longe illustrius accedit ex Cicerone in oratione pro Sext. *Majores*, inquit, *nostri cum regiam potestatem*

(a) *lib. 14. c. 8.*

Digitized by Google

statem non tulissent, ita Magistratus annuos creaverunt, ut consilium Senatus Reipublicae proponerent sempiternum: deligerentur autem in id consilium ab universo populo. Hujus ordinis insigne fuit tunica laticlavis, sive clavis purpureis veluti floribus distincta; qui Senatoria in veste lati erant, angusti vero in equestris ordinis tunica. (*a*)

(a) Rosin. *Antiq. Rom. lib. 5. cap. 33.*

Reliquus Populus nec Senatores, nec equites; verum plebs erat; eaque vel rustica, vel urbana. Rustica cultui agrorum operam dabat. Romulus enim, secundum militarem, rei rusticae curam voluit esse praecipuam: unde priscis temporibus non infimus tantum ordo, sed & Senatores atque patricii, cum a belli administratione vacarent, ac res domi forisque quiescerent, rei rusticae sese dabant: ut Dictatores etiam, & Consules ab aratro accerserentur: id quod de L. Cincinnato, & Quintio Claudo, & de Curio, Fabritio, Regulo, Serrano, Consularibus illis & triumphalibus viris est literis traditum. Quique colendis agris operam dabant, ii & magis in militia strenui, & honestiores & graviores erant in civili vita. Praedia vero vel propria quisque colebat; vel de publico assignata. (*b*)

IV. DE PLEBE RVSTICA, ET VRBANA.

(b) Sigon. *lib. 2. cap. 6. antiq. jur. civ. Rom.*

Pars alia plebs urbana erat, eaque vel argentariae, ac mercaturae, foenorique vacabat; vel opificiis; vel urbano servitio, & curiae forique ministerio. Vnde, praeter artifices & argentarios & mercatores, erant & tribuni aerarii, qui Asconio, (*c*) & Varrone auctoribus pecuniam in

V. DE PLEBE VRBANA ET TRIBVNIS AERARIIS.

(c) *lib. 4. de ling. latin.*

sti-

stipendium militum de aerario Quaestori Proconsulis adnumerabant; quorum memoriam licet ab antiquissima aetate repetere, cum eorum mentio fuerit apud Catonem (a) a Gellio adductum. Hujusque ordinis magnum fuisse numerum ostendit lex Aurelia, qua cum equitibus, & Tribunis aerariis communicata fuere judicia, quae antea penes solos Senatores erant. (b)

(a) *lib. 7.*

(b) Hotom. *de Magist.* Sigon. *de antiq. jur. civ. Rom. lib. 1. c. 8.*

VI. DE SCRIBIS, APPARITORIBVS, ACCENSIS, INTERPRETIBVS, PRAECONIBVS, VIATORIBVS, LICTORIBVS.

Huic accedebat ordo Scribarum, qui leges, actus, rationesque omnes publicas perscribebant, ac referebant in tabulas. Quod negotium haud parvi sane momenti dabatur viris honestis, quippe futuris custodibus fidei publicae, publicaeque voluntatis conservatoribus. Quam ob causam & apud Graecos hominibus honestiori loco natis hujuscemodi munus deferebatur. Quamvis Cornelius Nepos in Eumene Scribarum munus in majori apud Graecos honore, quam apud Romanos fuisse scribat. Apparebant autem magistratibus, eisque leges & jura subjiciebant. Cum enim qui magistratum inibant, praesertim juvenes, munus plerumque suum ignorarent, cogebantur id a Scriba, quem usus peritum fecerat, cognoscere: ita ut Scribae, qui leges ad manum habebant, essent quodammodo doctores magistratuum: quorum jurisdictio pro consilio & arbitrio Scribarum explicabatur. Hinc cum horum arrogantia nimis exultaret, resedit tandem Catonis opera: (c) qui deprehensam illorum ignoran-

(c) Plutarch. *in Cat. maj.*

Digitized by Google

rantiam castigavit. Cumque numerus eorum minime esset exiguus, dispertiti fuerunt in decurias; in quibus, qui Scriba fieri optabat, locum sibi aliquando emere solebat. (a) Et quoniam jus erat magistratibus Scribas legere; (b) ideo qui a Quaestore legebantur, quaestorii scribae; qui ab AEdili, AEdilitii; qui a Praetore, Praetorii vocabantur. (c) Extat & apud M. Varronem (d) de Scribis Pontificum mentio: itemque in veteri inscriptione apud Onuphrium. *Agriae Triphosae Vestificae Livius Theona ab Epistolis Graec: Scriba a libris Pontificalibus conjugi Sanctissimae B. D. S. M.* Erant & Scribae navales, quos Festus ait omnium fuisse gradu minimos, propter pericula quae subibant. Suum quoque locum tenebant apparitores magistratuum, & accensi, sic appellati quod accirent, sive exciperent mandata Consulis, (e) & vocarent ad comitia centuriata, itemque ad tribunal Praetoris eos, quibus erat jus reddendum; vel molestis interpellationibus silentium imponerent. Erant & interpretes, a quibus exterorum sermo aperiebatur: item & praecones, qui vel ad hastam in auctionibus stabant, ut oblata pretia significarent; vel in comitiis magistratuum, ut populum cogerent ad suffragia, & designatos renunciarent, vel in judiciis & quaestionibus, ut judices, & reos, & accusatores, & testes accirent, vel subjiciente scriba ferendas leges populo recitabant; vel in concionibus audientiam faciebant. Lictores etiam erant, qui summovendo populo, fontibus caedendis, ac se-

(a) Civ. *Cluentii Livi, lib. 40.*
(b) Adrian. Turn *adverf. lib. 11. cap. 10.*
(c) Sigon. *antiq. jur. civ. Rom. lib. 2. cap. 9.*
(d) *lib. 4. de ling. latina.*
(e) Varro *de ling. lat.* Sig. *lib. 2. cap. 15. de antiq. Civ. Rom.*

Digitized by Google

curi feriendis, faciendisque jussibus praesto erant Consulibus, Praetoribus, Interregibus, & Dictatoribus: ac lictores a ligando dicti, quod sontibus ad supplicium manus ligarent. His affines viatores, qui jussu magistratuum accersebant a via, vel aliquod nunciabant, atque hinc dicti viatores.

VII. DE OPTIMATIBVS, POPVLARIBVS, NOBILIBVS, IGNOBILIBVS, HOMINIBVS NOVIS.

Porro cum cives Romani pars bonis & probis fefe darent; pars in seditiones & tumultus ruerent, quorum plerique studiosi erant plebis: Hinc illi optimates dicti sunt; hi populares: quoniam illi cum Senatu faciebant; hi cum seditiosis tribunis plebis, cum alioqui non semper vox popularis in odiosam significationem detorqueretur. Atque haec est tertia populi Romani divisio. Rursus cum ii, qui magistratus curules gesserant, nempe Consulatum, Praeturam, Censuram, Aedilitatem, possent imaginem sui pictam relinquere posteris; contigit, ut Civium Romanorum alii majorum imagines haberent; alii tantum suas; alii nullas: hinc qui majorum imagines haberent nobiles; qui suas homines novi; qui nullas ignobiles dicebantur. Vnde patricii, quibus tantum initio Vrbis magistratus & honores, rejecta plebe, patuerunt, olim tantum dicti sunt nobiles; postea etiam plebeji: quorum scilicet majores magistratus curules gesserant, atque haec quarta est a dignitate sumta divisio.

VIII. DE CENSORIBVS,

Vniversus autem populus describebatur, atque in ordines tribuebatur a Censoribus: quorum potestas decerpta fuit ex imperio consulari,

atque

Digitized by Google

atque in peculiarem collata magistratum A. V. C. CCCX. (a) quoniam Consules assiduis bellis & gravioribus negotiis occupati censui peragendo minime vacare poterant: unde, annos septendecim census, res civibus maxime salutaris, fuerat intermissus. (b) Censum autem instituerat Servius Tullius, qui quantum quisque haberet aestimari, civesque Romanos per capita censeri jussit: unde postea censores dicti, quod ad eorum censionem, (c) sive arbitrium describebatur populus, & per eos facultates & bona singulorum aestimabantur, atque in censorias tabulas referebantur, ut pro substantiis tributa penderentur: hinc census nomine bona, & fortunae comprehenduntur. (d) Censores creabantur duo quinto quoque anno. Quo tempore quia civitas a Censoribus lustrabatur, ideo lustri vocabulo quinquennium significatur. Olim quinquennium Magistratus durabat; (e) postea per Mamercum Dictatorem annuus & semestris factus fuit. His non opes modo civium aestimandae, sed & mores regendi committebantur. Ab his vitae singulorum aut laus impertiebatur, aut inurebatur infamia: totaque Vrbs animadversione illorum emendabatur; ut qui censoribus placuisset statum singuli retinerent. Senatorem enim, cujus turpem vitam deprehendissent, Senatu movebant: equitem, ademto equo publico, ad plebejos reliciebant: plebejos, ademto suffragio, tribu submovebant, ac referebant in ceritum tabulas, ut fierent aerarii, sive ut civis conditionem non nisi

(a) Liv. lib. 4.

(b) Liv. lib. 1. cap. 43.

(c) Varr. lib. 4. ling. Latin. Fest. lib. 3.

(d) Liv. lib. 4. cap. 8.

(e) Liv. lib. 4. c. 24. & 9. c. 33.

Digitized by Google

pendendo tributo retinerent privati jure suffragii: quod Cerites primi fuerint e municipibus, quibus Romani jus Civitatis concesserint; ut tamen publicis negotiis & honoribus abstinerent, quod tradit Gellius. Ad hujusmodi conditionem ignominiosi a Censoribus redigebantur. His animadversionibus singulorum ordinum maculas, rejectis turpibus, eluebant, judiciumque suum promulgabant, cum peractum censum recitarent. Siquidem is Senatu motus, & equo annuloque privatus putabatur, qui a Censoribus fuisset in census recitatione praeteritus. Qui autem in ea recitatione fuisset ex Senatoribus primo loco nominatus, is Princeps Senatus dicebatur: Qui honos praeterquam consularibus & censoriis habebatur nemini: unde cum alter Censorum virtute ac splendore ceteris Senatoribus anteiret, ab ipso Collega in census recitatione Princeps Senatus constituebatur. Porro a Censoribus loco motus poterat aliquando pristinum gradum, vel per alios Censores, vel per judices recuperare; si Censoris animadversio, non tam veris criminibus, quam turpi fama, saepe alieno livore conflata, niteretur. Contigit enim non raro, ut qui a Censoribus exuti dignitate fuissent, ad censoriam & ipsi dignitatem, repetitis honoribus, pervenirent. (a) Animadversionis censoriae causa non solum turpitudo vitae, sed etiam negligentia fuit: quandoquidem in Equitem, qui equum macilentum, & parum nitidum haberet; aut in eos, qui agrum incultum possi-

(a) Cicer *pro Cluent.* Valer. Max. *lib.* 2. *c.* 9.

Digitized by Google

possiderent, ac sordescere sinerent animadvertebant. Vectigalia item, & fundi publicanis per Censores in conspectu populi Romani locabantur: item & publica aedificia corrupta, vel neglecta reficienda dabantur; veluti templa, viae, pontes, aquaeductus. Censoris etiam curae suberant precia sacrificiorum, & anseres; qui ob memoriam servati Capitolii de publico, jussu Censorum, alebantur. Neque legum condendarum, aut abrogandarum potestate Censores carebant certis in causis; nempe nuptialibus: iisque negotium datum erat, ne quem in Vrbe coelibem esse paterentur. Cum quis in censura decessisset, non modo in locum mortui nemo sufficiebatur; sed & Collega magistratu abibat, omnis causa, cum anno, quo Roma capta fuit a Gallis, Censorem mori contigerit. Initio patriciorum tantum erat magistratus; anno tandem Vrbis CDII. plebeis etiam patuit.

IX.
DE TRIBVBVS RVSTICIS & VRBANIS.

Igitur civium ordines per censores descripti & emendati tribuebantur in triginta & quinque partes, quas vel a conferendo tributo, tribus appellabant; vel quod initio populus trifariam esset divisus a Romulo, cui tribuum institutionem plerique scriptorum (a) Dionysio subscribentes assignant. Tres autem tribus in tres conjectae fuerunt regiones. Prima tribus fuit Ramnensium a Romulo dicta, in quam Graecanici homines, qui latinos agros incolebant, & Albani, quos Romulus secum duxerat, confluxerunt, & Palatium ac Coelium tenuere

(a) *lib. 2. in Rom.*

montes. Altera Tatienſium a Tito Tatio Sabinorum Rege, quem ſimul cum ſuis poſt confectum bellum Romulus in urbem accepit: eamque tribum in capitolio & quirinali locavit. Poſtrema Lucerum fuit: cujus nominis certa non fertur origo, cum alii dictam arbitrentur a Lucumone Etruſco; alii a Lucero Ardeate, qui ſub Romulo domicilium & fortunas ſuas Romam tranſtulerat; alii a Luco, in quem, praeter Sabinos & Albanos, reliquus confluxit ex finitimis, & advenis collectus populus; qui loca plana inter palatium & capitolium atque circum forum inſederunt: ex quibus deinceps tribus aliae ſunt derivatae. Verum aucta multitudine civium, Servius Tullius Vrbem ampliavit, pomoerioque incluſit Viminalem, & Exquilinum collem, intulitque novam tribuum rationem, & numerum: tributaque Vrbe in regiones quatuor, totidem conſtituit tribus urbanas, quibus e locis Vrbis nomen impoſuit: eaque nomina fuere ſuburana, palatina, exquilina, collina. (a) His adjectae multitudinis ruſticae tribus quindecim: quae cum a locis, ut urbanae, nomen traxiſſent, poſtea pleraeque exuto priori nomine, ab illuſtrioribus familiis, quae in ſingulis locatae tribubus erant, alia ſibi nomina induerunt. Cumque ſub Servio Rege decem & novem eſſent tribus; ſequentibus temporibus, increbreſcente usque multitudine, lectione cenſoria novae ſunt adjectae, ut ad trigintaquinque pervenerint: isque numerus conſtitit, permanſitque etiam inter ur-

(a) Dionyſ. lib. 4.

ba-

banas, & rusticas prisca distinctio: ac sordes in urbanas; in rusticas flos urbis, & illustriores familiae conjectae fuerunt: propterea quod apud Romanos, secundum militarem, praecipua ex instituto Romuli erat dignitas rei agrariae: (a) cui nobiliores, & splendidiores operam dabant, relictis opificiis & officinis penes servos, aut infimam plebem. Nunc tribuum nomina, eorumque nominum rationem subjicianus: ac primo loco tribus urbanas quatuor describemus, quibus quatuor urbis regionum nomina haeserunt. Prima igitur Suburana dicta est: nominisque origo subura; quasi sub antiqua Vrbe, ut Junius apud Varronem docet. (b) Suberat enim ei loco qui murus terreus vocabatur. Varro tamen deducit nomen a Pago subcusano: traditque pro C. litera substitutam fuisse B. & pro S. subjectam R. ut in plerisque nominibus Romanorum post propagatam apud Romanos literam R. (c) Secunda Exquilina ab Exquiliis: quas alii ab excubiis Regis dictas putabant; alii quod excultae fuissent a Tullio Rege. Tertia Collina ab duobus collibus Viminali, sic dicto, quod ibi vimineta fuerunt; vel ab Jove Viminio, cujus ibi erant arae, & Quirinali, ubi Quirini fanum. Quarta Palatina a Palatio Monte, cui nomen dedit vel balatus pecorum, ut Varrone teste putabat Naevius; vel Palatini sive Aborigenes, qui ex agro Reatino profecti, qui ager Palantium appellabatur, cum Vrbis locum tenuerunt. (d) Nunc progrediamur ad rusticas, nempe primo ad quintam

(a) Plin. lib. 18. c. 3. Varr. lib. 2. de re rustic.

(b) lib. 4. de ling. lat. p. 22. Turn. ibid.

(c) Vid. Fest. in Sub. Trib. ibid.

(d) Varr. ibid. Turn. ibid. p. 13.

Digitized by Google

(a) Varr. *ibid.* tam: quae dicta fuit Romilia, (*a*) quod esset sub Roma: cui tributi Onuphrius assignat eam agri partem, quae in Tusca prope Vrbis moenia, secundum flumen, ad maris ostia, trans Tyberim, excurrebat. (*b*) Sequitur sexta Lemonia, a pago Lemonio, qui est in via latina. (c) Septima Pupinia, ex agro Pupinio in Latio, cis Tiberim, ad mare pertinens. (*d*) Octava Galeria, cujus nominis certam originem nemo veterum prodidit. Sicut nec nonae Polliae; ac Decimae Valtiniae. Ideoque Sigonius & Onuphrius ab ignotis nobis locis nomen traxisse putant. Quae sequuntur eae sunt, quas veteri exuto nomine, novum ab illustribus familiis traxisse diximus. Vndecima igitur Claudia, ab Appio Claudio, qui eam in tribum se familiamque suam conjecerat. (*e*) Sicuti duodecima AEmilia, a celeberrima AEmilia gente: & decima tertia Cornelia, ab antiquissima gente Cornelia, & decima quarta a Fabiis Fabia. Decima quinta, ab Horatiis Horatia. Decima sexta, a Meneniis Menenia. Decima septima, a Papiriis Papiria. Decima octava, a Sergiis Sergia. Decima nona, a Veturiis Veturia. His adjectae fuerunt anno V. C. CCLVIII. a Clustumina sive Crustumina Tuscorum Vrbe, Crustumina tribus vigesima; & vigesima prima, a Vejis agroque Vegentium Vejentina. Et anno V. C. CCCLXVI. vigesima secunda Stellatina, a campo Stellate non eo, qui est in Campania, sed eo, qui ad primum lapidem abest a porta Capena, sic a Tuscis appellato.

(b) *lib. 2. comment. Reip. Rom.*

(c) Cic. *Phil. 9.*

(d) Valer. Max. *lib. 4. cap. 4.*

(e) Liv. *lib. 2.* Halicar. *lib. 5.*

Digitized by Google

lato. Vigesima Tertia Tromentina, a Tuscorum Campo Tromento. Vigesima quarta Sabatina, a lacu Sabate. Vigesima quinta Arniensis, a Tusco flumine Arno, ut Sigonius & Onuphrius putant. Rursus anno CCCXCV. addita est tribus vigesima sexta Pomptina ab Agro Pomptino: & vigesima septima Popillia, quae scribitur etiam Poplilia, & Pobilia & Pulilia: idque nomen Scaliger ad Festum deducit a Popillia foemina; Onuphrius a loco. (a) Anno autem V. C. CDXXI. adjecta est vigesima octava tribus Maecia, a Castro Maecio: & vigesima nona Scaptia, ab Vrbe Scaptia. Et anno CDXXXV. tribus trigesima Vsentina, a fluvio Ousente: & trigesima prima Falerina, ab agro Falerno. Accesserunt anno ab V. C. CDLV. trigesima secunda Anienſis, ab amne Aniene: & trigesima tertia Terentina, a loco quodam in campo Martio, cui nomen Terentinum. Et anno DXII. a Sabinorum lacu Velino, Velina tribus trigesima quarta: & trigesima quinta Quirina a Curensibus Sabinis, ut Festus suspicatur. Quamvis autem praeter haec alia supersint tribuum nomina in inscriptionibus, & veterum libris; tamen non alias tribus forte designant quam descriptas, quibus plura saepe indita fuere nomina.

(a) Liv. lib. 9.

X. DE CVRIIS.

Cum populum omnem Romulus in tres, ut diximus, tribus descripsisset, easdem tribus divisit in Curias triginta; ut tribus una decem complecterentur curias. (b) Harum autem singulis certum constituit numerum, certaque Sacra

(b) Dionys. lib. 2.

cra praescripsit, aedesque destinavit, in quas singulae Curiae ad communia Sacra peragenda, epulasque publicas, summa cum hilaritate, celebranda convenirent: ut his epulis, eaque sacrorum communione animorum concordia coalesceret. Ad Sacra vero pecuniam attribuit ex aerario: quique tum Sacris, tum aedibus, & singulis Curiis praeerant, Curiones appellati. Singulae vero Curiae, vel a Sabinis mulieribus, vel a locis traxere nomen; vel, ut Varro tradidit, a Ducibus, & veteribus, unde populus decesserat, locis. Auctis tribubus, vetus tamen Curiarum numerus est retentus: ac propter multitudinem tantum attributa sunt ampliora loca, ad quae populus e veteribus Curiis angustioribus evocaretur; relictis tantum propter religionem in antiquis locis quatuor Curiis; nempe Forienſi, Rapta, Vellenſi, Velitia. Cum autem Curiae simul cum tribubus auctae minime fuerint; evenit, ut & Curiae Rusticae nullae essent: & qui erant ex municipiis, cum tribus haberent, non tamen Curiarum essent participes. Atque hac ratione populum descripsit Romulus.

XI. DE CLASSIBVS ET CENTVRIIS,

Alia est autem a Servio Tullio census auctore orta divisio in sex classes, & centum tres, & nonaginta centurias: atque in classibus, & centuriis constituendis non a locis, aut communibus Sacris, (a) sed a censu rationem inivit. Vnde in primam classem conjecit, qui centum millia aeris, aut majorem censum haberet: eaque classis obtinebat octoginta peditum centurias; quarum quadraginta juni-

(a) Sig. *lib. 1. cap 4 de antiq. jur. Civ. Rom.* Dionys Hotm. Rosin. *Antiq. lib. 6. cap. 8.*

Digitized by Google

juniorum, erant, totidem seniorum, & decem, atque octo equitum. Altera continebat centurias decem seniorum; totidem juniorum; & duas fabrum: eratque intra centum usque ad quinque & septuagínta millium census. Tertia continebat eodem aetatis discrimine peditum centurias itidem viginti, eratque census millium quinquaginta: quarta continebat etiam centurias viginti, additis tubicinum duabus; eratque census quinque, & viginti millium. Quinta continebat triginta peditum centurias aetatis etiam ratione distinctas; quindecim scilicet seniorum, juniorum totidem: eratque undecim millibus censa. In sextam demum classem conjecti fuerunt egeni, & tenues, nempe proletarii, qui tantum propaganda, & alenda prole Rempublicam juvabant; ideoque dicti proletarii, & capite censi; quod propter inopiam caput tantum, & nomen, non autem bona profiterentur in censu: ejusque classis nulla est habita ratio nullus descriptus, aut definitus numerus: eaque pro una centuria numerabatur: ita ut centuriae omnes numerum referrent CXCIII. Prima enim classis erat VCVIII. Centuriarum. secunda XXII. tertia XX. quarta XXII. quinta XXX. Ceterum initio populi divisio per classes, & centurias minime communicabat cum altera divisione facta per tribus: verum expletis triginta quinque tribubus, utraque partitio convenit, & classes, atque centuriae collatae sunt in tribus: ita ut populus universus in tribus, tribus autem singulae

Digitized by Google

in quinque classes, classis autem in suas quaeque centurias tribueretur.

XII. DE TVRBA FORENSI.

Postremo habuit & plebs Romana (a) suam faecem, sordiumque colluviem collectam ex egenis, quos diximus, & proletariis, sine lare, sine tecto, sine sede vagos, effusos, egestate, vel pravitate, & desperatione rerum omnium ad tumultus, & flagitia paratissimos, quos turbam forensem Livius, quod in foro ad captandos legis Agrariae rumusculos ociosa staret; Cicero urbanam plebem; Horatius, quod non toga, sed tunica tantum ob egestatem uterentur, tunicatum popellum appellavit. Hos, ut mendicitatem eorum levarent, in agros publicos deducebant: hos praedae cupidos, & ob summam miseriam nullam deteriorem conditionem pertimescentes seditiosi quique, dum turbare, ac miscere vellent omnia, in meliorum fortunas, & opes impellebant, veluti ad hostilem praedam. Produximus jam integrum Reipublicae Romanae corpus, membris etiam potioribus notatis: nunc vim & potestatem ordinum, eorumque partes in rebus gerendis, consiliisque publicis agitandis, condendisque legibus aperiamus. Nec me fallit, minime omnia perpetuo tenuisse, sed mutationibus crebris modo inclinasse multa, modo convaluisse, atque ad plebem modo, modo ad Senatum, & Consules recidisse. Verum nos ea potissimum oratione nostra complectemur, quae maxime fuere diuturna: tempusque illud potissimum spectabi-

(a) Sigon. de ant. jur. Civ. Rom. lib. 2. c. 13.

Digitized by Google

bimus, quo firmioribus ſtetit Romana Reſpublica viribus.

XIII. DE CONSVLIBVS.

Regimen igitur ea triplex praeferebat; Regium in Conſulibus; Ariſtocraticum in Senatu; populare in Tribunis & plebe. Quandoquidem Conſules ſpeciem praebebant Regiae poteſtatis, quae nomine ſublato maxime in Reipublicae Romanae regimen influebat. Ergo in Conſulum auctoritate, dum eſſent in urbe, urbanae res omnes, & Reſpublica tota recumbebat. Quippe Conſulibus, praeter Tribunos plebis, magiſtratus ſuberant omnes: illis introducentibus, legationes Curiam adibant: eorum conſiliis oblata negotia expediebantur: eisque referentibus gravior deliberatio ad Senatum rejiciebatur: illis juſſa Senatus perficienda committebantur. (a) Quae vero cum populo communicanda fuiſſent, & per populum tranſigenda, Conſulum erat maturiori conſilio antea perpendere, atque examinare, concionesque ad tempus advocare; dimiſſoque Senatu ad populum decreta Patrum, & Senatus conſulta referre; quodque major pars ſciviſſet imperare. Quamvis autem a Coſs. provocatio eſſet ad populum, neque liceret iis injuſſu populi animadvertere in caput civis Romani: tamen poterant coërcere fontes, ac jubere in vincula publica duci. Dum vero ad bellum cum exercitu proficiſcerentur, rerum omnium ſummam pro arbitrio adminiſtrabant: nam ne bellici negotiis, unde publica quies pendebat, aliquid injiceretur morae, viſum

(a) Polyb. lib. 6. Hotm. antiq. lib. 1. cap. de Coſſ.

Digitized by Google

est liberam administrandi potestatem deferre Consulibus: ne in re trepida inopia consilii se se implicarent. Licebat igitur iis castrense momnem disciplinam pro arbitrio regere, tribunos militum creare, delectum habere, de publico aere per Quaestorem, quantum usus ferret, impendere, in castris supplicium sumere, sociis quantum visum fuisset imperare. Consules quoque ante praeturam constitutam jus in Vrbe dixisse colligitur, ex Livio, Dionysio, Pomponio. (a) Senatores pignoribus captis in Senatum venire cogebantur a Consule, ut Plutarchus, & pluribus locis Cicero tradit. Porro consularis aetas erat annorum quadraginta trium ex lege annaria. (b) Creabantur autem comitiis centuriatis: (c) & cum duodecim fascibus & Lictoribus alternis mensibus incedebant: Sellam habebant curulem, induebanturque toga praetexta: quam capiebant ante Deos Penates, primo magistratus die; (d) sceptrumque, sive Scipionem manu gerebant eburneum: e) & ex Vrbe ad bellum paludati, votis publicis nuncupatis, proficiscebantur. Magistratum inibant Kalendis Januariis, & aliquando Idibus Martiis; eorumque annuum erat imperium. Atque haec sunt regiae potestatis reliquiae, quae post exactos Reges in Cos. coaluere.

(a) *Lib. 2. ff. de orig. juris.*

(b) Cicer. *pro Murae: & ep. lib. 7.*

(c) Manut. *ad epist. 1. Cic. lib. 1. Verb. Hortensii.*

(d) Dionys. *lib. 3.*

(e) Lipsius *in Not. Varior. ad Sallust. de Bello Catil. pag. 83.*

XIV. DE SENATV ET EJVS POTESTATE.

Optimatum vero regimen Senatus exprimebat auctoritas. Etenim ut Dionysius refert, (f) vetustissima lege Respublica omnis in Senatus erat potestate; praeter magistratuum crea-

(f) *lib. 2.*

Digitized by Google

creationem, legationem, & belli pacisque arbitrium. (a) Quo tempore Livius tradit populi jussa minime fuisse firma, nisi patrum accessisset auctoritas. Quae post populi secessiones sacratis legibus adeo fuit extenuata; ut cum antea populus auctoritate Senatus regeretur; postea populi jussu Senatus confirmaretur auctoritas. Quae autem Senatus, constituta Republica, populi jussu ad curam suam revocasset, ea ex (b) Polybio promta breviter exponemus. AErarium & pecunia publica Senatus arbitrio dispensabatur. Quaestores enim, nisi Consul imperasset, minime poterant vel ad minimos sumtus pecuniam publicam delibare injussu Senatus. Controversias praeterea in Italia suscitatas, si publica essent objurgatione, aut gravi decreto componendae, Senatus ad se trahebat. Hinc in veteri tabula aenea in Liguria inventa legimus, missos a Senatu arbitros finium regundorum inter Genuates, & Veturios esse; reque cognita Romam venire jussos sententiam ex S. C. dicturos. (c) Ad bellum etiam indicendum, aliudve quid grave negotium administrandum, Legatos Senatus mittebat, & opes atque subsidia indigentibus populis decernebat. Quomodo exterae legationes essent excipiendae, aut dimittendae; quidve postulatis respondendum, Senatus providebat; ut absentibus Consulibus, tota videretur a Senatu sustentari Respublica. Consulibus etiam frumentum, & vestes, & pecunia ad militum stipendia sufficiebantur; & numerus militum explebatur, & statue-

(a) *Vid.* Zamo: *hoc est* Sigonium *de Senat. lib. 2. pag. 171.*

(b) *lib. 6.*

(c) *Apud* Zamo: *de Senat. Rom. lib. 2. pag. 176.*

Digitized by Google

tuebatur jussu Senatus: cujus erat confecto anno, vel prorogare imperium, vel alteri demandare provinciam. Quam Senatus dominationem ut infringeret Tiberius Gracchus tulit, ne quem plus anno provinciam consularem tenere Senatus pateretur. (a) Verum non tam imminutam hac in re, quam ampliatam Senatus potestatem a Gracchis apparebit: si illud animadvertemus, lege Sempronia (de qua Cicero pro domo sua) a Cajo Graccho latum fuisse, ut provinciae quotannis quidem, sed per Senatum decernerentur; utque nemini intercedere liceret. (b) Res ab Imperatoribus gestas Senatus testimonio suo extollere poterat, aut extenuare, vel, si visum esset, pecuniam ad triumphum ex aerario promere: unde tum urbanae res, tum quodam modo militares Senatui suberant: nisi tribuniciis intercessionibus res devolveretur ad populum. (c) In eo vero Senatus potestas excellebat maxime, quod in trepidis rebus, atque turbatis infinitam potestatem Coss. Reipublicae administrandae permittebat, gravissimo illo, ac tristi Senatus consulto, quod extremum & ultimum Caesar appellat: (d) *Dent operam Consules, ne quid Respublica detrimenti capiat.* Quae verba summum, & latissimum in Consules imperium transferebant: ut suo jure possent exercitum parare, bellum gerere, coercere quoquo modo patres, atque populum: quarum rerum sine hoc S. C. jus minime Consulibus fuisse injussu populi (e) Sallustius docet. Senatus voluntas Senatusconsultis continebatur: quo-

(a) Zamosch. *lib. 2. de Senat. pag. 185.*

(b) Cic. *lib. 1. ep. 7. verb. lege Sempronia, ubi Manut.*

(c) Zamo: *de potest. Sen. lib. 2. pag. 174.*

(d) *lib. 1. de Bell. Civ.*

(e) *in bello Catilin.*

Digitized by Google

quorum conficiendorum rationem breviter explicabimus.

XV. DE SENATUSCONSULTO ET LOCO HABENDI SENATUS.

Igitur veteres, qua erant religione, atque honestate, ut aberrantes animi praesentia numinis ad saniorem sententiam ducerentur, Senatum in loco Sacro, auspiciisque dicato cogere consueverunt. Romulus in templum Vulcani extra Vrbem Senatum vocabat: Hostilius Rex Hostiliam Curiam Senatui habendo destinavit. Pulsis Regibus, modo in templa, veluti Jovis, Apollinis, Martis, Bellonae, Castoris, Concordiae, Virtutis, Fidei, modo in Curias, Hostiliam, Pompejam, Juliam, (in quibus ejus rei gratia fuere templa (a) per augures constituta) consultandi causa Senatores convenisse in veterum libris observamus. Audiendis autem legationibus, ne status Vrbis exteris pateret, locus extra muros erat constitutus, in aede Bellonae: quo conveniebant etiam cum quis audiendus erat, qui cum imperio esset: cui, nisi deposito Imperio, Vrbem intrare minime licebat. Si quod vero portentum nunciaretur, sub Dio consultabant: quia religio erat Senatum sub tectis habere. Nicostratus, cujus liber, quem de Senatu scripserat, injuria temporum intercidit, referente Festo (b), tria olim fuisse Senacula tradidit, unum ubi postea aedes Concordiae fuit; alterum ad portam Capenam; tertium in aede Bellonae. (c) Senacula autem erant in templis, aut curiis loca auspiciis dicata, in quibus Senatores considebant.

(a) Gell. lib. c. 7.

(b) Verba: Senacula.

(c) Festus.

XVI. DE TEMPORE

Senatui autem habendo stata erant praefinita-

Digitized by Google

HABENDI SENATVS.

nitaque tempora, nempe Kalendis, Nonis, Idibus, exemtis diebus comitialibus, in quibus cum populo agebatur: quo tempore per legem Pupiam non licebat haberi Senatum: (a) ne patres a suffragiis ferendis avocarentur. At mense Februario toto Senatus postulatis Provincialium, & Legationibus audiendis cogebatur lege Gabinia. (b) Et cum Senatores statis temporibus conveniebant, legitimus Senatus dicebatur. Indictus autem, cum extra ordinem, ac praeter constituta tempora, in re trepida, ad grave aliquod negotium explicandum, a majori magistratu Senatus indicebatur. Vnde inter legitimum, & indictum Senatum est orta distinctio: quae legitur apud Capitolinum in Gordiano. (c)

(a) Cic. *lib. 1. Epist. ad Lentul. & ad Quintum Fratrem.*

(b) Cic. *lib. 2. ad Quintum Fratrem.*

(c) Hotm. *de Antiq. lib. 1. de Senat. cap. 5.*

XVII.

DE VOCANDO SENATV.

Vocabatur autem Senatus a majori magistratu, qui esset in Vrbe, nempe a Dictatore, quando in magno Reipublicae discrimine creabatur; vel ab eo Consule, penes quem fasces essent illo mense. Consulibus autem absentibus, a Praetore; qui secundum Consulem potiorem obtinebat in Vrbe locum: ita ut in Consulis locum eo absente succederet, eademque ratione, dum rebus praeessent Decemviri, vel tribuni militares, vel Interreges, vel Triumviri Reipublicae constituendae causa creati, per hos haberi Senatum oportebat. (d) Quae Gellius ex Varrone retulit. Illud quaeritam quoque scripserat Varro, an majoribus magistratibus absentibus, atque etiam praetore, jus hoc devolveretur ad Praefectum Vrbi; qui proximus a Praetore pote-

(d) *Lib. 14. cap. 7.*

Digitized by Google

potestatis gradum obtinebat, Senator tamen non erat? Et a Praefecto Vrbis Tuberonem, & Capitonem (a) contra Mucium stetisse legimus: cum & Tribunis plebis ante Atinium plebiscitum, quo Senatores facti sunt, Senatum habendi jus fuisset.

(a) Gell. lib. 14. cap. 8.

XVIII. DE JVRE REFERENDI, SENTENTIASQVE ROGANDI.

Porro qui Senatum habebat, is jure suo referebat: ac si detrectaret, eas partes Tribunus plebis suscipiebat: (b) cui & jus erat, aut addere quod visum erat relationi Consulis; aut eam persequi, aut novam exordiri. Sententiam autem rogabantur ante comitia quidem Princeps Senatus, post comitia vero Coss. designati; & eorum is, qui prior fuerat renuntiatus: Secundum hos, ii qui Consulibus rogantibus viderentur: Modo ne gradus magistratuum negligerent, ac ne Praetorium Consulari; Aedilitium Praetorio; Tribunitium AEdilitio praeferrent. Atque is est rogandi ordo constantior, ceterum hac in re in Senatu variatum fuisse, pluribus ex veterum testimoniis comprobat (c) Paulus Manutius: Etsi Coss. designatorum, Consularium, & Magistratuum, ex ordine ante omnes habitam plerumque rationem fuisse non ambigitur. Moris autem erat, ut quem ordinem (d) rogandi Consul initio Magistratus instituisset, eum toto anno teneret: unde novum fuit in C. Caesare, ut cum consuevisset a Crasso initium rogandi facere; post junctam affinitatem, honorem hunc transtulerit in Pompejum: quod Suetonius tradit, quem locum sic accipio, ut e Consularibus Crassum, & Pompe-

(b) Cic. orat. pro Sext. & in epist. ad Planc. lib. 2. ep. 1. ad Q. frat. & epist. 2. lib. 1. ad Lent.

(c) De Sen. Rom. c. de ord. rog. sent.

(d) Sueton. in Jul. Caes. c. 21.

Digitized by Google

jum primos post Coss. designatos rogatos censeam, a Caesare. Alioqui falsum esset, quod ex Agellio & Cicerone colligitur; nimirum Coss. designatos primo loco rogatos fuisse sententiam. In quo Suetonii loco explicando mire sese versat Princeps Romanae antiquitatis (a) Manutius.

(a) *De sen Rom. c. eod. ut sup.*

XIX.

DE DICENDA SENTENTIA, & S. C. PER DISCENSIONEM.

Post rogationem a Consule; aut alia ex majoribus magistratibus factam, sententiam dicebant stantes, ea libertate, ut non modo sermones interponere possent alienos; sed novos instituere, atque ad vesperam producere: ita ut eum non liceret, neque ante ortum Solis, neque sub occasum Senatusconsultum condere, (b) qui moram negotiis vellent injicere, diem dicendo eximerent: quod saepe Marcus Cato contra deteriores, & Pub. Clodius adversus meliores feciſse feruntur, dicebantque sententiam suo quisque loco. Sedendi autem is erat ordo, ut primi sederent Consules, Praetores, & proximi Praetoribus Censores, quibus Manutius ex auctoritate Messalae in libris, quos scripserat de auspiciis, secundum tribuit a Praetore locum. Post hos, qui minores magistratus gererent AEdiles curules, AEdiles plebis, Quaestores, atque infra hos forsan Tribuni plebis: quia vere magistratus non erat; quamvis nihil adhuc certi compererim: Deinceps qui defuncti erant magistratibus pro dignitatis gradu, nempe Consulares, Praetorii, AEdilitii, Quaestorii, cumque his etiam ij, qui magistratus minime gesserant; sed vel designatum, vel magi-

(b) Cic. *Phil. 3.*

Digitized by Google

vel magistratu functum accusassent, nocentemque probassent: qui accusationis praemio, in designati locum, & dignitatem succedebant. Si Senator plures res, diversaque capita una sententia complecteretur; tum ab eo postulabatur, ut divideret sententiam, ac de singulis rebus seorsum referret. (a) Neque ei, qui divisionem postulabat oratione longa erat utendum, aut consurgendum: (b) satisque erat, si imperasset *divide*. Dictam autem sententiam Consulis erat pronunciare, ut in quam vellent partem Senatores discederent, quo S. C. fieret: eaque in Senatu Consulis erat auctoritas, ut liceret ei dictas sententias vel pronunciare, vel si contra rem suam venirent, supprimere, ne in eas S. C. fieret. Hinc Caesar libro primo de bello civili scribit. *Lentulus Consul sententiam Calidii pronunciaturum se omnino negavit.* Sententiam vero hac exordiri consuesse formula. *Quod verbo facta sunt de literis:* hac autem concludere, *de ea ita censeo*, ex Ciceronis Philippicis, ubi plura extant exempla, colligitur. Vbi Consul sententiam pronunciasset, ut probantium, vel rejicientium judicia cognosceret, Senatum dispertiebat his verbis: *Qui hoc sentitis illuc transite: qui alia omnia in hanc partem.* Nam ominis causa refugiebant pronunciare *contrarium*: unde id per hanc formulam *in alia omnia* exprimebant. Itaque Senatores mutabant locum & eo concedebant, ubi recitata erat sententia, quam quisque comprobarat. Similem in suffra-

(a) Paedian. *in Miloniana.*

(b) Plin. *ep. ad Arifton. lib. 8.*

Digitized by Google

giis ferendis discessionem in Lacaedemonum Republica primus instituit (a) Sthenelaidas Ephorus; cum antea sententiam suam voce significarent. In eam autem sententiam S. C. condebatur, in quam frequentior numerus Senatorum discesserat. Et si de re levioris momenti, aut minime dubia Consul referret; ne tempus in exquirendis sententiis duceretur, jussu Consulis in eam, quam ille pronunciasset sententiam, tacite discedebant: idque vocabatur S. C. per discessionem. Quamvis enim ad omne S. C. discessio fieret: tamen si singularum sententiarum recitatio discessionem non praecessisset, discriminis gratia S. C. per discessiónem appellabatur: quod scilicet non ore, sed pedibus tantum sententia ferretur, iisque judicium animi significaretur. Ex quibus conficitur Tuberonem, qui omnia S. C. per discessionem fieri dixerat, minime cum Verrone pugnare, qui alia S. C. per relationem, alia per discessionem fieri animadverterat; quod scilicet in aliquibus interveniebat discessio, & recitatio: in aliis vero, recitatione omissa, sola discessio.

(a) Thucyd. lib. 1.

XX.

De justo Senatorum numero.

De numero Senatorum ad S. C. faciendum necessario, nisi augurari velimus, nihil ex veteribus libris compertum nobis est, quod certo ausimus confirmare. (b) Sane scribit Dio, Augustum, cum videret minus frequentes esse Senatores, statuisse, ut ne S. C. fierent minori Senatorum numero, quam quadringentorum: cum neque antea rata essent S. C. quibus minimum quadringenti Senatores non adfuissent. Verum Prudentius

(b) Lib. 54. in fin.

Digitized by Google

tius trecentos tantum judicat justum fuisse numerum. *Hic consulta Patrum consistere conscriptorum, non aliter licitum prisco sub tempore, quam si Tercentum sensisse Senes legerentur in unum.* At hic locus magis ad numerum sententiarum, quam ad numerum Senatorum pertinere videtur. Certum vero numerum fuisse ad S. C. necessarium inde colligitur, quod mos erat, ut quivis Senator, qui S. C. impedire vellet, dicere Consuli posset (*a*) *Numera Senatum.*

(a) Hotm. *antiq. lib. de Senat. c. cap. 7.*

Discessione facta S. C. scribebatur expresso nomine illius, in cujus sententiam fiebat, expositaque summatim re, de qua fuerat consultatum: ut ex his veterum Scriptorum superstitibus exemplis. (*b*) *Quod M. Marcellus Cos. verba fecit de Provinciis: vel Marcus Pomponius consuluit: vel: Quod verba facta sunt de Philosophis, & Rhetoribus.* Scribendo aderant non omnes qui probassent, sed ij, qui majorem sententiae recipiendae operam navassent. Formula enim quaedam S. C. quae extat in epistola Coelii ad Ciceronem, ostendit scribendo paucos affuisse, cum plures consensissent. (*c*) Addebatur & T. litera, qua significaretur idem & Tribunos plebis censuisse: sive non esse intercessum; ideoque S. C. firmum esse. Eorum qui aderant nomina S. C. adscribebantur, dicebanturque auctoritates perscriptae: quia clarorum virorum nomina perscripta magnam S. C. tribuerent auctoritatem.

XXI.

DE CONSCRIBENDO SENATUS CONSULTO.

(a) Hotm. *de Senat. lib. 1. cap. 8.*

(c) Hotm. *de Sen. lib. 1. c. 9.* Manut. *de Sent. Rom. cap. ult.*

Scriptum S. C. initio quidem deferebatur in ca-

XXII.

DE ADSERVANDO S. C.

aedem Cereris; postea vero in aerarium, ab leges, & pretiosissima quaeque Vrbis asservabantur: neque ante ratum erat, quam in aerario conderetur. (a) Qui mos asservandi S. C. fuit institutus ab Horatio Valerioque Coss. qui S. C. in aedem Cereris deferri jusserunt: ne deinceps arbitrio Consulum, ut antea corrumperentur, aut subducerentur. Scribendis S. C. operam dabant scribae: nisi quid S. C. inesset, quod vulgari minime conveniret: id enim tum Senatoris manu scribebatur, excluso etiam pedariis, quod tacitum S. C. fuit appellatum, ut tradit (b) Capitolinus.

(a) Sueton. in August.

(b) Hotm. de Sen. lib. 1. c. 9.

XXIII. DE IMPEDIMENTO S. C. SIVE DE INTERCESSIONE TRIBVN.

Senatusconsultis conficiendis impedimento erant intercessiones eorum, qui vel eadem essent potestate, qua ij qui S. C. facere vellent; vel majore: unde Consul Consuli; Praetor Praetori; ac denique Tribuni plebis, pro potestate sibi sacrata lege tributa, quamvis ex minoribus essent magistratibus, obsistere poterant omnibus, edita voce *Veto*: ita ut vel ab uno Tribunorum, quamvis ceteri consentirent, S. C. impediretur, ac tum Senatus voluntas perscripta cum nominibus eorum, qui intervenirent, Senatus auctoritas, ad comprobandam Senatus voluntatem, dicebatur; resque rejiciebatur ad populum, cujus erat, vel Tribunorum intercessionem, vel Senatus auctoritatem comprobare. Quod si Senatus cum populo conveniret; tum leges ex S. C. condebantur cujusmodi non paucas licet invenire. (c) Nec tamen si qui temere intercederent, id eis

(c) Manut. ib.

Digitized by Google

eis erat impune: cum enim intercessio in rem non esset publicam; aut remittere cogebantur eam; aut poenam aliquando subire. (a) Scribit enim Caesar, in Senatu de Tribunis plebis gravissime fuisse decretum. Ceterum cum ante Atinium plebiscitum Tribunis plebis, qui a Censoribus lecti non essent, minime Curiam ingredi liceret: solebant Tribuni ante valvas Curiae positis subselliis decreta patrum examinare, quod Valerius tradit. (b) In cujus explicatione loci mire se torquet Paullus Manutius: cum, si retulisset mentem ad Atiniam legem, ante quam legem Tribunus plebis sine lectione censoria Senator non erat; explicare se facile potuisset.

(a) Cic. *ad Att. lib. 2.* Caesar *de bello civil. lib. 2.*

(b) *Lib. 2.*

Si qua vero de re privata S. C. conscriberetur, saepe Senatus decretum appellabatur: cum id, quo publica negotia comprehendebantur, nunquam decretum, sed S. C. diceretur. Sunt, qui putarint, caput aliquod S. C. appellari decretum, quam sententiam (c) Aelio Gallo Festus assignat.

XXIV. DE SENATVS DECRETO.

(c) Manut. *de Sen. c. ult.*

Factum S. C. recitabatur, ac postea dimittebatur Senatus his formulis *P. C. nemo vos tenet:* vel; *Nihil vos moror P. C.* tandem impetrata concione S. C. populo exhibebatur, ut populi consensu Senatus voluntas comprobaretur. Siquidem vix ulla de re Senatus decernere poterat adversus populi voluntatem. Et cum initio nulla de re liceret ad populum ferri, nisi ex S. C. consequentibus temporibus per tribunitias seditiones, & diuturnas inter plebem, & Senatum con-

XXV. DE DIMITTENDO SENATV.

Digitized by Google

flictationes, res eo deducta est, ut S.C. non nisi adjuncta lege consisteret.

XXVI. DE RATIONE FERENDAE LEGIS.

Nunc, ut rerum ordo fert, ad rationem ferendae legis, agendique cum populo progrediamur. Hactenus enim, quantum susceptí operis ratio fert, cum Consulum, tum Senatus in administranda Republica, condendoque jure, potestatem proposuimus: modo quae multitudini partes in rebus gerendis relictae fuerint, aperiamus.

XXVII. DE TRIBVNO PLEBIS.

Cum Consulis in bello gerendo, regendaque Republica summum fuerit arbitrium: tamen, nisi Senatus voluntas conatum Consulis adjuvaret, consularis auctoritas pene jacebat: quia Senatus voluntate frumentum, vestes & stipendia ad alendum exercitum sufficiebantur: &, ut diximus, ejus in arbitrio positum erat decernere bellum, & anno jam exeunte aut prorogare imperium, aut alteri provinciam demandare. At cum Senatus aliena Populi voluntate nihil constituere de rebus gravioribus posset, & intercessione tribunitia S.C. vis infringeretur, ac res rejicerentur ad Populum: hinc licet intellige summum rerum arbitrium in Populo constitisse, ac omne imperium, quamvis distractum in plures, refluere tamen ad Populum, tanquam ad caput sedemque suam. In publicis enim rebus auctoritas erat Senatus; potestas tamen, & majestas erat penes Populum. Itaque Populi praecipuum erat non jubere modo, & confirmare; sed abrogare leges, aut emendare, decretaque Senatus mu-

Digitized by Google

munire, vel tollere. Arbiter etiam Populus erat fortunarum, & capitis, poenaeque, ac proemii dispensator: cum honores, & magistratus jussu Populi deferrentur, ejusque judicio, aut multa irrogaretur gravior; aut de capite Civis Romani decernerentur. Quam Populi potestatem praeferebat Tribunus plebis, qui velut imago erat popularis auctoritatis, communisque voluntatis administer, Dux & tutela Civium, arx & praesidium libertatis. Hic specie quidem & nomine vix magistratus erat, immo ne magistratus quidem proprie: cum & Sella curuli, & jurisdictione careret, & non ad jus reddendum, sed ad arcendam injuriam fuerit institutus: re tamen & auctoritate magistratus erat summus, quia intercedendo, & vetando, ac Senatus, Consulisque conatibus obsistendo arbitrio suo cursum consiliorum interrumpebat, atque interponendo sese rescindebat acta Senatus, plusque quodammodo hic vetando poterat, quam Consul imperando. (a) Et quoniam Sacrosanctus erat, lege-(a) Dionys. que Horatia latum fuerat, ut, qui eum violas-lib. 6. Liv. l. 3. set, illius caput Jovi esset Sacrum, familiaque liberi liberaeque ad aedem Cereris venum irent: ideo tuto manus poterat in magistratus injicere, atque ipsum etiam Censorem, immo & Consulem in vincula ducere. Metellum enim Consulem a L. Flavio, & Censorem Appium a P. Sempronio Tribunis plebis in carcerem ductos ex Dione, (b) ac Livio (c) didicimus. Unde vocatio-(b) Lib. 39. nem quidem non habebat, quod jurisdictione (c) Lib. 9.

Digitized by Google

careret; habebat tamen praehenſionem, & viatorem. Creati ſunt initio quinque, anno ab V. C. CCLX. poſtquam plebs oppreſſa aere alieno, vexataque injuriis patrum, qui jure creditorum plebejos ſibi nexos in ſervitutem adigebant, ſeceſſiſſet trans Anienem in Sacrum montem: (a) unde & leges ibi de conſtituenda tribunitia poteſtate conditae Sacratae leges ſunt nuncupatae. Feſtus vero ſacratas fuiſſe leges dictas ſcribit, quia ſancitum iis eſſet, ut qui Tribunos plebis violaret, Jovi eſſet Sacer. Idemque cenſet Sacrum montem dictum, quod eum plebs, cum diſcederet, Jovi conſecraviſſet. (b) Tulit autem eo anno L. Junius Tribunus plebis primus creatus, & Caſſius, atque Cominius Conſules, ut plebi ſui eſſent magiſtratus Sacroſancti, quibus auxilii latio adverſus Conſules eſſet; neve cui patrum capere eum magiſtratum liceret. Adjectum eſt etiam in Aventino foedere, altera nempe ſeceſſione ob Appii Claudii libidinem, concitante Virginio, facta in Aventinum; uti Tribuni plebis magiſtratu, exacto anno, abeuntes totidem alios in ſequentem annum deſignarent; ſi neglexiſſent, confeſtim vivi flammis injicerentur; ſi quae in deſignando inter eos eſſet orta diſſenſio, poteſtas prorogaretur, dum alios crearent. Lex vero Icilia, quam tulit, Sp. Icilius Tribunus plebis, vetuit ne quis Tribuno ad populum concionanti contradiceret, neve eum interpellaret. (c) Lata eſt & Duillia lex, ut qui plebem ſine Tribunis reliquiſſet, quive magiſtratum ſine provo-

(a) Liv. *lib. 2. c. 33.* Onufr. *in Vrb. Rom. p. 153.*

(b) Hottm. *antiq. lib. de Magiſt. c. de Tribun.* Idem *in legibus cap. Sacrata Junia.* Liv. *lib 3.* Dionyſ. *lib. 6.* Gell. *l. 13, c. 13.* Diodor. *lib. 12.*

(c) Dionyſ. *l. 7.* Liv. *lib. 3.*

Digitized by Google

provocatione creaſſet, tergo & capite puniretur. Auctus etiam eſt Tribunorum numerus, ut decem jam eſſent, & quoniam non ad agendum, ſed ad reſiſtendum haec poteſtas fuit inſtituta: (a) ideo plus unius intercesſio pollebat, quàm conſenſus ceterorum. Solennis autem intercessionis formula erat vox illa celebris *veto*. (b) Et quo praeſens omni tempore omnibus eſſet tribunitiae poteſtatis auxilium, ejus domus ne noctu quidem claudebatur: neque poterat Tribunus integrum diem Vrbe abeſſe; niſi Latinis feriis, ut ad eum adverſus injurias perfugium ſemper, & unicuique pateret, tanquam ad portum periclitantium, & aram ſalutis, atque anchoram publicae ſecuritatis. Quo pacto Principes, quo ſe publico praeſidio, ac totius ferme populi auctoritate munirent, tribunitiam ſibi poteſtatem arripuerunt: itaque non armis ſolum, ſed vi ac jure populari exorientis imperii radices perpetuo confirmarunt. Dictatore creato, cum omnes Magiſtratus ceſſarent, hic tamen unus permanebat. Conciderat ſane ſub Sylla tribunorum plebis poteſtas, intercedendi facultate ſublata: ſed eam demum reſtituit Cn. Pompejus. Ita vero magiſtratus hic popularis erat, ut a plebeis avelli nunquam potuerit, & transferri ad Patricios: nemoque niſi plebejus creari poterat: cum ad alios omnes promiſcue plebei, ac patricii vocarentur.

(a) Plutarch. *in Caton. uticen.*

(b) Plut. *probl.* 8. Halicarnaſ. *lib.* 8. Gell. *lib.* 8. *cap.* 2. Macrob. *lib.* 4. Saturn. *c.* 3. *Vide quae diligenter* Cujacius *ad l.* 2. *ff de verb. ſignif. ſive lib.* 1. *Pauli ad edictum.*

XXVIII. DE COMITIIS

Nunc quomodo plebs, & populus duce, ac vindice Tribuno majeſtatem, ac poteſtatem

ſuam ad leges condendas conferret, explicabimus. Senatores quidem in curiam, ut diximus, ac plebei evocabantur in campum, comitium, & forum. Cumque pars populi conveniret, conſilium; cum autem populus coiret univerſus, comitia dicebantur: ac centuriata comitia in campo Martio; curiata in Comitio, quod erat foro adjunctum, immo & ipſum pars aliqua fori, cujus initium a Palatii porta; tributa (*a*) vero habebantur vel in campo, vel in Comitio, vel aliquando in Capitolio, vel in pratis vicoque Flaminiis. Nihil enim referebat extra ne, an intra pomoerium cogerentur: cum alia comitia ſumma religione certis eſſent locis alligata. (*b*) Cum vero conſilia populi, & judicia conventusque judicum celebrabantur comitiis centuriatis: ratio ſuffragiorum non ex ſingulis hominibus ineabatur, ſed ex ſingulis centuriis; ut quod plures centuriae populi ſciviſſent, id ratum juſtumque eſſet: ſicuti & in curiatis, quod plures curiae; & in tributis, quod plures tribus comprobaſſent, id erat firmum. Comitiorum omnium curiata ſunt antiquiſſima, quippe quibus imperii fundamenta jacta ſunt, & a priſcis Regibus ante Servium Tullium, (qui comitia centuriata, & centurias inſtituit,) juſſae leges, creati magiſtratus, bellum & pax conſtituta, ſummaque Reipublicae adminiſtrata: ita ut ſequentibus temporibus, in quibus curiata comitia obſoleverunt, ac tantum religionis cauſa perſtiterunt, quod iis major ineſſet ſacrorum & auſpi-

(a) Marlian. *l. 3. c. 17. & 2. epit. Topograph. Vrbis.*

(b) Pollet. *Hiſt. for. Rom.*

Digitized by Google

ſpiciorum auctoritas : tamen aliis in rebus, ad ſpeciem ſaltem, retenta fuerint : ut cum ſummum magiſtratibus imperium centuriatis obtigiſſet comitiis : tum demum pleno, atque optimo jure datum eſſet, ſi lex acceſſiſſet curiata: quae non quidem veris, ſed per triginta lictores triginta curias referentes, adumbratis comitiis ferebatur : ita ut binis comitiis de majoribus Reipublicae negotiis cum Populo diſceptaretur : quorum priora, nempe centuriata vera erant : poſteriora, nempe curiata in ſpeciem uſurpabantur. Quam vetuſti moris notitiam optimis ſane conjecturis elicuit Nicolaus Gruchius ex M. Tullii locis, (a) quibus in eandem ſententiam & Hottomannus fuit adductus. Qua de re acriter inter Gruchium, & Sigonium dimicatur. Atque ut concludamus breviter, magiſtratibus majoribus, qui centuriatis; minoribus, qui tributis comitiis creabantur; poteſtas accedebat plenior ex curiatis in ſpeciem uſurpatis, tanquam ex ſolemnitate majori, atque umbra quadam veteris majeſtatis. Tributis comitiis non ſolum Vrbani magiſtratus, minores ſcilicet, ſed & Provinciales creabantur omnes, & Pontifices Maximi, Augures, Foeciales, Septemviri epulonum, & quindecim viri Sacris faciundis : atque in horum Sacerdotum creatione tribus ad ſuffragium vocabantur : cum alii Sacerdotes a ſuis Collegis cooptarentur. (b) Iisdem comitiis ferebantur & plebiſcita, quae ad ſolam plebem pertinebant ante legem Hortenſiam, (c) qua

(a) Cic. *de leg. agr.* 2. Hottom. *lib.* 3. *cap.* 12. *Antiq. Rom. de Comit.*

(b) Hot. *Ant. lib.* 2. *cap.* 12.

Digitized by Google

(a) *An Horatiam vide DD. ad l. 2. ff. de orig. jur.*

(a) quâ sedatis discordiis, juris discrimen inter patricios, & plebejos fuit omnino sublatum. Cum enim prius plebiscitis, sive rogationibus tribunitiis a plebe tributis comitiis adprobatis, plebs sola teneretur; Q. Hortensius Dictator tulit, ut deinceps iis etiam Patricii obligarentur, indeque inter leges, & plebiscita discrimen evanuit (*b*). Cum autem Tribuni plebis legem tributis comitiis ferrent, jus evocandi ad suffragium Patricios non habebant; librum tamen erat Patribus suffragium inire. Summa vero vis comitiorum, & potestas, atque majestas Populi Romani collata potissimum est in centuriata comitia, in quibus ferebantur eae rogationes, quae proprie dictae sunt leges, quaeque plerumque vel ex S. C., vel Patribus auctoribus, a majori magistratu rogabantur. (*c*) Q. enim Publilius Philo Dictator tulerat, ut legum centuriatis comitiis ferundarum ante suffragia Populi Patres auctores fierent. (*d*) Vnde jussa totius Populi, quae proprie leges dicebantur, his sunt edita comitiis. Stante igitur Republica Romana juris divisio commode duci potest a Senatu, Plebe & Populo. E Senatu autem prodiere S. C. E tributis comitiis, quae plebs cum suo Tribuno celebrabat, plebiscita: ex universis tandem Populi suffragiis in comitiis centuriatis, auctoritate plerumque Senatus praeeunte, leges extiterunt. Centuriatis autem comitiis majores magistratus, nempe quorum majora, seu rata magis erant auspicia, creabantur (*e*) ut Coss. Praet. Cens. inque

(b) Manut. *de legibus p. 864. post* Rosinum.

(c) Paul. Manut. *de leg. pag. 860.*

(d) Liv. *lib. 8. cap. 12.*

(e) Gell. *lib. 13. cap. 14.*

Digitized by Google

que iisdem exercebantur judicia perduellionis: (a) quod crimen erat hostium patriae. Porro Comitia centuriata legum rogandarum causa solis (b) Coss. Dictatoribus, Praetoribus, Interregibus habere jus erat, praemisso edicto, ut Populo innotesceret ad quam diem in campum Martium convenire deberent: (c) ad quam ab edicti die trinundum intercedebat, sive tres nundinae. Nundinae autem erant nono quoque die, quo Cives in re rustica occupati ab agris negotiorum causa confluebant in Vrbem. Hinc ille comitiis dictus erat dies, quo teneri plebs in Vrbe poterat, & interim, interjecto tempore, de lege deliberarent inter se. Quoniam autem ipso nundinarum die haberi comitia non licebat, protrahebantur in sequentem. Nundinas enim Jovis fuisse ferias aliqui putarunt: unde Julius Caesar scripserat eo die cum populo agi nefas esse. (d) Eadem dierum ratio, & in plebiscitis observabatur.

(a) Valer. Max. lib. 6. c. 3. Liv. lib. 6. Cic pro Sext. Sigon. l. 3. de Judic. Rom. cap. 5.
(b) Rosin. eod. l. de com. c. 10.
(c) Cic. pro domo sua.
(d) Macrob. Saturn. l. 1. c. 16.

XXIX.

DE LEGVM FERENDARVM EXAMINE.

Interea laturus legem, sive Tribunus plebis esset, sive magistratus major, eam cum prudentibus, ac necessariis suis communicabat: ne civium offensionem incurreret, neve novam legem contra morem majorum proponeret. Cavendum ei namque erat lege Licinia, & Ebutia, ne quod sibi, aut cognatis, affinibusve suis commodum nova lege captaret. Item cautum erat lege Caecilia, & Didia, ne per Saturam (quod cibi genus erat ex variis cibis paratum) sive pluribus, variisque de rebus, una rogatione lex ferretur;

Digitized by Google

aut ne quid insereretur legi, de quo legem ferri non liceret. Vnde hac utebantur ad omnes leges translatitia formula: *Siquid jus non fuit rogari, ejus hac lege nihil rogatum*, & illa: (a) *Si quid contra alias leges ejus legis ergo latum esset, ut ei qui eam legem rogasset impune esset.*

(a) *De his, & sequentibus testimonia vide apud* Manut. *de legibus.*

XXX.

DE PVBLICATIONE LEGIS CONCIONE, ET SORTITIONE, ET SVFFRAGIIS FERENDIS.

Scriptam legem laturus si ab optimatibus staret eam ad Senatum referebat: ut si a Senatu probaretur, ferendam legem opinio prudentiae commendaret: si legislator popularis esset, & turbulentus rogationem, neglecto Senatu, meditabatur: antequam autem rogationis causa concio advocaretur, lex erar promulganda; sive publice proponenda, ut singulis potestas cognoscendi fieret, aut corrigendi, admonendique magistratus: post si tributis comitiis ferri oporteret, populus a Tribuno in forum; si vero roganda esset comitiis centuriatis, in Campum Martium Cives a majori magistratu convocabantur: ubi praeco subjiciente Scriba legem recitabat. Deinde, nisi pro potestate Tribunus plebis impediret, orationes ad suadendam, aut dissuadendam legem habebantur a magistratibus, vel ab ipso latore legis, vel a privatis, quibus concionandi potestas facta esset a magistratu aliquo. Nam injussu magistratus privatis nullus erat dicendi locus. Qui vero suadebant auctores legis dicebantur. Vbi esset peroratum praesentibus Sacerdotibus, & divina procurantibus, postquam de Coelo servatum esset, auspiciis captis, urna vel sitella deferebatur, qua exciperentur nomina Tribuum, si tributa

Digitized by Google

buta, centuriarum, si centuriata comitia essent: eaque urna leviter versabatur, ut sortes aequarentur, ne ulla exiliret, aut subsultaret, AEquatis sortibus, sortio fiebat, & quem sors dederat ordinem Tribus, vel centuriae tenebant. (a) Sane sub Tullio Rege, qui ut centurias, ita & centuriata comitia instituit, primae ad suffragium vocabantur maximi census centuriae in prima & secunda classe descriptae: quae quia reliquas numero exuperabant, ideo illis consentientibus ceterae omittebantur. Sin dissentirent ciebatur tertia classis; deinceps quarta; donec ad inopum centurias, quod raro vel nunquam contigit, perveniretur. Etenim saepe primarum centuriarum suffragiis negotium conficiebatur. Mutata vero sequentibus temporibus ratio est. Etenim institutum fuit, ut quae prima centuria, vel tribus ex urna educeretur ea suffragium ante alias ferret, & praerogativa diceretur. Cujus sententiam centuriae, ac Tribus reliquae suis plerumque suffragiis complectebantur: quaeque tribus, vel centuriae post praerogativam ad suffragia evocarentur, eae jure vocatae dicebantur: ut binis eodem tempore comitiis quodammodo (id quod Asconius observat) (b) cum Populo ageretur: prima erant praerogativarum: altera jure vocatarum sententias praerogativarum ferme comprobantium. Et quoniam procedentibus temporibus, ut diximus, centuriae tribubus sunt inclusae; ideo primo tribuum, post ejus tribus, quam sors dedisset fiebat sortitio centu-

(a) Dionys. l. 4.

(b) 2. in Ver.

Digitized by Google

riarum: ut pateret quae, quave de tribu, esset praerogativa centuria. Vnde quae prima e tribubus exisset, dicebatur praerogativa tribus; quaeque ex eadem tribu centuria exisset prima, praerogativa centuria vocabatur. Porro ejus, qui de praerogativa tribu rogaretur primus a magistratu, major erat existimatio, & splendor: unde ille honoris gratia dicebatur Primus. Neque enim cuilibet honos hic habebatur; sed gravioribus tantum Civibus. Dum autem comitia celebrarentur, initio quidem fuerat constitutum, ut aliquot intra urbem armati vias custodirent: post, ut armorum periculum ex urbe removerent, exercitum aliquem, cum intra urbem non liceret, extra urbem sublato vexillo in Janiculo collocarunt: non tam credo ad arcendam, ut scriptores tradunt, hostium vim, si qua immineret; quam ad compescendos armatis paratisque militibus civiles motus, si qui ferendis suffragiis, aut dissensione sententiarum, aut partium studio tumultuarentur. Ad exercitum autem milites per successionem post latum suffragium accedebant. Atque ad usurpationem vetustatis receptum fuit, ut Consul, veluti dux exercitus, extra Pomoerium tabernaculum haberet. (a) Dum comitia maxime ferverent, dirimebantur statim, si tonitru exaudiretur, aut quis morbo herculeo, qui ex ea re comitialis fuit appellatus, corriperetur: ac prodebatur, sive protrahebatur dies comitiorum, si adhibitus de more augur obnunciaret, sive adversa renunciaret auspicia; si tribunus inter-

(a) Don. l. 37.

Digitized by Google

tercederet, si Consul supplicatione decernenda, indicendisque feriis comitialem diem eximeret. Comitiis autem coactis, sortitione tribuum, & centuriarum facta, confusus populus in suam cujusque tribum ordinis causa remittebantur ab eo, qui legem ferebat, his solennibus verbis: *Discedite Quirites.* Atque ubi suam quisque tribum repetiisset, ferebatur suffragium, olim quidem voce: post tabellariam vero legem duae singulis civibus tabellae diribebantur, sive distribuebantur a diribitoribus, sive divisoribus: quarum altera novam legem improbabat antiqua probando, ac propterea inscripta erat hac nota *A*: sive *Antiqua probo*: Altera legem probabat novam, inscriptaque erat hac nota *V. R.* sive: *uti rogas.* Ne qua vero fraus in tabellarum distributione lateret, privati aliquot homines, qui de lege laborabant, aut diribebant ipsi, aut de pontibus diribentibus praesidebant. Extruebantur enim in Campo pontes multi, sive angustae quaedam substructiones e tabulatis solo editae. In horum pontium capite imponebantur cistae plenae tabellis, quae suffragium laturis ministrabantur: in extremis vero pontibus aliae cistae, in quibus ferentes suffragium tabellas quisque suas deponebant: hinc natum, ut sexagenarii de ponte a junioribus dejicerentur: quia nullo jure illi ad munera publica cogebantur. Hinc depontani senes, hoc est e ponte dejecti: totidem autem extruebantur pontes, quot essent in tributis comitiis tribus, nempe

Digitized by Google

XXXV. in centuriatis centuriae, nempe CXCIII. Per eos igitur pontes transeuntes, acceptas in prima pontis parte tabellas in extrema reddebant: itaque suffragium ferebatur. (a) Igitur, ubi sors praerogativam indicasset centuriam, vocabat eam praeco ad suffragium. Illa vero movens concedebat in locum prope Tribunal in Campo Martio concellis septum, quod ovile dicebatur: eoque suffragium laturi pergebant per pontes: in quorum capitibus dispositi erant diribitores, qui tabellas singulis traderent. Ad ovilis autem ostium stabant rogatores cum cistis, in quas populus conjiceret tabellas, utram quisque vellet: quibus conjectis a singulis centuriis, tum suffragia numerabantur a custodibus, qui ea punctis notayerant: ut ea tribus, aut centuriae sententia renunciaretur, in quam plura suffragia convenirent: ea reticeretur, quae paribus esset distracta suffragiis: nisi de perduellionis crimine ageretur. (b) Tum enim reorum causa, paria suffragia absolutionis sententiam praeferebant. Haec autem, dinumeratio tabularum, & punctorum notatio dicebatur quoque diremtio suffragiorum, & dirimere suffragia. Si lex ex diremtione suffragiorum a populo scita, vel accepta appareret: tum in aeneas incidebatur tabulas: deinde vel publice populo inspicienda proponebatur, vel deferebatur ad aerarium adservanda. Atque hac de potestate leges, & S. C. fluxerunt: istaque sunt ratione condita, & con-

(a) Rosin. l. 8. cap. 8.

(b) Dionys. l. 1.

Digitized by Google

constituta, priusquam ad unius potestatem omnia devenissent.

XXXI. DE PRIMIS ROMANORVM LEGIBVS, ET JVRE PAPYRIANO.

Romanum igitur jus diversis e fontibus manavit, ac variante Reipublicae forma initia mutavit, & nomen. Etenim sub dominatu regio plures ad regendam multitudinem leges conditae sunt a Regibus, quae quia collectae fuerunt a P., seu quis malit a Sex. Papyrio, Juris Papyriani nomen acceperunt. Sublatis Regibus conditum est a decemviris jus xii. Tab. ex jure Papyriano, & Athenienſi coactum, quod decemvirale jus appellamus. Vsu vero poscente Plebs, vel Senatus, vel uterque plura in utilitatem Reipublicae, atque civium constituerunt, quae plebiscita, & S. C., & generali nomine leges nuncupantur. Ex formulis autem, ritibusque solennibus judiciorum compositum est jus civile Flavianum, a Cn. Flavio scriba dictum: qui subtractum Pontificibus librum populo prodidit. Ex disputationibus, interpretationibus, responsisque Jurisconsultorum nata est jurisprudentia. Ex edictis magistratuum processit jus honorarium. Ex Imperatorum constitutionibus, decretis, & rescriptis, Principum placita extiterunt. Ac sane jus Papyrianum fortuna potius quam consilio prodiit: quod plerumque accidit in primis hominum coitionibus, initiisque regnorum, ubi non tam virtus, quam cupiditas dominatur: quae parem aliquando utilitatem, pacemque procreat: ut mirum non sit, si effera multitudo, moribus ingeniisque discors, e fugitivis, exulibusque collecta, qualis prisca gens Romano-

Digitized by Google

manorum fuit, sub unius Imperio, & legibus coaluerit. Quamvis enim suus singulorum amor sibi aliena trahendo, voluntates dirimat, & quilibet ad alios subigendos natura feratur: tamen studio quisque sui remittit saepe alteri, quod sine periculo, atque propria pernicie auferre non potest. Hinc a mutuis injuriis abstinent, quia par utrinque metus impendet. Vnde malunt sese homines continendo servare, quam rapiendo pessum ire. Propterea omni licet virtute destituti, tamen saepe numero parcunt aliis, ut sibi parcatur: communique consilio societatem ineunt, atque custodiunt, ut coactis plurimum viribus, injurias aemulorum validius propulsent. Vnde quae concitat animos cupiditas, eadem refraenat. Igitur ne coacta societas dissensionibus turbaretur, Vrbis initio regis jussa pro legibus erat. Deinde certas firmasque leges tulit Romulus comitiis curiatis, hoc est, suffragiis populi per triginta curias distributi, aliaeque ab regibus aliis leges deinceps latae fuerunt, quarum reliquias, si quas germanas esse constat, interjecimus legibus xii. Tab. in quas regias leges collatas fuisse a decemviris testimonio veterum accepimus (a); non quidem omnes (nam quae ad regium dominatum pertinebant simul cum regio nomine ceciderunt, & fortasse abrogatae fuere lege Terentia) sed eas, quae aut ad religionem spectabant, aut ad jus privatorum: quae libro sequenti se offerent inter leges decemvirales: idque doctissimorum virorum est judicium,

(a) Dionys. lib. 2. & 10.

Digitized by Google

cium, Scaligeri praesertim (a). Profectae vero leges regiae potissimum sunt a Romulo, Numa, & Servio Tullio: quorum primus naturae jus extulit, & matrimonii, educationis liberorum, juraque parentum stabilivit. Alter jus gentium expressit, ac de homiciidiis, de bonae fidei contractibus, de sepultura leges aliquot promulgavit, praeter ceremonias, & ritus, & Sacrorum religionem, quae Numam praecipuum agnoscit auctorem. Postremus juri civili constituendo vacavit, & de contractibus, atque delictis quinquaginta rogavit leges, item de foenore, de nexibus, aere alieno (b).

(a) Scaliger ad Festum in v. nuptiae, Cui ac obs. 2. cap. 40.

(b) Dionys. lib. 4. & 5.

Cum vero C. Terentius Arsa Trib. pleb. ut Consulum immoderatam in plebem potestatem deprimeret, legem promulgarit de quinque viris, qui leges consulari imperio perscriberent, creandis, eaque deliberatio variis contentionibus per decennium extracta fuerit; & post impetratam duplicandorum Tribunorum plebis potestatem intermissa; revixit tandem Romilio, Veturioque Coss. in plebem Rom. quae militiam detrectabat impotentius dominantibus. Hinc anno ab V. C. CCC. Spurio Tarpejo, & A. Terminio Coss. res ad Senatum delata est, & ex sententia P. Romilii factum S. C. (quod deinde fuit plebiscito confirmatum) ut tribus triremibus pro majestate Reip. Rom. magnifice instructis, legati per Italiam, & universam Graeciam petitum leges mitterentur: creatique Sp. Postumius, Sext. Sulpicius, A. Manlius: qui utiliores Civitatum singu-

XXXII. De Jure xii. Tab.

Digitized by Google

gularum, & Lacedaemoniorum, atque Atheniensium potissimum leges descripserunt. Quae Romam allatae redactae fuerunt simul cum legibus aliquot Regiis in duodecim tabulas a decem viris ad id delectis cum summo imperio, silentibus aliis magistratibus: easque leges partim integras perscripserunt, partim emendarunt, partim ad populi mores, & consuetudinem urbis inflexerunt, novasque aliquot ipsi pro temporum opportunitate, ut suspicari fas est, interseruerunt. Quarum summa capita, quae e fragmentis eruere licuit viris eruditis, breviter hic innuemus, easque ad suas tabulas ex ordine a Jacobo Gothofredo descripto revocabimus: nam in sequenti libro, ubi eas sigillatim evolvemus, rerum, ac materiarum docendi causa sequemur ordinem, non tabularum. Prima tabula rationem instituendi, agitandique judicii tradebat. Secunda continebat causas judicii prorogandi, testium excitandorum, & rationem persequendorum furum. Tertia complectebatur rem usurariam, & depositi actionem, & auctoritatem exequutionemque rei judicatae. Quarta definiebat jus parentum in liberos, & jus emancipationis, & legitima tempora, quibus justi liberi nascerentur. Quinta statuebat jura testamentorum, & successiones ab intestato, & haereditatis divisionem, & jura tutelarum. Sexta exhibebat venditiones, & usucapiones, & possessionem, atque tignorum in alieno inductorum, itemque repudiorum jura. Septima de damno agebat, & injuria in agros, pecora,

Digitized by Google

tora, vel proprium corpus, aut famam illatis: indeque pergebat ad alia delicta, nempe ad falsos testes, homicidas, veneficos, sagas, parricidas, atque ad tutorum, & patronorum fraudes in pupillos, & clientes. Octava constituebat jura praediorum urbanorum, & rusticorum, definito ambitu parietis, & spatio inter confines fundos, itemque spatio viae; tradebatque sodalibus certorum collegiorum ferendae sibi legis facultatem. Nona fons erat juris publici, vetabatque privilegia, & coetus nocturnos prohibebat, puniebatque seditiosos: & redeuntes in fidem populi Romani, cum antea desciviſſent, tamen recipiendos jubebat. Judices pecunia corruptos capite mulctabat, & judicium de capite Civis Romani, nonnisi comitiis centuriatis fieri permittebat. Decima comprehendebat jura Sacrorum, & sepulcrorum, & caeremoniarum, & jusjurandum. Vndecima de jure connubiorum agebat, & de Sacris detestandis, itemque de vi postremarum legum. Duodecima, quae simul cum undecima supplementum erat, de pignore aliquid attingebat, & de calumnioso, falsoque judicio, itemque de servo noxae dando. Quae omnia sigillatim explicabuntur libro sequenti. Nunc haec indicasse ad continuandum narrationis ordinem satis fuerit.

XXXIII. De Actibus Legitimis, et Jure Flaviano.

Ex harum autem legum sensu, & potestate deductus est usus, sive ratio judicii exercendi, & negotiorum agitandorum, certis adhibitis formulis, & solennitatibus veterum Jurisconsultorum arti-

(a) Cic. ad Attic. lib. 6. ep. 1. pag 536. cum not. Variar.

artificio conditis, eductisque de Sacrario Pontificum: quas legis actiones, & actus legitimos appellarunt: quae altera fuit post xii. Tab. portio juris civilis, libro secundo a nobis sigillatim explicanda, dictumque fuit Jus civile Flavianum a Flavio scriba, qui librum earum populo vulgavit. Praeter legis actiones, qui sunt actus in lege civili solenniores, & quasi commercii forensis instrumenta, editae sunt a prudentibus, post editum jus civile Flavianum, aliae formulae ad nova contractuum genera, novaque negotia in diem emergentia ex moribus, adcommodatae, per Sex. Aelium compositae, a quo juris Aeliani nomen duxerunt. Atque haec juris civilis portio, nempe jus civile Flavianum, & Aelianum, itemque interpretationes prudentum proditae e re nata, quas fori disputationem appellarunt, sub priscae jurisprudentiae nomine comprehenduntur. Verum senescente jam xii. Tab. jure, vel propter obscuritatem verborum, & antiquitatis oblivionem, ut mortalia omnia, senfim dilabente; itemque novis in dies negotiis oborientibus, quae novam legem veterum sententia minime comprehensam postulabant: auctoritate populi, vel Senatus, vel utriusque variis temporibus novis legibus, Senatusconsultis, & plebiscitis, vel reddita fuit lux decemvirali juri; vel adjectum immutatumve aliquid, quod si solius plebis consensu Tribuno rogante fieret, plebiscitum appellabatur: si Senatus auctoritate, Senatusconsultum, quod deinde populi suffragio confirmatum legis vim, ac novem obti-

Digitized by Google

obtinebat. Quarum legum illae, quae ad jus privatorum pertinent, explicabuntur libro tertio. Satis enim fuerit nomina earum hic breviter indicare: tum ut haec narratio suo filo deducatur; tum ut lector, antequam cognoscat singulas, procul adspiciat universas.

XXXIV. DE POSTERIORIBUS LEGIBUS.

Omnes igitur leges partim personas, partim negotia, partim judicia respiciunt. Exordiemur a personis, quae vel liberi sunt, vel servi. Ad servorum statum pertinet lex Caninia, & lex Aelia Sentia, quibus liberior manumittendi facultas coercebatur. Illa enim certum servorum manumittendorum numerum praescribebat: haec manumissi, & manumissoris aetatem definiebat, certasque manumissionis causas postulabat. Lex Julia principem manumittentem eximebat obligatione servandarum solennitatum. Petronia ex discrepantibus judicum sententiis praeferebat illam, quae libertati studeret. Junia Norbana medium gradum inter servitutem, & plenam libertatem constituebat: isque libertatis gradus latina libertas appellabatur; cui cohaerens est S. C. Largianum, quo filii haeredes a Patre instituti praeferuntur ceteris in bonis Latini liberti decedentis. Visellia plenam libertatem Latinis libertis ob honorem tribuebat militiae, praeter quos, illos, qui jure aureorum annulorum carerent, ab ingenuorum honoribus arcebat. Dasumianum S. C. iis, quibus libertas relicta erat a testatore, absentibus etiam haeredibus,

Digitized by Google

libertatem praestabat. S. C. Rubrianum iis, quos haeres a praetore evocatus manumittere negligeret liberos esse jubebat. Articulejanum in causa relictae libertatis cognoscere jubebat praesidem provinciae, de qua erat testator, & servus: quamvis haeres ex altera esset provincia. Vitrasianum partes explebat infantis, ac liberum pronunciabat eum, cui testator libertatem reliquerat a pluribus haeredibus, inter quos esset infans, qui loquendi usu careret. Ninnianum libertatem adimebat ei, qui colludente domino per judicis sententiam liber pronunciatus fuisset. Erat & S. C. quo prohibebatur, ne post quinquennium quaestio de statu defuncti retractaretur. Claudianum servitutis poena mulieres ab alienorum servorum commerciis absterrebat. Lex Vectii Lybici servos publicos, qui publicis scripturis operam dabant, a Republica manumissos non amplius Latinos, sed Romanos cives fieri permisit. Et hae leges, atque S. C. fuerunt de conditione servorum: sequentia liberorum statum complectuntur. Ante omnes procedit lex Atilia, qua tutor ex lege a praetore datur iis, quibus nec ullus adgnatus adest, nec tutor datus a testatore. Lege vero Julia, & Titia in provinciis tutor eandem ob causam dandus erat a praesidibus. Lex Claudia, cujus est incerta sententia, vel mulieres eximit a perpetua tutela, sub qua jure antiquo erant; vel facultatem ejus tutelae gerendae sustulit. Lex Lactoria adolescentes minores viginti quin-

Digitized by Google

quinque annis a dolis alienis tutos praestabat. Succedunt leges ad conjunctionem personarum pertinentes, nempe nuptiales: quarum praecipua erat lex Papia, quae pluribus capitibus, poenis proemiisque propositis, nuptiarum frequentiam excitabat, coelibatum, & viduitatem inhibebat, inopiam aerarii privatarum haereditatum vicesimis portionibus, & caducorum lucro levabat. Cui legi plura S. C. cohaeserunt, quae in ejus expositione a nobis afferentur. Fuit & S. C. quo nuptiae inter pupillas, & tutores, curatoresque prohibebantur. Nuptias consequitur partus, cujus agnoscendi post divortium ratio S. C. Planciano tradebatur. Post personas occurrunt leges, quae ad negotia pertinent, quarum primas innuemus eas, quae in viventium negotiis versantur. Primum locum dabimus legi Atiniae, quae rei furtivae usucapionem non aliter permisit, quam post reditum ipsius ad priorem, & verum dominum: a quo si res denuo recessisset, exuebat prioris furti vitium. Simileque constituerunt lex Plautia, & Julia in rebus vi possessis. Lex Scribonia sustulit usucapionem servitutum. Lex Claudia, & S. C. Macedonianum adolescentium foenerationes rescinderunt. Lex Julia vulgatum cessionis bonorum beneficium concessit debitoribus, qui solvendo non erant: ut propria corpora molestiae subtraherent, bona creditoribus cedendo. Vellejanum S. C. foeminis intercedentibus, & pro alio se obligantibus prodita exceptione subvenit. Lex Cincia immoderatas donationes, & munera coercuit.

Digitized by Google

cuit. Prodeamus nunc ad negotia, quae a morte aliorum emergunt, quibus regendis hae sunt leges constitutae. Offert se primo lex Cornelia, quae testamenta condita ante captivitatem ab iis, qui apud hostes decesserunt perinde confirmat, atque si diem suum in Vrbe obiissent. Lex Furia certam summam definivit, supra quam non liceret legare, aut mortis causa donare, nisi certis personis. Lex Voconia legandi libertatem, & effusam erga mulieres testatorum liberalitatem compescuit. Lex Falcidia vetuit, ne plus dodrante legando absumeretur. S. C. Trebellianum actiones omnes, quae haeredi, & in haeredem competerent, jussit cum restituenda haereditate transire. S. C. Pegasianum concessit haeredi, haereditatem restituere rogato, quartae detractionem. S. C. Sabinianum prospexit adoptato filio in adoptionem alteri dato a patre trium liberorum: cui filio quartam bonorum partem relinquendam jusit. Lex Velleja instituendorum posthumorum rationem tradidit. Lex praeterea Glicia fuit eruta per Cujacium, ex qua inofficiosi testamenti querela manavit. S. C. Julianum consuluit iis, quorum in fraudem haereditaria bona fuerunt alienata. S. C. Tertullianum, & Orphitianum filio matrique mutuam successionem aperuerunt. E negotiorum legibus ad ea, quae ad crimina, & judicia pertinent, procedamus. Judicialium legum ante alias digna memoratu est lex Cornelia de majestate, quae complectebatur leges omnes anti-

Digitized by Google

tiquiores, in eos lata, qui aliquid contra Rempublicam molirentur: novaque capita condidit, quibus ejus criminis atrocitas coerceretur. Fuit & lex Julia de coercendis adulteriis, qua & ſtuprum, & foediora libidinum genera comprehenduntur. Reprimendae vero audaciorum hominum violentiae latae fuerunt lex Pompeja, Clodia, Pedia, itemque Julia, quae inſcribitur *de vi*. Fuit etiam & lex Julia, quae rapaces manus magiſtratuum a ſociorum, & provincialium bonis arcebat, injuſtaque jurisdictionis lucra prohibebat, quae dicta eſt repetundarum: cum qua conjungi poteſt Lex Glaucia eodem pertinens, ejusdemque tituli Lex Cornelia. Quibus legibus privatae pecuniae ab avaris magiſtratibus repetebantur. At publicae, Sacraeque pecuniae repetebantur aliis legibus, nempe Lege Julia peculatus, & de ſacrilegio, & de reſiduis, qua tenebantur, qui vel non omnem pecuniam publicam in rationes retuliſſent; vel relatam non integram reddidiſſent. Hisque legibus reprimitur avaritia. Sequuntur leges, quae compeſcebant ambitionem, quod praeſtitit Lex Petilia, Baebia, Maevia, Fabia, Tullia, Aufidia, Calfurnia, Licinia, Pompeja, & poſtremo Lex Julia de ambitu. Plura quoque de conſtituendis, regendisque judiciis Legibus Juliis continebantur. Multa porro crimina plectebantur Legibus Corneliis: quarum prima offertur illa de falſo, quae falſa teſtamenta ſubjicientes, atque corrumpentes, & ſcripturas, ſive privatas, ſive publicas vitiantes puniebat: itemque

Digitized by Google

omnes, qui veritatem fraude celaſſent, aut imagine veritatis falſum obtuliſſent. Cui ſimilis lex Cornelia nummaria, quae crimen coercuit falſatae, vel attonſae monetae. Fuit & lex Cornelia, quae puniebat injurias, ſive verbis, ſive re, ſive ſcriptis illatas: & Lex etiam Cornelia de Sicariis, & Veneficiis, quae ſuppliciis afficiebat eos, qui ferro, vel veneno mortem alicui obtuliſſent. Quam legem plura comitabantur S. C. quorum nomina interciderunt. Ex quibus S. C. celebria ſunt illa, quae caſtrationem puerorum prohibebant. Eademque lege Cornelia de Sicariis horribile parricidii crimen continebatur. Quod crimen complexa eſt deinde Lex Pompeja, quae de parricidiis inſcribebatur. Denique lege Cornelia, quae de luſu erat, vetita fuit alea, qua hominum patrimonia ſortis arbitrio ſubjiciuntur. De furtis conſtituit Lex Hoſtilia, ut abſentis nomine agere liceret. Plagium, ſive liberi hominis, aut alieni ſervi ſuppreſſionem, punivit Lex Fabia: in quam factum fuit S. C. ut ſervorum fugitivorum venditio legis ſententia comprehenderetur. Fuit Lex Remmia de puniendis calumniatoribus: & de tergiverſationibus, ſive iis, qui accuſationem deſtituunt, poenam ſtatuit S. C. Turpillianum, alio nomine lex Petronia nuncupatum. Eos vero, qui benemeritos vindicare neglexerint, ut ſunt haeredes, qui teſtatore occiſo ſupplicium ſumere de ſervis omiſerint, plectit S. C. Silanianum. A cujus criminis accuſatione quinquennio haeredes liberantur per S. C. Statilianum. S. C. autem

Digitized by Google

autem Silaniani vis porrecta est etiam ad servos, qui testamento manumissi eodem sub tecto mansissent. Eaque fuit sententia S. C. Neroniani, vel Claudiani, quam sententiam S. C. aliud Trajani temporibus conditum protraxit ad eos etiam servos, quos testator vivens manumisisset. Supersunt duae, quae sunt de damno sarciendo leges: quarum altera, nempe Aquilia cavit de damno sarciendo ab homine, vel per hominem dato. Altera, nempe Rhodia, e Rhodiis petita legibus: inter cujus capita illud fuit praecipuum, quo contributio mercium servatarum instituitur ad reparandam jacturam illius, cujus merces, levandae navis causa, mersae fuerunt.

XXXV. DE JURE HONORARIO, ET DE PRAETORE URBANO, ET PEREGRINO.

Et haec quidem brevis legum, & S. C. ad jus Civile pertinentium summa est, quam in hoc expositionis cursu juvat habere praeceptam, quo lector ad libros sequentes accedat instructior. Verum inertes essent leges, & otiosae, nisi hominis ministerio verterentur ad usum, atque ex Civium consensu gravem prudentemque virum nanciscerentur, cujus voce, atque auctoritate vires suas explicarent, quod munus est Magistratus. Is enim legum quodammodo vita est, & manus: quae vel languentes extollit; vel obscuras evolvit; vel dilatat angustas. Eadem potestas ex totius populi arbitrio, vel optimatium, aut principis jussu, certos ad homines ducta, atque continuata reddit brevi, & celeriter, quod praestari a singulis, vel ab univer-

Digitized by Google

sis usu poscente, sine summa & inexplicabili difficultate, non posset. Ideo cunctus populus certos cives potestate armat universorum, ut ea utantur ad flectendas, regendasque leges, & ad expedienda ex earum, vel aperto, vel abdito sensu, oblata negotia. Id praestitit apud Romanos magistratus ille, unde omnis jurisdictio causarum, & judiciorum ratio fluebat; nempe Praetura: cujus antea vis, atque potestas ipso Consulatu continebatur. Praetoris generale nomen erat summis omnibus magistratibus conveniens; praecipue vero Consulatui: propterea quod Consul judiciis, & exercitui praeesset. (a) Hinc legimus apud Livium (b) vetustissimam fuisse legem. *Vt qui praetor maximus esset clavum pangeret*: ideft Consul, aut Dictator, apud quos erat summum imperium. (c) Propterea & Justinianus hujus initium verbi ante ipsum consulatum ponit, docetque nomen fuisse proprium Imperii, veteribusque Romanis Imperatores suos appellatos fuisse Praetores. Verum postquam plebei diuturnis contentionibus pervicerunt, ut alter Consul de plebe fieret: Patres, ut jus cum plebe communicatum, deminutumque patriciis, aliqua ratione repararent; praetexentes nimias Consulis occupationes, & causantes negotiorum urbanorum turbam, quae a Consulibus longa expeditione, assiduaque militia distractis evolvi minime poterant; impetrarunt, ut aliqua consularis potestatis portio, ea nempe,

(a) Varro *lib. 4. de ling. lat.*
(b) *lib. 7.*
(c) *Novell. 25. de prat. Lycaon.*

Digitized by Google

pe, qua res forensis continebatur, conferetur in peculiarem magistratum creandum e numero patrum, quem communi hujus nominis significatione, ad singulare munus contracta, praetorem appellarunt, ann. ab V. C. CCCLXXXVI: (a) Hujus consularia erant insignia, pro consulari potestate, quam exprimebant: cum praetor Consulis collega minor & diceretur, & esset: (b) quoniam iisdem, ut Messalla tradidit, cum Consule auspiciis creabatur, & absente Consule ipsius munus in urbe gerebat. Ideo sex lictoribus utebatur, cum securibus: quod intelligendum est de praetoribus provincialibus: nam qui erant in urbe, duobus tantum utebantur. (c) Vtebatur etiam praetexta, sella coruli, hasta, ministris, scribis, accensis. (d) Hinc Cicero scribit: *Placuit nobis ut statim ad Cornutum praetorem urbis has litteras deferrem: qui, quod consules aberant, consulare munus sustinebat more majorum.* Sub Imperatoribus Praetor centumviralibus quoque judiciis praesidebat. (e) Jus vero reddebat e sella curuli, ex ebore: dictaque fuit curulis, quia veteres magistratu jam perfuncti, curru consueverant in curiam vehi, honoris gratia, quo in curru sella erat. (f) At confluentibus ad Vrbem exteris increbrescebant in diem peregrina negotia: quibus expediendis cum Praetor urbanus minime sufficeret, creatus fuit ann. V. C. DX. vel DVIII. ut Sigon. in Chronol. Livian. Praetor alter peregrinus appellatus, qui jus redderet inter cives, & peregrinos. Vnde duplex erat in urbe jurisdictio

(a) Livius *lib.* 7. Hottom. *de Praetur.* Sigon. *de Judiciis pag.* 449.

(b) Hottoman. *de praet. Vrb.* Gell. *lib.* 12. *c.* 14. Plutarch. *Polib.*

(c) Cic. *de leg. agrariacon. Rull.*

(d) *In epist. familiar. lib.* 12.

(e) Quintilian. *lib.* 6. *cap.* 3. Varro. *in lib. Pop. Rom. lib.* 2. *apud* Nonium.

(f) Isidor. *lib.* 20. *Ethim. cap.* 1. Brissonius *antiq. lib.* 3. *cap.* 15.

praetoria, urbana altera, altera peregrina: quas praetores creati sortiebantur. Majorem autem & potestate, & dignitate urbanam peregrina fuisse multis ex antiquitatis vestigiis elucet. (a) Nihil vero statuo de triplici discrimine inter has ab Hottomanno notato: nobis enim nondum liquet aliud, nisi quod inter peregrinos & Cives jurisdictionem exerceret. (b) Incertum est autem, an solus urbanus edictum in albo proponeret; an apud eum tantum legis actio fuisset: nec facile est ex uno, aut altero vetustatis loco, rem adeo obscuram evolvere. Quin etiam si quid hac super re definire vellemus, cogeremur ab Hottomanno dissentire: siquidem Theophilus in institutionibus ait: *Datum est jus legis ferendae praecipue praetori urbano & peregrino, & aedilibus curulibus, idque jus honorarium dictum.* (c)

(a) Appian. *de Bell. Civil. lib. 2.* Dio. *lib. 42.*

(b) Sigon. *de Judic. lib. 1. c. 7. p. 450.*

(c) Sigon. *de judic. pag. 450.*

XXXVI

DE PRAETORIBVS PROVINCIALIBVS, ET QVAESITORIBVS.

Adjectis pluribus Imperio provinciis constat alios novorum negotiorum causa creatos fuisse praetores. (d) Itaque postquam ad Romanum Imperium accessit Sicilia, & Sardinia, duo etiam praetores, qui eas regerent accessere: totidemque adjectis duabus Hispaniarum provinciis. Qui praetores annum provincias tenebant quisque suas. Ac si eis ultra annum prorogaretur Imperium, propraetores appellabantur; quod commune fuit omnium praetorum provincialium nomen, postquam ab anno A. V. C. DCIV. jussi sunt per annum in urbe manere, ac certo publicarum quaestionum generi singuli praeesse, antequam in suas quisque provincias proficiscerentur. (d) Eadem

(d) Rosin. *lib. 7. c. 43. Ant. Rom.*

Digitized by Google

dem ratione Consules, cum post exactum in urbe consulatum in provincias mitterentur, proconsules appellabantur. Enim vero initio crimina publica penes Regem; postea penes Consules agitabantur: sed quia lege Valeria jus provocationis populo delatum fuit; itemque vetitum, ne in caput Civis Romani animadverteretur injussu populi: coepere singula crimina per populum mandari vel Consulibus, vel Dictatoribus, vel Praetoribus lege, aut Senatus consulto usque ad annum DCIV. sed exundante in dies numero criminum, cum incommodum esset, vel singulas causas ab universo populo mandari magistratibus, vel ad tempus creari quaesitores, qui de certis criminibus cognoscerent: satius esse duxerunt quaestiones instituere perpetuas cum annuo magistratu, qui eis praeesset: creatique hi a populo praetores dicebantur & quaesitores. Vnde anno DCIV. institutae sunt quaestiones perpetuae, quae proprium praetorem sive quaesitorem haberent. Quamobrem, praeter urbanum praetorem, & peregrinum, erant in urbe praetores provinciales, qui anno antequam in provincias proficiscerentur, judiciis capitalibus quaesitorum nomine praeerant. His accesserunt postea, simul cum novis criminibus, novae quaestiones perpetuae, & simul cum iis alii praetores, sive quaesitores rerum capitalium. Quaestionum autem nomine significatur merum imperium, sive jus gladii, & capitalis animadversio. Iidemque praetores appellabantur quaestores parricidii; propterea

Digitized by Google

ea quod parricidii vocabulo criminum omnis contineretur atrocitas.

XXXVII. DE PVBLICIS QVAESTIONIBVS.

Ac prima quaestio perpetua instituta est de pecuniis repetundis L. Pisone Tribuno plebis legem ferente, ut Cicero testatur in Bruto. Hanc excepere quaestio de peculatu, de majestate, de ambitu: quae illae quaestiones erant, quas sortio exercebant, antequam irent in provincias praetores provinciales. His L. Sylla quatuor alias publicas quaestiones adjecit, & praetores, sive quaesitores etiam quatuor: nempe de sicariis, de veneficiis, de falso, & de parricidio, sive homicidio. Cum autem essent decem jurisdictiones, raro singulis jurisdictionibus suus attribuebatur praetor: sed saepe jussu Senatus jurisdictiones geminabantur, ut singulis praetoribus binae jurisdictiones mandarentur. Vnde habemus exempla praetorum urbanorum, qui quaestionem de veneficiis susceperant, qualis teste Cicerone Cajus fuit Verres. Et parricidii quaestio in Cajum Fannium Praetorem simul cum quaestione de sicariis collata fuit, ejusdem Tullii testimonio in Roscia-na. Ceterum si jurisdictiones non geminasset Senatus, decem ex earum numero erant praetores. Itaque tollitur meo judicio dissensio inter Pomponium, & vetustiores scriptores a Lipsio notata. (a) Siquidem Pomponius decem praetores constituit: alii octo. Sub Caesare vero decem praetores fuisse Dio (b) tradit, quorum unus urbanae, alius peregrinae jurisdictioni praeerant: ceteri vero octo quaestionibus publicis.

(a) *Antiq. Rom. cap. 10.*

(b) *lib. 42. 43.*

Duos

Digitized by Google

Duos praeterea Caesar praetores creavit, qui frumento praessent, ob id Cereales appellatos. Auctus deinde fuit sub Augusto numerus, ut refert Suetonius, (a) praetoribus duobus, ut tradit Pomponius. (b) Duos praeterea Claudius adjecit, qui jus de fideicommissis dicerent: quod quidem intelligitur usque ad certam summam: nam majoris summae jurisdictio erat Consulis, (c) ut Quintilianus indicat ex Vallae interpretatione, contra quam frustra pugnat Budaeus. Etenim Vallae suffragatur Ulpianus, qui scribit: (d) *fideicommissa non per formulam petuntur, ut legata; sed cognitio Romae quidem est consulum, aut praetoris, qui fideicommissarius vocatur; in provinciis vero praesidum provinciarum.* Praetorum autem fideicommissariorum alterum sustulit Titus (e) ejusque loco Nerva subjecit alium, qui Fiscum inter & privatos jus diceret, quem Fiscalem appellavit. Denique Marcus Antonius (f) Capitolino teste adjecit tutelarem, ut pupillis adesset, & tutores cogeret suscipere tutelam, atque satisdare rem pupilli salvam fore; quo tutorum fraudibus occurreretur. Praetorum autem munus in reddenda jurisdictione, jureque civili custodiendo, explicando, leniendo, atque ad usum flectendo versabatur. Etenim non satis est optimas leges condere; nisi viva quaedam excitetur auctoritas, quae legem per se mutam reddat quodammodo vocalem, & aequitate duce ad oblatos casus prudenter eam deducat; quod Praetores edicto, atque auctoritate sua praestabant.

(a) *In Augusto cap. 36.*

(b) *l. 2. de origin. jur. §. ea-dem 32.*

(c) *lib. 3. c. 6.*

(d) Ulpianus *tit. 25.*

(e) Pompon. *l. 2. §. 32. de origine juris.*

(f) *In Marco*

Digitized by Google

XXXVIII. DE EDICTO PERPETVO.

Quae praetor edicta statim a magistratu inito proponebat : hoc est in albo scribebat, ut populo significaret, quo jure cum civibus eo anno esset usurus. Atque initio sane licebat Praetori propositum edictum e re nata mutare, diversumque ab eo jus constituere, ubi usus poscceret; quod multis fraudibus pandebat viam. Siquidem praetores, aut propriam cupiditatem explebant; aut alienam colligebant ambitiose gratiam: dum ad beneficium, vel injuriam priora mutarent edicta, & conderent nova. (a) Ideo C. Cornelius Trib. pleb. legem tulit, ut praetores ex edictis suis perpetuis, sive fixis jus dicerent: neque eis toto magistratus anno recedere liceret ab eo jure, quo se usuros initio magistratus civibus denunciassent. Quamobrem cogebatur praetor initio magistratus expromere quidquid ad universam suam totius anni jurisdictionem pertineret: postea enim neque addere, neque detrahere, & immutare de semel proposito edicto licebat. (b) Itaque edicta praetoris in certam juris reddendi normam transierunt. Id quod ab aliquibus adeo perplexe traditur, ut vix internoveris discrimen inter edictum perpetuum Cornelianorum temporum, & aliud edictum Adriani jussu digestum. Scilicet Adriani aevo ex pluribus superiorum praetorum edictis, annuis illis quidem, sed propter auctoritatem, & aequitatem eorum translatitiis, atque in assiduam jurisdictionem versis, proptereaque veterum Jurisconsultorum interpretatione ornatis, edictum unum compositum est

(a) Ascon. in Cornelian.

(b) Dio: 36.

Digitized by Google

est, & in plura capita mirabili arte tributum, Adriani jussu, per Salvium Julianum Jurisconsultum, quod perpetuum quoque fuit appellatum, (a) alio sensu, omni scilicet postero tempore duraturum: ex quo jus a futuris praetoribus rederetur: quod in urbanum postea divisum est, & provinciale: cui forte inserebatur, si quid potissimum singularum provinciarum conveniret moribus, aut legibus, quas provinciales ex foedere sibi retinuissent. Vrbanum tamen pro urbis auctoritate nomen edicti praetorii praecipuum tulit. Varie igitur accipitur vox *perpetuum*: significat enim fixum, & immutabile; ac praeterea futuri temporis progressionem. Quamobrem edictum Cornelianorum temporum perpetuum dicitur; quod toto magistratus anno adeo teneret, ut interea temporis mutari nefas esset: sequenti vero anno nonnisi novi praetoris auctoritate reviviscceret, more pontificiarum constitutionum, quas *Cancellariae* regulas vocant: quae quamvis maneant semper eadem; tamen a novi Pontificis confirmatione recipiunt auctoritatem, proximi Pontificis morte jam amissam. Edictum autem Adriani perpetuum dicitur; quia ejus potestas sine novi praetoris adprobatione suopte robore, in omnem tendebat posteritatem, singulisque praetoribus proponebatur observandum. (b) Porro praetoris album Accursius fuisse putat parietem dealbatum, edictique verbis inscriptum; ne si appensam tabulam confingamus, praetoris jus furibus objiciamus, atque raptoribus. Quamvis etiam hanc loquendi

(a) *l. 2. Cod. de vet. jur. enucleand l. 1. Cod. de condit. indeb.* Eutrop. *lib. 8.*

(b) *l. 2. ff. de stat. hom.*

Digitized by Google

formulam inveniamus in libris Juris, nempe *album ſublatum*; figuram tamen elocutionis hanc liceret exiſtimare, idemque pollere, quod inductum, vel corruptum. Tollit enim album, ſive ſententiam edicti, quod album appellatur, quicunque album corrumpit: Sed me aliorſum trahunt verba Jurisconſulti, qui diſtinguit *album ſublatum* ab *albo corrupto*, his verbis: *Hoc edicto tenetur, & qui tollit quamvis non corruperit.* L. 3. ff. de jurisdict. omn. jud. Cujacius porro tradit, in albo proponere aliud non ſignificare, quam exponere, in Luce clarum facere, in mundo ponere. (*a*) Praetor autem vel ipſe cognoſcebat ſi liberet, aut vacaret, aut appellaretur; vel alteri mandabat judicium: unde ipſius jurisdictio, vel in judicando, vel in judice dando, vel in poſſeſſionem immittendo verſabatur: ejusque poteſtas teſte Varrone his exprimebatur verbis: *Do Dico Addico. Dicebant* cum aliquem V. G. liberum pronunciarent: *Addicebant* cum rem aliquam domino adjudicarent mancipatione, vel in jure ceſſione, vel adoptione, de quibus libro ſecundo. *Dabant* immittendo in poſſeſſionem, vel concedendo Judicem, vindicias, & actionem. (*b*) Cognoſcebant autem de civilibus tantum cauſis, cum eis alia quaeſtio non mandabatur. Ex hujus igitur magiſtratus jurisdictione prodierunt edicta, quae oblata facultate ſingulas prope juris civilis partes, vel explendo, vel addendo, vel leniendo attigerunt. Quod jus honoratium fuit appellatum a ma-

(a) *in notis inſtit. de actionibus §. penult.*

(b) Sigon. *de Jud. lib. 1. c. 7.* Gothofred. *in manual. pag. 170.*

Digitized by Google

a magistratu, ex quo processit; qui vir Honoratus nuncupabatur. Cujus juris natura dissimilis est aliquanto a jure civili. Jus enim civile directum est, severum, praecisum, atque totum e subtili ratione, verborumque nativa proprietate conceptum: Honorarium vero, utpote proditum e re nata, & e plurium eventorum cognitione, immo aliquando ex certarum commiseratione personarum, & ex opportunitate temporum excitatum, remissius est, & humanius, plusque trahit ex aequitate, ac ratione utilitatis communis: quam ex religione verborum & superstitione vetustatis: nec tamen juri civili, & prioribus legibus adversatur: ne suo exemplo populi venerationem solvat, cui se cives jurejurando obstrinxerunt: sed id aliquando, si cogatur varietate temporis, latenter facit, & verecunde: plerumque vero legibus ita obsequitur, ita obtemperat, ut mentem verbis reconditam consequatur. Vnde quo legis verba non perveniunt, eo magistratus potestate perducuntur, si fuerint angustiora: si vero severiora sint, per eundem magistratum aequitatis lenocinio mulcentur, & ad pleniorem populi utilitatem deflectuntur. Itaque jus honorarium lenimentum fuit, & benigna interpretatio Juris Civilis: quae ubi verba destituerent, occurrebat pleniori vocabulo, sensuque suaviori. Quod totum jus, quae lex annua, ut Ciceronis (a) verbis utar, ante Adrianum erat & novi praetoris auctoritate suscitabatur: postea, ut diximus, Adriani jussu distinctum

(a) *In Verrem.*

ctum titulis digestumque fuit a Salvio Juliano, (a) ut in corpus juris civilis referretur, praetoresque jus dicerent, non amplius ex annuis, sed ex perpetuis & immutabilibus edictis: qui libri dicti sunt digestorum edictorum. Julianus autem non modo contexuit edicta vetera, sed iis interpretationes adjunxit simul cum edictis novis: quae in nostris legibus novae clausulae vocantur: isque edicti praetoriani ordinator appellatur a Justiniano (b) & edicti perpetui subtilissimus conditor. Ad quod edictum sequentes Jurisconsulti veterum exemplo plures commentarios attexuerunt, ut praeter ipsius Juliani scripta, testantur Pauli, & Vlpiani ad edictum libri. Tanta enim aequitate praetorum edicta commendabantur, ut cum antea studiosi juris civilis omnem prope operam ponerent in legibus XII. Tab. Ciceronis tempore studia juris auspicarentur ab edicto praetoris, super quo Ser. Sulpicius duos conscripsit libros. Ofilius autem ejus discipulus illud accurate composuit. Porro titulorum ordinem, quo edictorum seriem disposuit Julianus, (c) revocavit aevo nostro feliciter Jacobus Gotthofredus, qui edictorum fragmenta Gulielmi Ranchini diligentia jampridem collecta, in sedes quodammodo restituit suas. Nunc ad aedilitium edictum transeamus: ne quid ad compendiariam antiquitatis cognitionem, & ad initia juris honorarii desideretur.

(a) *Vide Cujacium in Juliano in princ.*

(b) *L. 1. §. si pater ff. de contr. in possess. mit l. penult. C. de condic. indeb. l. 2. §. si qui dicitur, C. de vet. jur. enucleand.*

(c) *Vide* Gothofred. *Manud. pag. 10.*

XXXIX. DE AEDILIBVS.

AEdiles dictos Verro tradit a sacrarum privatarumque rerum, atque aedium procuratione.

(a) Eo-

Digitized by Google

(a) Eodem enim tempore, quo plebs in montem sacrum secedens impetravit a Senatu anno A. V. C. CCLX. Tribunos, obtinuit duos AEdiles e plebe creandos, qui Tribunis operam praeberent, & ministrarent, (b) eorumque jussu causas leviores, litesque privatas aliquot dijudicandas susciperent: & cum aedium Sacrarum, tum locorum publicorum, tum annonae curam gererent, matronarum mores, civium sumtus, dictaque, factaque immodesta observarent, & coërcerent. Sed cum contentio exorta inter Plebem, & Senatum de Consule creando quievisset, plebsque perviciſſet ut alter consulum e plebeis fieret, ob eamque causam in honorem Deorum Senatus ludos decrevisset; aediles plebis munus ludorum recusarunt: cui muneri sese obtulerunt Patricii juvenes: (c) quibus ab universis gratiae actae, prodiitque S. C. ut duo aediles ex patriciis, rogante Dictatore, a populo crearentur: atque ita in posterum additi sunt aediles duo, qui ab sella curuli, qua utebantur, curules sunt appellati, cumque initio ex patriciis crearentur, progredientibus temporibus, etiam hic magistratus cum plebe fuit promiscuus: ut non modo aediles plebis, sed etiam curules ex plebe saepe crearentur. Primique creati sunt aediles curules anno A. V. C. CCCLXXXVII. Cneus Quinctius Capitolinus, & Pub. Cornelius Scipio, L. Sextio, & Lucio AEmilio Mamerco Cess. Hi plura munera cum aedilibus plebis habuere communia, veluti annonae curationem, pluriumque rerum

(a) *De ling. lat. lib. 4. pag. 20.*

(b) Dionys. *lib. 6.*

(c) Liv. *lib. 6. §. 7.*

Digitized by Google

rum cognitionem; praecipue vero curam gerebant Sacrarum aedium, publicorumque locorum, & tutelam urbis. Hi & curabant ludos, eosdemque proprio ſumtu magiſtratum innuentes populo dabant: quorum plerumque magnificentia (ut eſt ambitio in primis honorum gradibus praeceps) privatas opes exſuperabat: unde profuſo patrimonio, contractoque magno aere alieno, ſpoliis provincialium deinceps jacturam reparare cogebantur. Horum laborum, & ſumtuum praemio, antiquiorem in Senatu dicendae ſententiae locum impetrabant, & togam praetextam, & ſellam curulem, item jus imaginis in poſteritatem transmittebant: matura hoc magiſtratu aetas erat annorum 37. praecipuam autem jurisdictionem exercebant in rebus venalibus, & rerum corruptarum vitium obſervabant, & fraudes, aut praecavebant, aut redhibitionibus emendabant. Propterea, praetorum inſtar his de rebus edictum proponebant, quo populus admonebatur, ac docebatur rationem, quam aediles tenere vellent anno ſui magiſtratus in reddendo jure: unde Hegio apud Plautum ita loquitur de paraſito feſtive legem ferente in laniones, & piſcatores.

Euge edictiones aedilitias habet.

Quod edictum, non minus quam praetorium, Jurisconſultorum commentariis exornari meruit; ut partem juris honorarii conſtituerit, de quibus enim edicebat AEdilis, edicere poterat & praetor: & deficientibus aedilibus, judicium transferebatur ad Praetorem. (a) Ex edicto

(a Cujac. *obſer. lib. 8. cap. 38. ex Dion. lib. 53.*

Digitized by Google

cto igitur aedilitio actiones manabant contra venditores rerum vitiatarum, & corruptarum: quarum altera actio *redhibitoria:* dicitur altera *quantiminoris.* Priori venditio tota rescindebatur, & rei vitiosae venditor cogebatur rem suam reddito precio ab emtore recipere. Posteriori actione contractus rescindebatur ex parte, repetita precii portione, quae deerat rei venditae: sive reddito a venditore eo quo minoris reperta fuit res, quam fuerat judicata, quae actio aestimatoria dicebatur. Duos praeterea aediles Caesar addidit a mandata sibi re frumentaria cereales nuncupatos. (*a*) Nunc ad J. C. auctoritatem, & artem accedamus.

(a) Dion. *lib. 43. sub fin.* Pompon. *l. 2. de ori. jur.*

XL.

DE JVRISPRVDENTIA.

Publica voluntas legibus concredita non modo ministrum postulat, cujus voce civibus expromatur, quod munus est magistratuum: sed, praeter legem, ipsa magistratuum auctoritas comitem, atque adjutricem flagitat sapientiam: quae pro re nata ei subveniat, indicetque quorsum, & quousque sententia legis ratione ducta procurrat; unde deflectat, quo diffundatur; denique quando extendenda sit, aut retrahenda: quod moralis philosophiae praeceptis, & dialecticorum regulis expeditur: praeterea leges aevo suo notis, atque perspicuis verbis expressae, conformataeque ad sui morem seculi, progredientibus temporibus obscurantur: quia longinquitas temporis, aut exuit hominibus mores priscos, adductis novis, aut excutit e memoria, communique loquendi consuetudine prisca vo-

Digitized by Google

cabula, ſenſu illorum immutato: atque ita legum lux eripitur oculis civium, & nox offunditur publicae voluntati: niſi praeſto ſit aliquis morum, verborumque vetuſtorum gnarus, atque peritus, qui ſeptam priſcis vocabulis, & moribus legum ſententiam diligenter evolvat. Quamobrem philoſophia, rectaque ratiocinandi norma, quae abſtractas a rebus ſingulis leges aptat adglutinatque negotiis, & ex antiquitate, atque perſpecta proprietate vocabulorum, tanquam e germanis radicibus, jurisprudentia conſurgit: quae cum ſit moderatrix, & interpres legum, boni & aequi ars a ſuis cultoribus appellatur. Hoc apud Graecos munus praeſertim Athenis fere praeſtabant oratores: qui dum cauſas agebant leges obſcuras, aut incertas, ex uſu ſuo explicabant, eoque vim ingenii, & rerum peritiam conferebant: quo Judicum voluntatem, & populares adfectiones ad clientis, vel cauſae ſuae utilitatem traducerent: quorum interpretationibus privati commodi ſtudium, neceſſitasque defenſionis, & ſuſpicio mercedis acceptae fidem adimebat. Verum Romae legum interpretandarum ars longe gravior fuit, & ſanctior: non enim, ut apud Graecos, conducebantur interpretes; ſed ii tantum accipiebantur, quibus eam auctoritatem ſumma ſcientiae, atque virtutis opinio tribuiſſet, quique hunc laborem nulla lucri cupiditate, ſed civium juvandorum ſtudio ſuſcepiſſent: principio enim, ut diximus alibi, legum interpretationes tanquam oracula e collegio Pontificum proferebantur.

Digitized by Google

bantur: posterioribus vero temporibus, qui fide, atque auctoritate ceteris anteiret, quique spectata virtute apud cives esset, is sese publice ad respondendum dabat. Tantique apud Romanos id aestimabatur, ut nobiliores, & sapientiores hunc laborem non refugerent: immo & ad ea quoque descendebant, quae apud Graecos nonnisi per pragmaticos, & legulejos subservientes oratoribus expediebantur. Itaque tanto in honore prae ceteris gentibus jus civile apud Romanos erat, ut haec scientia eximia, & peculiaris Romanorum fuerit: cujus inventores ipsi, & habebantur, & erant. Vnde Jurisconsultis aeque atque summis exercituum ducibus, maximisque Oratoribus, potiores gradus in Republica patebant. Clarissimus enim quisque, atque ingeniosissimus, vel simul cum oratoria facultate jurisprudentiam conjungebat, vel, si a clamoribus fori sese studio quietis in juventute, aut in senectute, taedio negotiorum, avocaret, ad jus civile profitendum, tanquam in portum se recipiebat. Eo etenim studio duo, quae maxime in civitatibus pollent, ingenii laus, & existimatio prudentiae continebantur. (a) Hinc apud Romanos jus civile a recta ratione ductum praestantioribus artibus excolebatur: cum jus aliarum gentium rude prorsus esset, & inconditum. Quam autem auctoritatem in publicis negotiis magistratus, eandem in privatis prope afferebant Jurisconsulti: qui singulis civium contractibus, testamentis, & litibus, suis consiliis praesto erant, vel cavendo;

(a) Cic. de orat. lib. 3.

Digitized by Google

vel ſtipulationes, & teſtamenta dictando; vel diſſenſiones, atque diſcordias arbitrio ſuo componendo. Quam ob cauſam, aut domi ſedentes excipiebant conſultores, aut ambulantes transverſo foro conſilii ſui copiam faciebant; aut amicis in judicio diſceptantibus operam dabant. Pluribus autem ſcriptorum generibus Juriſconſultorum doctrina proferebatur. Nam initio Juriſprudentia in Pontificum Sacrario latens ſancta erat, & ſecreta diſciplina, quae nullis adhuc mandata ſcriptis arcano tradebatur. Promta ſane erant, & pervulgata civibus jura utpote brevi oratione concluſa, & publicis proſcripta tabulis: uſus tamen legum, & ſententia illarum abſtruſior, earumque interpretandarum, atque tractandarum ratio, quae non tam ex auctoritate publica, quam ex certorum hominum ingenio deducitur, quaeque juriſprudentia nuncupatur, erat in ipſorum interpretum poteſtate.

XLI. DE DISPVTATIONE FORI.

Cum enim ambiguitas aliqua juris occurreret, prudentes viri convenientes, & inter ſe diſputantes occultam legum vim contentionibus vexatam, & e profundo ſuae obſcuritatis excuſſam exprimebant, tradebantque populo ſenſum a majori parte comprobatum. (a) Quae diſputatio fori appellabatur. Eaque ratio tractandi juris civilis absque ſcripto, eaque prudentum auctoritas ad juris interpretationem inſtituta, peperit jus illud, quod ſine ſcriptis venire dicitur. Quamvis poſtea ſententiae a fori diſputatione procedentes mandarentur ſcriptis. Hinc Vlpianus,

(a) Pomp l. 2. §. 2. de orig. jur. ubi Cujacius. Exemplum habemus Juſtiniani C. de vet. jur. enucl.

Digitized by Google

nus, Venulejus, Triphoninus, aliique Jurisconsulti libros disputationum inscripserunt: quibus complectebantur jus a prudentibus illatum, atque, ut Gellii verbis utar, tacito & illiterato hominum consensu moribusque receptum: (a) quo continebatur usus, atque tritura fori, & auctoritas Jurisconsultorum: (b) quae aut communi Juriscivilis appellatione, aut peculiari jurisprudentiae nomine appellabantur. Hinc responsa, quae privatim antea dabantur consulentibus, vel ab ipsis scripta Jurisconsultis, vel ex ore ipsorum excepta, (c) Judicique relata. Quibus responsis Judices plurimum tribuebant, non quidem ut postea, jussu publico legeve ulla; sed tacito populi consensu, & quadam auctoritate, atque commendatione sapientiae, longo, rectoque respondendi usu civibus comprobatae.

(a) Cujac. *ad leg. 2. §. 2. ff. de orig. jur.*

(b) Cic. *in Top. & 2. de Invent.* Revard. *de auctorit. prudent. cap. 14.*

(c) *Leg. 2. §. 47. vers. & obiter ff. de orig. jur.* Brissonius *de form. lib. 3. in fine.*

Initio enim jus civile professurus propriarum virium confidentia populo praebebat se. (d) Primus Augustus publicam Jurisconsultis tribuit auctoritatem, jussitque, ut respondendi facultas non amplius e privato consilio, (e) sed ex Principis beneficio prodiret. Quod & nostris temporibus tenet.

XLII. DE RESPONDENDI JVRE.

(d) Cujac. *ad l. ut obiter ff. de orig. jur.*

(e) *Leg. 2. ff. de orig. jur. §. 47. leg. 2. Cod. de adv. diver. jud. & l. 7. de profess. & med. C. lib. 10. & l. 1. C. Theodos. de resp. prud.*

Tantum autem inde Jurisconsultorum auctoritas valuit, ut imperaret etiam sententiis Judicum: quibus minime recedere licuit ab opinione illa, quam aut nemo Jurisconsultus palam oppugnasset, si unum tantum haberet auctorem; aut omnes unanimes adprobassent: ita enim accipio, quod scribit Justinianus in Institutio-

XLIII. DE AVCTORITATE PRVDENTVM.

Digitized by Google

nibus: (a) nam in contrariis Jurisconsultorum responsis, cur non licuerit Judicibus vertere sese utro vellent? qua de re in *Codice Theodosiano lib. 1. tit. 4.* traditur regula, & discrimen sententiarum veterum Jurisconsultorum, quos Principis adprobavit auctoritas. Dabantur etiam responsa & per epistolam, quando per epistolam petebantur. Cujusmodi exempla invenimus in Digestis. Ceterum, quia tanta erat Jurisconsultorum in Judiciis auctoritas Principum imperio fundata; consueverunt responsa obsignata tradi Judicibus: ne si res patuisset, eventus causae ante sententiam Judicis palam fieret. (b) Coepit autem juris interpretatio mandari scriptis post illata in Italiam studia Graecorum. (c) Id tamen incondite fiebat, ut illis temporibus, & sine arte. Quamobrem singula negotia, singularum personarum nominibus, ut proposita essent, atque agitata, describebantur: neque ad certum genus causarum, & infinitam quaestionem abstrahebantur: nec generibus, definitionibusque constitutis, res postea tribuebantur in partes, ut jus civile certa constantique ratione tradi posset: (d) quod suo tempore & desiderabat Crassus, & se praestiturum sperabat. (e) Princeps autem Tiberius Coruncanus fertur sese publice ad respondendum dedisse, discipulosque habuisse, qui & doctrinam illius addiscerent, & responsa magistri exciperent. (f) A Coruncano autem ad Servium Sulpicium jus civile scriptis quidem, sed sine arte ulla committebatur. Servius Sulpicius primus dialecticis regulis

(a) Tit. *de jur. nat. gent. & civ.*

(b) Revard. *de auctor. prudent. cap. 14.*

(c) Cic. *de orat.*

(d) Cic. *de orat. l. 1.*

(e) Pompon. *de orig. jur. l. 2. §. Jur. civil. scient. 35.*

(f) Cic. *in orat. & in Brut.*

Digitized by Google

lis disposuit jurisprudentiam, adhibuitque artem: qua & genera componi coeperunt, & distingui partes, & definitiones concipi, colligique regulae: ut per hanc artem universa etiam philosophia, quae ad mores pertinebat, in jus civile manarit, & simul cum ea philosophorum rixandi cupido, in tranquillam antea scientiam penetrarit. Cum aliter sentirent Jurisconsulti, qui a Stoicis essent; aliter qui a Peripateticis, vel Epicureis: quodque sua quisque a familia imbiberat, in Jurisprudentiam refunderet. Ex interpretationibus igitur Jurisconsultorum in morem transeuntibus, & legum adsperitatem verecunde, ac furtim lenientibus, ortae sunt regulae Juris aequitatis ratione temperatae: quae deinde influxerunt in edicta magistratuum, aque decreta Principum: itaque duritiem perdomuerunt vetusti, ac directi juris. (a) Hujusmodi sunt usus codicillorum, actio doli, & actiones illae fere omnes, quas utiles appellamus: quia non ex directo & scripto jure; sed ex utili, & aequa Jurisperitorum interpretatione processerunt: & exhaeredatio posthumi, ac differentia exhaeredationis filiorum, ab exhaeredatione filiarum; & nepotum; (b) & Aquilianae stipulationes, auctore Aquilio Jurisconsulto; & variae successionum differentiae. (c) Item regula Catoniana, & substitutio pupillaris; (d) & prohibitio donationis inter virum, & uxorem, & ut soli magistratus mandent jurisdictionem, (e) utpote sibi jure suo competentem, (f) non alieno beneficio; & ne populi sine

(a) *Instit. de Codicil.* Cic. *de off. lib. 3.*

(b) *§. 1. Instit. de exhaered. liber. leg. ult. Cod. de lib. praeter.*

(c) *§. est autem Inst quib. mod. tollitur oblig.*

(d) *l. maximum vitium Cod. de lib. praeter.*

(e) *l. 2. ff. de vulg. & pupill.*

(f) *l. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

Digitized by Google

(a) *l. more. ff. de juriſd. om. Jud.*

ſine tutore auctore obligentur. (*a*) Quibus addendae ſunt omnes regulae juris, & bonae fidei judicia ſub ea formula, *ut inter bonos bene agier oportet*, & actio rei uxoriae, &, ex receptiori ſententia, inofficioſi teſtamenti querela. Denique quidquid a Jurisconſultis morum, & conſuetudinis, & recepti juris nomine fertur, omne ipſorum auctoritate prodiit, ac verſum eſt in uſum. Multa enim ex certis, ac privatis caſibus in populum traducta ſunt univerſum, exceptaque a Jurisconſultis, civili ratione munita fuerunt; poſteaque rerum judicatarum conſtantia firmius haeſerunt. (*b*) Cumque his aggregandae ſunt formulae ſolennes, & cautiones, & actiones legis, quae omnia jam oſtendimus deberi Jurisconſultis.

(b) Cujac. *ad l. 2. ff. de orig. jur. §. his legibus 5.*

XLIV. DE JVRISCONSVLTORVM PHILOSOPHIA.

Et quoniam, ut diximus, ad prudentiam Romanorum fuit adtributa philoſophia Graecorum; plura dogmata verſantur in jure civili, quae philoſophorum ſcholam, ac Stoicam praecipue redolent. Haec enim maxime doctrina ideo in jure civili dominabatur, quia Zeno a rebus gerendis minime, (*c*) ut aliae ſectae philoſophorum, avocabat. Jubebat enim Chryſippus niſi prohiberetur πολιτεύεσθαι τὸν σοφὸν, & Tacitus: (*d*) *aſſumta etiam Stoicorum arrogantia, ſectaque; quae turbidos, & negotiorum appetentes facit.* Vnde Marcianus, & ipſe Stoicus eorum ſapientiam extollit. Hinc multa jurisconſulti traxerunt e conſuetudine Stoicorum. Item enim atque Stoici vocabulorum originem, atque proprie-

(c) Laert. *in* Zenon.

(d) Tacit. *lib. 14. cap. 58. annal.* Plutarch. περὶ στωϊκῶν ἐναντιωμάτων.

Digitized by Google

prietatem vestigabant, (a) brevibusque atque concisis numeris concludebant saepe sententias. (b) Multa etiam sunt in jure nostro tum dicendi genera, tum regulae, atque principia juris e Stoicorum ducta principiis. Vt enim Stoici virtutis; ita & jurisconsulti sese justitiae Sacerdotes appellabant: (c) ut illi sapientiam; ita & hi jurisprudentiam rerum divinarum, & humanarum scientiam definierunt. (d) Legis definitionem nobis Marcianus tradit a Stoicis. (e) Ab eorum doctrina commendatio est illa summa humanitatis, & mutuae benevolentiae studium, ad mutuam opem. Nam Stoici, referente Tullio, (f) dicebant communem esse hominum inter homines, & naturalem commendationem: (g) nosque Seneca docet cognatos esse natura. Eadem ratione jurisconsulti cognationem quandam inter nos natura constitutam esse tradebant; ideoque negabant fas esse homini hominem insidiari. (h) Et Papinianus ait beneficio affici hominem hominis interesse. (i) Hominem porro in fructu esse jurisconsulti negarunt: (k) quanam ratione ducti, nisi quod natura omnes rerum fructus hominis causa comparaverit? quod est a Stoicis, qui cetera hominum causa nata esse dicebant (l). De usuris eandem atque Stoicorum natio jurisconsulti sententiam tulerunt: illi enim usuras vocarunt humanae cupidatis extra naturam quaesita nomina: (m) juriscosulti autem dixerunt usuras natura non provenire, sed percipi jure. (n) Intervalla naturae septenis annis jurisconsulti simi-

(a) Senec. epist. 88. Cic. de fin. 3.
(b) Laert. in Zenon. Arrian. lib. 1. cap. 20. Senec. 1. de benef. cap. 3.
(c) Diog. Laert. in proem. & in Zenon. Vlp. lib. 1. ff. de just. & jur.
(d) Senec. epist. 89.
(e) lib. 2. ff. de legibus.
(f) l. 3. de finibus.
(g) Epist. 95.
(h) l. 3. ff. de just. & jur.
(i) l. 7. ff. de Serv. export.
(k) l. Partus 68. ff. de usufr. & quem quis ut. fruat.
(l) Cic. lib. 3. de finib.
(m) Senec. lib. 7. de benef. c. 10.
(n) Senec. lib. 7. de benef. cap. 1.

Digitized by Google

liter atque Stoici distinguebant. Hi enim septimo quoque anno aliquid novi existere in humana natura observabant: puer enim septennis dentes mutat; in alterum septennium pube vestitur; tertio septennio barbam induit; quod elegantissimis elegis antea Solon expresserat. Vnde septimo anno pueritia, (a) quarto decimo vero pubertas definitur, exemplo Stoicorum, a compluribus juris auctoribus, quorum opinio praevaluit. De foetu etiam, qui est in utero matris, jurisconsulti nostri proxime atque Stoici existimarunt: non enim animal, sed portionem ventris materni plerique illum duxerunt: inter quos Vlpianus ait: (b) *Partus enim antequam edatur mulieris portio est, vel viscerum.* Quam sententiam Stoicis tributam scimus.

Censorin. *de die natal. c. 14.* Artemidor. *lib. 2. oneir. cap. 75.* Varr. *l. de ling. lat.* Macrob. *lib. 1. in somn. Scip. c. 6.* Isid. *lib. 11. orig. cap. 2.*

(a) Vlp. *l. 1 §. 2. ff. de adminis. & peric. tutel. l. si infanti Cod. de jur. delib.*

(b) *l. 1 §. 1. ff. de Senat. inspicien.* Papinian. *l. 9. ff. ad leg. falcid.*

XLV. DE JVRISCONSVLTORVM SECTIS.

Quo autem in Jurisconsultis una cum doctrina etiam Philosophorum ingenium agnoscas: ecce tibi post intextam jurisprudentiae philosophiam, ex disputationibus, & jurgiis opinionum, & scholarum nata varietas. Scissa est enim jurisprudentia in duas familias: quarum altera Cassianorum erat; altera Proculianorum. Origo dissidii ab Attejo Capitone, & Antistio Labeone: quorum alter fuit ab Ofilio; alter a Trebatio institutus: utrique tamen oriundi a Tuberonis disciplina. Attejus Capito, quae a majoribus tradita fuerant constantius tenebat, & verbis, atque institutis haerebat firmius: Labeo vero mentis quodam ardore sublatus, indulgebat ingenio, innixusque propriae sapientiae, sibique amplius per-

Digitized by Google

permitttens, provehebatur in altum, & novitate ducebatur. Itaque plura intulit, vel ingnota, vel intentata veteribus. Ingenium Praecptorum sui cujusque discipuli expressere: atque Attejo quidem successit Masurius Sabinus, unde ex quorundam sententia Sabiniani; Sabino Cassius, unde Cassiani: Labeoni vero successit Proculus, & Nerva Pater, & Pegasus: unde Proculiani, & Pegasiani. Atque in illos Attejus religionem vetustatis: in hos Labeo libertatem transmisit novitatis. Mansit autem hoc dissidium ortum sub Tiberio ad Antonini tempora: hosque utraque secta praecipuos habuit auctores: quorum seriem hoc ordine sub oculos ponendam duximus a Gotthofredo juniore sumtam.

Sabiani	Proculiani
Cassiani	Pegasiani.

Sub Augsto

Attejus Capito	Antistius Labeo
Ofilii discipulus	Trebatii discipulus

Sub Tiberio

Masurius Sabinus	Nerva Pater.

Sub Cajo Claudio Nerone

Cajus Cassius Longinus, a quo Cassiani.	Proculus, unde Proculiani.

Sub Vespasianis

Coelius Sabinus, a quo Sabiniani	Nerva filius, & Pegasus, a quo Pegasiani.

Digitized by Google

Sub Trajano, Adriano, Antonio Pio

Priſcus Javolenus
Alburnius Valens
Tuſcianus
Salv. Julianus
Celſus Pater
Celſus filius
Priſcus Neratius.

QVorum contentiones, & diſſidia, inclinante jam jurisprudentia, & remittente ingeniorum ardore, deflagrarunt. Hujus diſcordiae plura veſtigia ſuperſunt in libris juris; multasque retinemus reliquias conflictantium inter ſe ſcriptorum: quas Tribonianus cavere non ſatis potuit; quamvis Juſtinianus miram locorum concordiam polliceatur. Quibus promiſſis miſere torquet eorum ingenia, qui fide illius difficultates ex repugnantia ſententiarum injectas propriae malunt ignorantiae, quam alienae negligentiae aſſignare. Quod ſaepe numero Cujacius monet. Itaque plurimum refert ſcire quam quisque ſectam jurisconſultus amplectatur. Cumque hoc maxime differant, quod Sabiniani aequitatem; Proculiani ſummum jus potiſſimum ſpectent: variantes hae opiniones in re univerſa ſuſceptae, varias etiam, atque diverſas certis in juris articulis peperere ſententias. Nec parum auxit haec diſſidia Stoicum philoſophandi genus: cui ſeſe Proculiani magis obſtrinxerant. Quamobrem illi multas juris controverſias ejus ſcholae ſeveritate definierunt: (a) eum Julianus, qui ex alte-

(a) L. ita. 51. §. 1. ff. ad l. Aquil.

Digitized by Google

altera familia erat, subtilitates illas juris, atque nimiam scrupulositatem intrepide contemserit. Consuetudine igitur Stoicorum Proculiani maxime occupabantur in dialecticis: quarum Labeo peritissimus habebatur; (a) plurimumque laborabat in regulis conjunctionum, & distinctionum pertexendis, ordinandisque verborum nexibus. (b) Igitur illi doctrina imbuti Stoicorum, ex eorundem sententia saepe pronunciabant. Quamobrem in ea quaestione artifex ne sit speciei dominus, an qui materiae dominium habet: Proculiani pro artifice stabant: quia ex doctrina Stoicorum acceperant, res non tam materiae, quam formae, atque adeo ipsius conditori esse adjudicandas; cum id, quod sunt res a forma ducant, sine qua materia prorsus est iners? (c) Pubertatem a decimo quarto aetatis anno Proculiani auspicabantur, perinde atque Stoici: qui eam potissimum aptam nuptiis aetatem aestimabant. (d) Licebat per Stoicos angorem animi effugere voluntaria morte, quod & Seneca saepe numero praedicat; & Zeno ipse proprio sanxit exemplo: licuit etiam & per Proculianos: siquidem Neratius, qui ea ex familia erat lugeri vetat eum, qui sceleris conscientia mortem sibi consciv it: non qui taedio vitae. (e) Idque Adrianus, & Antonius Pius adprobarunt. (f) Proportionem Stoici arithmeticam sequebantur: cum omnia peccata putarent aequalia, aequales virtutes, neque de sapientibus alterum alteri sapientia praestare arbitrarentur: (ut enim nec vero quid verius; ne-

(a) Gell. l. 13. cap. 10.

(b) L. conjunctis. 29. l. saepe. 53 §. 1. ff. de verb. signif. l. haec verba ille. 124. ff. eod. Diog. Laert. in Zenon.

(c) Senec. epist. 88.

(d) Plutarch. lib. 5. de plac. cap. 24. Tertul. de anim. c. 38.

(e) L. liberorum. 11. §. 3. ff. de his. qui notantur infam.

(f) L. 3. §. 4. & 5. ff. de bonis eorum, qui ante sent. l. 6. §. 7. ff. de injust. rupto, & irr.

Digitized by Google

que falso quid falsius: ita nullus error, aut crimen alio erat eorum sententia majus:) eandem proportionem amplexos esse Proculianos ostendit lex vigesima tertia C. de legatis. Nec mirum quia Trebatius Labeonis Doctor, a quo Proculiani, crimina omnia exaequabat. (a) Nam teste Vlpiano Trebatius putabat eum, qui aurem tangeret alicujus, totum attigisse corpus: & qui dolium aperiret, indeque parum vini auferret, non tantum ejus, quod abstulit furem esse; verum etiam totius: quod Stoicam doctrinam sapit. Quid de Castratorum a Spadonibus differentia? (b) Castratos Proculiani morbosos existimarunt, auctoritate Stoicorum, & Cynicorum, quos Lucianus ait rejecisse Castratos inter imperfectos. (c) Ideo, si emtor ignorasset Castratum hominem ab se emtum, Labeo Proculianorum princeps redhibendum censuit, quasi morbo affectum. (d) Sed jam ad singulos, & celebriores Jurisconsultos veniamus: ac prius certa jurisprudentiae genera percurramus.

(a) Vulgar. in princ. 21. ff. de furt.

(b) Gell. l. 4. c. 2. l. 6. ff. de lib. & posth.

(c) Lucian. in Eunuch.

(d) Gell. l. 4. cap. 2.

XLVI. DE VARIIS AETATIBVS JVRISPRVDENTIAE, ET DE JVRISCONSVLTIS ANTIQVAE JVRISPRVDENTIAE.

Quatuor igitur sunt genera jurisprudentiae a variis ducta temporibus: quorum primum antiqua jurisprudentia nuncupatur, quae statim post latas leges duodecim Tab. prodiit: aspera quidem illa tenebricosa, & tristis non tam in aequitate, quam in verborum superstitione fundata; eaque Ciceronis aetatem fere attigit, mansitque annos circiter CCCL. Quae hanc excepit, vignitque annos fere septuaginta novem, media dicitur; superiori longe humanior: quippe

Digitized by Google

pe quae magis utilitate communi, quam poteſtate verborum negotia moderaretur: ductaque interpretum, ac magiſtratuum auctoritate, leges veteres flecteret ad lenitatem. Huic ſucceſſit jurisprudentia nova ab Auguſtini Imperio, anno ſcilicet ab V. C. DCCXXIX. ad Juſtinianum usque protracta. Editis deinde a Juſtiniano Novellis proceſſit jurisprudentia, quae dicitur noviſſima, quaeque pervenit ad annum Chriſti DCCLI. a quo tempore jurisprudentia barbarorum colluvie merſa usque ad Lotharium latuit Italiae.

XLVII. DE TIBERIO CORVNCANO.

Sed jam praecipuos jurisprudentiae auctores producamus. Vt autem praeteream Appium Claudium Decemvirum conditorem legum XII. Tab. & ejus ſive pronepotem, ſive, ut alii volunt, abnepotem Appium Claudium Coecum, Publium Sempronium, qui a civili prudentia dictus eſt Sophus, & Publium Cornelium Naſicam, patrem illius, qui a publico Populi Romani amore appellatus eſt Corculum; quorum ſane memoria maximis rebus geſtis, & veterum hiſtoricorum monumentis ſatis eſt pervagata. (a). Exordium ducam a Coruncano e Tuſculo, qui princeps publicam juris civilis profeſſionem eſt ingreſſus: quique auditores habuit, & ſententias plures, atque reſponſa reliquit ab eis excepta. Vixit is tempore primi belli Punici; primusque de plebe Pontifex max. eſt creatus. Conſul fuit cum Pub. Valerio Laevino anno ab V. C. CCCCLXXII. & cenſuram geſſit cum Cajo Claudio anno ab V. C. CCCCLXXXV. & circa annum DVII. Dictator fuit

(a) Cic. orat. pro Planct. 8. Liv. lib. 18. Cic. pro Dom. & de leg. lib. 2.

Digitized by Google

fuit comitiis habendis. De Vulsiniensibus triumphavit: tantaque auctoritate erat, ut ad eum, teste (a) Cicerone, de humanis, & divinis omnibus referretur.

(a) *Lib. 3. de orat.*

XLVIII. DE SEXT. ET P. AELIIS.

Consecuti sunt hunc Sex. & Pub. Ælii Fratres ambo Coss. ex pauperrima Æliorum gente: (b) de qua sexdecim una domuncula claudebantur. (c) Porro Sex. AElium Ennius a prudentia Catum appellavit. *Egregie cordatus homo Catus AElius Sextus.* Consul fuit cum T. Q. Flaminio anno ab V. C. DLII. Publius autem AElius Consul fuit cum Cn. Cornelio Lentulo anno V. C. DXLIX.

(b) Valer. *lib. 4 cap. 4.* Plutarch. *in vit. Aemil.*

(c) Cic. *de orat. lib. 6. l. 2. ff. de orig. jur. §. deinde.*

XLIX. DE LVCIO ATILIO.

Lucii Atilii tanta fuit opinio prudentiae civilis, ut primus a pop. Rom. latine *Sapiens* appellaretur; cum Sempronio *Sophi* nomen fuerit e graeca lingua petitum: ut existimem ab eruditis magis, quam a vulgo id ei contigisse.

L. DE MARCO CATONE.

Floruit etiam innumeris virtutibus immortalitati commendatis testimonio historicorum, & juris etiam civilis scientia, Marcus Cato e municipio Tusculano. Is cum horatu L. Valerii Flacci Romam venisset, aetatisque suae anno decimo septimo in militiam profectus esset, brevi mira felicitate, atque incredibili favore populi ad summos honores pervenit. (d) Censorque creatus, tantam gravitatem, atque severitatem adhibuit; ut inde Censorius fuerit appellatus: notandisque summa libertate pluribus ex nobilitate in multorum offensionem venerit: a quibus quoties in judicium capitis vocatus esset, quod crebro evenit, toties

(d) Liv. *lib. 39. 6. 40.*

Digitized by Google

toties non absolutus modo, verum etiam laudatus discessit. Hic ex sua prole insignes alios dedit Jurisconsultos, quales etiam fuere (a) M. Cato Praetor, & Marcus Cato Salonianus.

(a) Gell. lib. 13. c. 19.

LI. DE BRUTO.

Non minoris existimationis in jure civili fuit (b) M. Junius Brutus, qui praeturam gessit, & de jure tres (Scaevolae testimonio) edidit libros: (c) quamvis alii septem numerent. Hunc Pomponius tradit simul cum P. Mutio Scaevola & Manilio jus civile fundasse ab V. C. DCXX.

(b) Liv. lib. 5. dec. 4.

(c) l. 2. §. post hos ff. de orig. jur. Cic. de orat. lib. 2.

LII. DE P. MUTIO SCAEVOLA PONTIFICE.

Publius Mutius Scaevola Pontifex Max. fuit & tribunus Plebis: in qua potestate Lucium Tubulum, rogatione lata, in exilium abire coegit: quod cum Praetor esset, & quaestionem de Sicariis exerceret, pecuniam accepisset. Praetor etiam, & Consul demum creatus est cum L. Calfurnio Pisone Frugi, Senatum vexante Tiberio Graccho; qui populari gratia Remp. evertebat. Vnde Patres armis decertandum putabant. Et quia Scaevola negarat ad vim descensurum; Nasica sublata manu ducem se obtulit eorum, qui Remp. salvam vellent; coactaque multitudine Tiberium Gracchum interemit. Cujus facti Scaevola, qui socius esse recusarat, in judicio tamen laudatorem sese, ac vindicem praestitit. Nasicam enim accusatum, non defendit modo, sed etiam ornavit, adprobavitque ab eo gesta: ut laudem fortitudinis, quam amiserat re gerenda, ea postea tuenda recuperarit. Moriens vero P. Mutius in Asia Pub. Licinium Crassum Mutianum fratrem adoptivum in Pontificatu Max. successorem I. C. & Q. Mutium

Digitized by Google

Scaev. filium Jurisconsultorum omnium principem reliquit: totque familia haec deinceps J. C. peperit, ut in ea jurisprudentia domicilium contuliſſe, ac Scaevolarum vetuſtum eſſe, atque avitum patrimonium videretur.

LIII. De Manlio Torquato.

Manlius, ſive Manilius, cui tres de jure civili libros Pomponius adſcribit, Conſul fuit cum L. Marcio anno A. V. C. DCI. tantae innocentiae, ac ſeveritatis; ut cum Decius Syllanus filius a ſe in adoptionem datus per legatos Provinciae Macedoniae peculatus poſtularetur: ipſe haereditaria ſeveritate, publicam animadverſionem domeſtico ſupplicio antevertere voluerit. Nam ſuſcepta privatim cognitione, antequam publice ea de re conſuleretur, Senatu jubente, auditis biduum accuſatoribus, & teſtibus, tertio die adverſus filium ſententiam tulit: qua juvenem, utpote a majoribus ſuis degenerem, Republica, & domo ſua indignum pronunciavit: ablataque omni ſpe reditus, e conſpectu ſuo juſſit abire. Ha injuria filius exanimatus voluntaria morte ſe infamiae ſubtraxit. Quae calamitas minime tamen Patris ferociam fregit: nam exequiis filii non ſolum corpore, ſed animo etiam abeſſe voluit: ſiquidem cum funus duceretur, ipſe domi ſedens, mente ſoluta, & libera conſultoribus audiendis, civiumque negotiis componendis jucunde vacabat. (a)

(a) Val. Max. lib. 5 c. 8 n. 3.

LIV. De Cajo Martio Figulo.

Cajus Martius Figulus, Caji Martii Filius filius, qui cum Naſica conſulatum geſſerat anno A. V. C.

Digitized by Google

A. V. C. DXCI. etiam in Jurisconsultos a pluribus refertur. Is cum petitione consulatus repulsam tulisset, & a civibus de more consuleretur; injuriam indignatus *consulere*, inquit, *scitis*; *Consulem facere nescitis*. (a)

(a) Val. Max. LV. DE CAJO LIVIO DRVSO.

Cajus Livius Drusus tanta scientia juris, tantaque caritate fuit: ut confecta jam aetate, luminibus etiam amissis; assidue tamen consultoribus vacaret. (b)

(b) Val. Max. LVI. DE MEDIA JVRISPRVDENTIA, EJVSQVE JVRISCONSVLTIS, ET DE P. RVTILIO RVFO.

Atque hi antiquam jurisprudentiam condiderunt. Mediae autem jurisprudentiae a Ciceronis aevo profectae hi celebriores feruntur auctores. Primo loco producam Publium Rutilium Rufum: cujus extrema aetas in pueritiam Ciceronis incidit. Is graecis literis cumprimis eruditus P. Mutii Scaevolae, ac Panaetii Stoici auditor fuit: ejusque disciplinae alumnum, non mentis, & orationis tantum; sed operum quoque severitate tota vita se praestitit. Siquidem neque injuria unquam, nec gratia victus, utramque adversam pariter, ac secundam contemsit fortunam: & Civitatem, quam exul, & repetundarum injuste damnatus reliquerat, etiam oblatam a Silla repudiarit: quasi opus non esset reddi sibi Civitatem, quam salva innocentia, retentaque animo romana virtute nunquam amiserat. Hinc in eo judicio, dum pro se diceret, neque summos Oratores L. Crassum, & M. Antonium sibi adesse voluit; neque supplices manus ad cujusquam genua circumtulit: sed majori sibi gloriae duxit innocentem damnari, quam superborum

Digitized by Google

opem implorantem absolvi. Ac sicuti nullae hunc inimicitiae; ita nec amicitia deflexit a virtute. Cum enim cujusdam amici parum justae rogationi resisteret, & amicus diceret: *Quid mihi amicitia tua, si nihil abs te impetro, opus est?* Rutilius retulit; *Immo quid mihi tua, si propter te sum aliquid inhonesti facturus?* Itaque rectissime hunc togatum, & Consularem Socratem appellaveris. Disciplinae militari exquisitam etiam artem inseruit, evocatis e ludo Caj. AEmilii Scauri magistris gladiatorum: usuque ad rationem expenso, militiam virtute jam florentem, etiam scientia munivit. Tribunus plebis fuit, & Consul cum Cajo Manilio anno A. V. C. DCXXXXVIII. & Asiae Proconsul, teste Pomponio. Decessit in exilio, reliquitque libros de jure non paucos, & orationes aliquot judicio Ciceronis exiles: inter quas unam de modo aedificiorum: quam Senatui Augustus recitavit, edictoque promulgavit: ut proprium ea de re consilium, veterum auctoritate comprobaret. Scripsit idem Rutilius historias, & de vita sua libros. (a)

(a) *De hoc* Tull. *in* Brut. *& de orat. lib. 1.*

LVII.

DE Q. AELIO TVBERONE.

Quintus AElius Tubero Panaetii etiam auditor à Stoicorum doctrina morum, & orationis tristitiam suscepit, cum dialectica subtilitate. A vita decora, & honores, honorum ipse contemtu longe superavit. Nam paupertatem generis ab suis majoribus fascibus, & triumphis ornatam, ipse, praelata honoribus continentia, magis nobilitavit per acceptam repulsam. Epulum enim P. Africani nomine populo Rom. dante a Fabio Max. ipse, lectulos ligneos Punicanos pellibus texit haedinis, & fi-

Digitized by Google

ctilia veterum pro argenteis vasis exposuit. Quam obsoletam jam veterum frugalitatem populus mirari malebat quam experiri: plusque apud eum valuit tenuis illius apparatus indignatio, quam Lucii Pauli Tuberonis avi, ejusque avunculi Africani merita: quibus hic in comitiis praetoriis, justum suffragiorum numerum minime tulit. Doctrina juris praestitit omnes, quotquot ante se floruerant. Scripsit historias, & librum de officio Judicis ad Cajum Oppium. Hunc vero Consulem fuisse a nullo veterum, praeter Pomponium accepimus. Lucullum ob opulentiam, & aedificiorum magnificentiam, quibus in Campania non terras tantum, sed & maria occupaverat, homo prisca severitate Xersem Togatum appellare solebat. (a)

(a) *De hoc Gell. lib. 1. c. 22. Cic. in Brut. & in orat. pro Murena.*

In Jurisconsultos etiam refertur Sextus Pompejus Cn. Pompeji patruus: quem Cic. in Bruto ait praestantissimum ingenium contulisse ad summam juris civilis, & ad perfectam Geometriae, & rerum Stoicarum scientiam. Item Caelius Antipater, quem historiae majorem sonum addidisse Cicero tradit: (b) cum ipse primus fuerit rerum exornator; (c) alii vero ante illum narratores tantum.

LVIII. DE SEX. POMPEJO, ET CAELIO ANTIPATRE.

(b) *lib. 2, de Orat.*

(c) Cic. *in Brut. & in l. 1. c. 6. de leg.*

Quintus Mutius Scaevola Augur, injuria praeteritus a Pomponio, multis a Cicerone laudibus, & crebro attollitur. In hujus enim disciplinam Cicero adolescens fuerat a Patre traditus, ab eoque plusquam Oratoribus mos esset, jus civile addidicit; responsis ejus atque disputa-

LIX. DE Q. MVTIO SCAEVOLA AVGVRE, ET SCAEVOLA PONTIFICE.

Digitized by Google

tionibus assidua consuetudine audiendis. Oratoris munus pro se tantum Scaevola exercuit, in eo praesertim judicio, in quo repetundarum ab Albutio postulatus, accusatore fracto, atque represso, non sine laude fuit absolutus. Lucilii mordacitatem, a quo pluribus versibus lacessebàtur, magnifice contemsit: longeque majori gloria sprevit Syllae minas: quibus adduci nunquam potuit, ut sententiam ferret adversus C. Marium, cum a Senatu hostis patriae, cogente Sylla, judicabatur. A respondendi munere, providendisque publicis, privatisque negotiis, neque valetudine, neque ingravescente avocabatur aetate. Atque ad summam senectutem, & morbum adductus: cum viribus deficeretur, voce tamen atque praesentia in Saturnini tumultu civibus praesto fuit. Vxorem habuit filiam Laelii natu majorem, ab eoque in Collegium Augurum est cooptatus. Filiam nuptui dedit L. Crasso Oratori Max. Tantae vero modestiae fuit, ut ex aliena scientia nil sibi quidquam adsereret. Ideo cum de jure praediatorio consuleretur, suos consultores amandabat ad Furium, & Cascellium praediatores: quamquam id ad Jurisconsulti scientiam, cujus erat peritissimus etiam pertineret. Praetor in Asiam est profectus. Consul fuit cum L. Caecilio Metello Dalmatico anno Ab V. C. DCXXXVI. cum quo & ipse de Dalmaticis triumphavit. Ab hoc Mutio Augure alio dignitatis vocabulo distinguitur (a) Q. Mutius Scaevola Pontifex, Publii Mutii Pontificis filius, qui tribu-

(a) *De confusione personarum apud Pompon. in variis Scaevolis, vide Cobar. §.*

Digitized by Google

bunatum plebis gesſit, & Conſul fuit cum L. Craſſo, (a) cum quo & alios obivit honores, praeter Cenſuram, qua Scaevola, vel ſorte caruit, vel voluntate. In conſulatu legem tulit, ne non civis pro cive haberetur. Aſiam Proconſul novem rexit menſes: tanta innocentia, & integritate, ut dehinc, quaſi virtus omnis unius viri eſſet imitatio, quisquis recte adminiſtraſſet, Scaevola diceretur, illiusque adminiſtratio ex S. C. pro exemplo, atque forma ceteris magiſtratibus in provinciam proficiſcentibus proponeretur. Itaque multa multi rectores provinciarum ex edicto Mutiano in ſuum transferebant. Ob eam integritatem, qua totius provinciae benevolentiam collegit, in offenſionem venit publicanorum: (b) quorum rapacitas ejus exemplo, & auctoritate coërcebatur. Quanto ſuperavit omnes doctrina juris; tanto ceteros jurisconſultos praeſtitit eloquentia: ut eloquentium Jurisconſultiſſimus; & Jurisconſultorum eloquentiſſimus a Cicerone adpelletur. (c) Apud Centumviros in judicio Marci Curii, & Marci Coponii acute, ac vehementer pro ſubtili ratione juris pugnavit contra L. Craſſum pro aequitate adverſus juris ſeveritatem ſummo plauſu dimicantem. Quaeſtio erat illa: an ſubſtitutus poſthumo ſi is ante moreretur, quam ad ſuam tutelam veniſſet, eo non nato ſuccederet. Scaevola ſeſe verbis continebat, neque ferebat ut ſub uno duo caſus involverentur, & nondum natus pro

40. & 41. l. 2. ff. orig. jur.

(a) Cic. *in* Brut.

(b) Cic. *pro* Planc. *c. 13.*

(c) Cic. *l. 1. de* Orat.

Digitized by Google

pro mortuo haberetur: Crassus indiciis, atque vestigiis verborum ad reconditam voluntatem eruendam ducebatur, contendebatque substitutum mortuo filio vocatum, eadem voluntate vocari eo non nato: quae sententia obtinuit, cessitque severitas aequitati. Ex hujus familiaritate, tanquam ex communi Jurisprudentiae schola insignes ejus aetatis Jurisconsulti prodiere: nempe Gallus Aquilius, Lucilius Balbus, Sex. Papyrius, Cajus Juventius. Libros reliquit decem & octo, quibus Pomponius jus civile constitutum esse scripsit. Forte quod artem aliquam, & ordinem ad eam doctrinam primus adjunxerit. Cum Syllanis partibus faveret, fraudeque obsessi Patres in Senatu trucidarentur, ipse fugiens, arasque Vestae complexus, eas sanguine suo respersit: vulneratus antea Caji Fimbriae jussu, a quo, cum non omnem adhuc spiritum vir gravissimus exalasset, ludribio habebatur: diem enim illi dicturum apud Populum minabatur, ob id nempe crimen, quod parcius, neque totum corpore suo telum excepisset. Quae haud inopinanti mors est oblata: cum enim suas partes extra urbem sequi posset ille, ut consilium suum in componendis discordiis populo praeberet, neve ad moenia patriae armatus obversaretur, mortem praeoptavit, de quo Lucanus.

Te quoque neglectum violatae Scaevola dextrae
Ante ipsum penetrale Deae, semperque calentes

Ma-

Digitized by Google

Mactavere focos : parvum sed fessa senectus
Sanguinis effudit jugulo, flammisque pepercit.

LX. DE C. AQVILIO GALLO.

Cajus Aquilius Gallus aequissimus, una & solertissimus cautionum artifex, atque malitiarum, ut cum Cicerone loquar, (a) everticulum, plures habuit in jure civili auditores, & quidem nobiles, quos inter Servium quoque Sulpicium: qui fragmenta aliqua suis libris e scriptis Aquilianis inseruit: quae Aquilii scripta ne quidem ad Pomponii aetatem integra pervenerunt. Ex aliorum igitur auctoritate, ac fide supersunt in Digestis aliquot summi viri monumenta tum celeberrimarum formularum, qualis est Aquiliana acceptilatio, & ratio instituendorum posthumorum, itemque formula doli mali: tum utilissimae legis de damno sarciendo. Hanc prudentiam, & aequitatem scriptis docuit, & exemplo: cum Octaciliae Laterensis impudicae mulieris fraudem in judicum consilio resecuit. Etenim Octacilia, qua Cajus Visellius Varro obscaene utebatur, eo aegrotante, cum ex illius testamento per leges capere non posset, quantum ipsa optabat: pellexit hominem ad voluntariam debiti confessionem: qua Varro accepta tulit Octaciliae trecentum millia nummorum, quae, redintegrata Varronis valetudine, Octacilia, cui ab illius haeredibus petenda erant, ab ipso Varrone in judicium vocato impudentissime petiit: Hic vero Aquilius, cui fraus extra judicium

(a) *l. 3. de nat. Deor. c. 74. & lib. 3. de offic. & in* Brut. *& pro* Caecin.

Bayerische Staatsbibliothek München
Digitized by Google

um obsoluerat, judicem agens, & si detegi dolus in judicio non posset; quo tamen exitum praecluderet fraudibus, principibus Civitatis viris adhibitis, conscientiam veritatis scripturae, ac testibus antepositi; absolutoque Varrone Octaciliam cum suis turpissimis captionibus e suo conspectu abire jussit. Haec ejus aequitas cum solertia, & summa scientia juris conspirans regnum quodammodo illi tradidit judiciorum: ut quamvis consulatum non gesserit, consularis tamen ei non defuerit auctoritas. Tribunus plebis creatus legem tulit, quam habemus, Aquiliam. Domum habuit in Viminali magnificentia & pulchritudine memorabilem. (a) Praetor fuit cum Cicerone.

(a) Plin. *lib. 17. cap. 1.*

LXI. DE L. LVCILIO BALBO.

L. Lucilius Balbus Stoicae doctrinae principatum aetate sua tenuit: ut nemo huic ex Graecis anteponeretur. Quapropter suum opus ei Antiochus philosophus misit, & a Cicerone in dialogis *de natura Deorum* Stoicarum partium defensor inducitur. Serv. Sulpicium habuit in jure civili discipulum: qui plures Lucilii sententias libris complexus est suis: cum Lucilii scripta non permanserint. Eundem Balbum Cic. in Bruto doctum, eruditumque, atque considerata tarditate hominem vocat. Henelius fratrem hunc facit illius, qui Stoicam doctrinam in Tullianis libris exponit.

LXII. DE CN. AVFIDIO.

Cn. Aufidius omissus a Pomponio Ciceronis aetate in jurisperitorum numero fuit. Huic caecitas neque scientiarum lumen, neque rerum gerendarum facultatem ademit: nam vir praetorius

fuit,

Digitized by Google

fuit, & gravisſimas in Senatu ſententias dicebat, & graecam ſcripſit hiſtoriam, & ſuum officium amicis diligentiſſime praeſtitit.

LXIII. DE C. JVVENTIO.

Cajus Juventius, cui ab aliquibus Titi praenomen imponitur, is eſſe putatur, quem Cic. ſcribit peritum fuiſſe juris, & non tam acri eloquentia, quam verſuta, ac magis ad irretiendum animos, (a) quam ad confutandum idonea. Hic inter Mutii diſcipulos, & Serv. Sulpicii praeceptores ponitur: cujus Servii libris Juventii ſcripta promebantur.

(a) Cic. in Brut.

LXIV. DE SEX. PAPYRIO.

Ejusdem auctoritatis, ac ſortis fuit Sextus Papyrius: nam & Mutii auditor fuit, & Servii praeceptor, ejusdemque libris poſteris traditus.

Sed jam ad Servium Sulpicium integrioris doctrinae fontem veniamus. Cujus prudentia cum privatim, tum publice populo Romano profuit: privatos enim ſcientia juris; rem vero publicam animi virtute juvit, atque conſilio. (b) Ciceroni fuit communione ſtudiorum, & voluntate in Republica adminiſtranda conjunctiſſimus: quem ſibi Sulpitius eloquentia praeſtantem, ſuperare jurisprudentia voluit: ad quam eum adpulit objurgatio Q. Mutii Scaevolae, qui a Sulpicio de cujusdam amici negotio interrogatus, cum ſemel atque iterum reſpondiſſet, & Servius imperitia juris non adhuc perciperet; (c) indignatus parumper turpe dixit eſſe patricio, & nobili, & cauſas oranti jus, in quo verſaretur, ignorare. Itaque Servius pudore affectus ad jus civile ſe con-

(b) Cic. in Brut.

(c) Pomp l. 2. de orig. jur. §. 43

Digitized by Google

contulit, adeoque brevi profecit, ut omnibus ante se jurisconsultis antecelleret: ac superavit facilitate Gallum; consilii celeritate Lucilium: id quod erat in utroque praestantius ad se pertrahens. Hoc etiam omnes Jurisconsultos vicit, quod jurisprudentiae usu potius, & moribus enutritae quam arte, ipse addidit comitem, atque adjutricem dialecticam: qua res dissipatas coegit in propria genera; generibusque suas subtexuit partes: inque suum ordinem scientiam eam descripsit universam: ut mens antea errabunda recta pergere via, usuque definiendi, distinguendique fallacias, captionesque declinaret. Proprietatis verborum ad eruendam ex Jurisconsultorum instituto primaevam eorum significationem erat studiosissimus, ac si quid eum effugeret Marcum Varronem consulebat. (a) In quaesturae, atque praeturae petitione L. Muraenam vicit, ab eodem in Consulatus petitione victus: quem Sulpicius ambitus accusavit, defendente Cicerone, qui ne reus accusatoris dignitate obrueretur, jucundissima cavillatione jurisprudentiam prae militari peritia extenuavit. Antepositus deinde Sulpicius fuit in eodem honore Mario Catoni, recusanti sua in petitione prendere, aut compellare quemquam: collegamque habuit in consulatu M. Marcellum: (b) cujus a Magio Chilone interemti funus ipse curavit Athenis. Victore Caesare, nec dum in Italiam reduce, Sulpicius, qui Pompejo studuerat, sibi metuens in Graeciam concessit: pluresque ad solatium animi

(a) Cell. *lib. 2. cap. 10.*

(b) Dio: *l. 40.*

Digitized by Google

animi regiones oberravit. Tandem a Caesare Romam reverso, summa clementia, non modo restitutus, sed & Graeciae praefectus fuit. Mortuo Caesare S. C. conditum est in Servii sententiam, ut Octavio, quod egregiam Reipublicae operam navasset, ac Antonium urbem direpturum strenue repulisset, ante tempus praefinitum legibus, magistratum petere liceret. Tandem legatus missus ad Antonium Mutinam obsidentem, ut eum jussu Senatus ab ea obsidione dehortaretur, atque ad saniora consilia revocaret: ingravescente valetudine in itinere occubuit, Hircio, & Pansa (a) Coss. cui Senatus ex Ciceronis sententia sumtus amplissimos decrevit in funus, & sepulchrum, statuamque in rostris equestrem ex aere: uxorem habuit Posthumiam, quam rumor fuit a Cajo Caesare adulterio pollutam. Scripta reliquit sane permulta, & egregia: quae Cicero pluris faciebat, quam superiorum omnium opera peritorum: numerumque centum prope, & octoginta librorum ejus Pomponius prodidit.

(a) Philipp. 9.

LXVI. DE CAJO TREBATIO TESTA.

Cajus Trebatius Testa insignem & ipse locum inter sui temporis Jurisconsultos tenuit. Ciceroni fuit familiarissimus: per quem Trebatio aditus patuit ad Caesaris amicitiam in Gallia: ubi (b) Ciceronis gratia tam benigne fuit receptus a Caesare, ut ei Tribuni militum stipendia sine muneris labore detulerit. Caesar vero hunc adhibuit conciliatorem ad Ciceronem, & Servium Sulpicium, ut eos a Pompei partibus traduceret ad suas; nullo tamen successu. Rerum potitus

(b) Ex lib. 7. epist. Cic. ad fam & lib. 4. ep. 1.

Digitized by Google

Caesar Trebatium se admonentem, ut Senatui adsurgeret, minaci vultu increpuit. Trebatii rogatu Cicero Topicorum libros, forensibus exemplis refertos, conscripsit, eidemque misit. Apud Augustum eo in honore habebatur, ut de gravissimis quibuscumque negotiis consuleretur. Itaque Trebatio auctore, ac suasore codicillorum usum adprobavit. (a) Vnde non mirum, si tam honorifice ab Horatio in Satyris appellatur. Libros composuit de jure civili haud paucos, & de Religione novem: qui fortasse propter dicendi genus inconditum, rarius versabantur in manibus: non enim admodum eloquentiae studuerat. Ingenio vero magis quam judicio valuit, utpote in definiendo praeceps: ut se ostendit in quaestione illa; posset ne de furto ante aditam haereditatem commisso haeres agere? in qua cum neminem id sensisse responderit, a Cicerone coarguitur: qui Brutum, Manlium, & Sext. AElium auctores produxit.

(a) *Instit. de codic. in princ.*

LXVII. DE OFFILIO.

Trebatii fuit aequalis Offilius Servii auditor: cui Offilio Augusti familiaritas nullum honorem attulit: nam supra equestrem gradum non ascendit. Complexus est libris suis fundamenta juris civilis: nam princeps praetoris edictum diligenter concinnavit, & de jurisdictione scripsit, ac de vigesimis haereditatum. Juris partiti, & actionum libros edidit, & ad Atticum epistolas aliquot, forsan de quaestionibus juris. (b)

(b) *leg. 55. §. 1. ff. de legat. 3. l. 3. ff. de penu legat. l. quod nos. 234. in fin. ff. de verb. sign.*

LXVIII. DE A. CASCELLIO.

Vixit eodem tempore A. Cascellius: qui ut scientia juris par fuerit Offilio, & Trebatio:

(a) u-

Digitized by Google

(a) utrumque tamen eloquentia praestitit. Vitam ad Augusti tempora produxit: neque tamen mores cum Republica mutavit, retinuitque sub novo Romanorum servitio veterem libertatem: cujus duo se habere praesidia contra tyrannorum potentiam existimabat, senectutem scilicet, & orbitatem. Sunt enim filii obsides Principi paternae voluntatis. Quapropter consulatus honorem oblatum ab Augusto recusavit; ne accipiendis honoribus auctoritatem tribuentis assereret: aut injustis honoribus gerendis illi socium ad opprimendam Rempublicam se praeberet. Ac ne proscriptionibus bonorum juris auctoritatem tribueret; noluit formulas componere, quibus Triumvirum largitiones exprimerentur. Ejus in scribendo studium antiquitatis Quintiliano commendatur. De scriptis tamen suis, ne ad Pomponii quidem aetatem superfuit: praeter librum benedictorum: quae interpretari licet, responsa ex tempore, cum consultorum plausu prolata. (b) Fuit enim ingenio celeri, & arguto. Honores nullos gessit supra quaesturam. (c) De his autem tribus proximis Jurisconsultis hoc judicium aetas ea tulit: nempe Trebatium peritiorem fuisse Cascellio; Cascellium Trebatio eloquentiorem, utroque vero doctiorem Offilium.

(a) *De hoc* Gell. *lib. 1. cap. 16.* Ammian. Marcell. *hist. lib. 30.* Valer. Max. *lib. 6. cap. 1.*

(b) Macrob. *lib. 2.* Satur. *cap. 6.* Ficher. *lib. 2. pareng. cap. 3.*

(c) *De libro benedictorū.* Menag. *in amoenit. jur. civ.*

LXIX. DE Q. AELIO TUBERONE.

Q. AElius Tubero L. filius patricia gente, cui Ligarium ab se Caesari accusatum, jamque omnium opinione, atque ipsius etiam Caesaris tacita cogitatione damnatum, eloquentia sua Cicero eripuit. Ex infelici hujus accusationis exitu, se

Digitized by Google

se ad jurisprudentiam adjunxit sub Offilio praeceptore, pluresque libros de jure publico, & privato doctissime scripsit: sed antiquis usus dicendi generibus minus gratiae libris suis a posteris conciliavit. Sulpitiam Servii filiam uxorem duxit.

LXX. DE ALFENO VARO.

Alfenus Varus Cremonensis omnium, vel hoc uno praestantissimus, quod suam totam duxit a doctrina dignitatem. (a) Cum enim sutor esset, arte abjecta, mira magnitudine animi Romam concessit, inque Servii sese disciplinam tradidit; ex qua per insignes virtutes, ac juris scientiam evasit ad consulatum, ac mortuus honore, sumtuque publico fuit elatus. Libros reliquit Collectaneorum, & Digestorum, quos Julius Paulus in compendium contulit, quorumque fragmenta legimus in Digestis nostris. Consul fuisse creditur ab aliquibus cum P. Vinutio triennio post Christum natum.

(a) Horat. *lib. 1. Saty. 2. ubi* Acron. Gell. *lib. 6. cap. 5.*

LXXI. DE CAJO.

Inter hos Servii auditores adscriptum reperimus a Pomponio Cajum, de quo infra. Sed Cujacius id ex eo Pomponii loco censet expungendum, tum quia Cajus ille sub Antonino vixit: tum quod Pomponius ibi decem praefinit: quibus si aggregetur Cajus non decem, sed undecim evenient.

LXXII. DE AVFIDIO TVCCA, ET NAMVSA.

Ausidii duo Tucca, & Namusa magnam in libris nostris praeferunt auctoritatem. (b) Namusa vero plures jurisconsultorum libros digessit in centum quadraginta.

(a) *l. 5. §. 7 ff. commod. l. 2. §. 6. ff. aqu. & aq. pluv. arc.*

Ad

Digitized by Google

LXXIII. DE SECTARVM AVCTORIBVS, ET PRIMVM DE ANTISTIO LABEONE.

Ad hos usque, uno quodam alveo, jurisprudentia fluxit: post autem discessit in rivos. Diducta est enim super pluribus juris articulis in oppositas sententias a duobus contrariarum scholarum auctoribus Antistio Labeone, & C. Atejo Capitone. Antistius Labeo, nobilissima familia, Labeonis illius fuit filius, quem Brutus in Caesaris caede socium habuit, ac mox in morte comitem. (a) Labeo enim ille, cum exercitum ab Antonio fusum, ducesque Brutum, & Cassium voluntaria morte interemtos accepisset, audissetque suum ipsius nomen inter morientis Bruti suspiria sonuisse; turpe sibi putavit vindicibus libertatis, & amicorum fato supersesse. Itaque a servo, cui gladium obtulit, quemque mortem rogaverat, est interfectus: cum civibus jurisprudentia, & fortitudine in tuenda patria libertate, atque amicis in conservanda fide plurimum profuisset. In filium autem non modo transfudit ingenium, quo patri cum jurisprudentia, tum in reliquis doctrinis excelluit; sed amorem etiam ipsum libertatis: cujus amoris laus, mutatis jam cum Republica moribus, in infamiam, apud vulgi volubilitatem, transierat. Ob hanc enim causam Labeo contumax habebatur, quod Augusto veteri libertate resisteret, neque adduci posset, ut servile illius aetatis ingenium susciperet. Hinc Horatius, ut assentaretur Augusto, temporibusque serviret, Labeonem in Satyris appellat (b) insanum. Itaque cum vir virum in Senatum legeret, veritus non est ipse legere M. Lepidum;

(a) App. lib. 4. de Bell. civil.

(b) Lib. 1. saty. 3. Gell. lib. 13. c. 12.

Digitized by Google

quamvis Octavii inimicum tum exulantem; nec aliam hujus facti excusationem attulit; (a) nisi quod cuique homini suum sit judicium. Et cum contra increpparetur, ac tanquam puer illuderetur ab Augusto, nihil se mali promeritum respondit, si legeret in Senatum, quem Augustus Pontificem esse pateretur: nondum enim ausus fuerat Augustus Lepido ceteris ornamentis exuto Pontificatum eripere. Quo responso Principem Labeo delinivit. Cujus tamen ut contumaciam Augustus frangeret, Attejum Capitonem studiorum illius aemulum, atque laudis obtrectatorem in Consulatus petitione praetulit Labeoni. (b) Etsi non desint qui scribant Labeonem Consulem suffectum, honorem accipere ab Octavio recusasse. (c) Quamobrem intra praeturam se continuit, ac laude virtutis consulatum anteivit. Cum philosophiam, ceterasque ingenuas artes, ac praecipue dialecticam, & grammaticam impense didicisset, accepit a Trebatio jurisprudentiam: in qua meruit cum Servio Sulpicio conferri a Petronio Arbitro. Mirus erat in originibus latinarum vocum expiscandis: quarum cognitione latentiores legum sensus eruebat. Ac scientia, miroque acumine sublatus ingenii longe sibi plus indulsit, quam superiores jurisconsulti. Nam extra veterum traditionum fines evagatus, novis luminibus jus civile suffudit, tentavitque plura nondum ausa prioribus. Ita ut ex ejus novitate doctrinae peculiaris jurisprudentiae schola extiterit: quae ab eo, veluti a capite, longa successione Proculo, Ner-

(a) Suet. in Aug. c. 54.

(b) Dio. lib. 49. Tacit. ann. lib. 3. cap 75.

(c) Pomp. l. 2. ff. de orig. jur.

Digitized by Google

Nervae filio, & Pegaſo, & Caelio tradita: Proculianos peperit, & Pegaſianos. Studia ſua ita diſpertiebat; ut ſex menſes in ſolitudinem ſe conſcribendis libris conjiceret; ſex vero alios publice ſe conſulentibus praeberet. Cum praeter humanum, divini juris etiam eſſet peritiſſimus; duos Deorum ordines diſtinxit, malorum alterum, qui aerumnis hominum; alterum bonorum, qui ludis, & voluptatibus placarentur: quod a Stoica, & Platonica doctrina retulerat. (a) Tantae fuit auctoritatis in Vrbe, ut cum acerrime utrinque certaretur de recipiendo codicillorum uſu; illius exemplum omnes alios ad ſe traxerit. Nemo enim de codicillorum auctoritate dubitavit, poſtquam iis uſum Labeonem apparuit. De numero librorum ejus ambigitur: nam apud Pomponium in aliquibus codicibus leguntur quadraginta volumina; in Cujaciano vero quadringenta. Qui autem libri poſt ejus mortem apparuerunt appellati ſunt poſteriores: quibus multa, & abſtruſa de vocabulorum originibus, & eorum ſignificatione continebantur.

(a) Aug. lib. 2. de Civit. Dei c. 27. lib. 8. cap. 13.

LXXIV. DE ATTEJO CAPITONE.

Ejus Aemulus, ac diſcors moribus, & doctrina fuit Attejus Capito: ſiquidem Labeo ingenii aeſtu praeter veterum traditiones vehebatur; at Capito religione quadam, ac veneratione praeceptorum antiquitati obſtringebatur. Verum Labeo cum doctrinam ſperneret veterum, priſcam tamen libertatem retinebat. Capito vero novam lubens complectebatur ſervitutem, ita ut literas

Digitized by Google

potius, quam animum arripuerit veterum Romanorum. Vnde callidus assentandi artifex ab Augusto consulatum impetravit, tanta omnium invidia; ut popularem gratiam aemulo suo Labeoni haud exiguam peperit. Augusto mortuo adulationem vertit ad Tiberium: quo in adulando tectior, eo callidissimo Principi gratior. Admiscebat enim suis assentationibus imitationem quandam pristinae libertatis: qua Tiberium invidia populari levabat. (*a*) Cum enim Tiberius in reos majestatis recipi vetaret Lucium Ennium, qui effigiem Principis in communem argenti usum fuderat: ipse, quasi non Principis blanditor, sed vindex priscae libertatis: *non esse*, inquit, *Patribus auctoritatem eripiendam; neque jus illi esse remittendi eas injurias, quas Respublica laeso principe accepisset.* Ac non modo in rebus gravibus; verum etiam in levioribus quibusque gratiam Principis aucupabatur. Veluti cum Tiberius vellet verbum ab edicto suo expungere, aut ad Grammaticorum judicium referre, quod sibi parum latinum videretur: Attejus minime opus esse respondit; novo enim verbo usuros cives, postquam Principi excidisset. (*b*) Qua responsione stomacatus Pomponius Grammaticus ad Caesarem conversus: *immo*, inquit, *hominibus quidem Civitatem dare Caesar potes, verbis non potes.* Quae libertas homini fuit impune. Curatione aquarum ei Caesar mortuo Mecaenate delegavit: (*c*) eumdemque triennio, quam Tiberis inundarat coërcendo

(a) Tacit. *Ann. lib. 3. in fin. cap. 75.*

(b) Dio. *lib. 57.*

(c) Tacit. *lib. 1. ann. cap. 76. in fin. & c. 79.*

Digitized by Google

do fluminī praefecit simul cum L. Arruntio. Quo in munere gratissimus fuit municipiis, & Colonis: quorum querelis auditis, abjecit consilium avertendorum fluminum, & lacuum, quae in Tiberim influebant: quod prohibendarum inundationum remedium ducebatur. Consulatum gessit cum Germanico. Sunt qui pro Attejo Fontejum scribant in eo consulatu, sed pro Attejo Tacitus pugnat. Obiit sub Tiberio, Cajo Sulpitio, & D. Haterio Coss. Libros plures edidit collectaneorum: quibus haud pauca Senatus, Tribunorumque decreta, edictaque Augusti, Tiberiique inseruit. (a) Multa quoque de jure Pontificio scripsit, & de publicis judiciis commentarium, aliaque plura (b) Gellio, Festo, Macrobio, Nonjo, Frontino memorata.

(a) Gell. *l. 2. c. 24. l. 4. c. 14.*
(b) Gell. *l. 10. cap. 6.* Festus *in verb. mundus.*

LXXV.

DE NERVA PATRE, ET FILIO.

Nerva pater scholam suscepit Labeonis, eamque ingenio, & disputationibus dilatavit. Consul fuisse fertur sub Tiberio: (c) cui Nerva erat adeo familiaris, ut ab eo secum Capreas fuerit deductus: ubi flagitiosae libidinis spectator proximus erat, & invitus oppressaeque libertatis assiduus contemplator, tanta indignatione animi, ut quem orationis auctoritate comprimere non audebat, propriae mortis exemplo admonere voluerit. (d) Cumque angore animi, atque tristi desperatione haud obscure significaret grave aliquid in se ipsum consulere: Tiberius, quamvis causae noscendae cupidus, nec eam eruere ab eo potuit; neque animum illius absterrere a morte, quam obstinaverat. Maluit enim ille

(c) Tacit. *l. 4. annal. 58.*
(d) Tacit. *annal. l. 6. c. 26.*

Digitized by Google

honestum exitum, quam turpem vitae cum Tyranno conjunctionem. Quoniam enim amicitiam illius declinare non poterat sine periculo: vitam sibi ademit, quae vel ignominiose traducenda erat, si Tyranno carus esse cupiebat; vel illius crudelitate deponenda, si placere studuisset bonis. Itaque abstinentia cibi semetipsum absumsit: eoque facto corruptos mores Tiberio exprobravit, anno a C.N. XXXIV. Reliquitque Nervam filium ea ingenii alacritate, ut anno aetatis decimo septimo sese publice consulentibus obtulerit. Quo in munere cum liberius aliquando indulgeret ingenio, videbatur aliquanto argutior. (a) Libros edidit de usucapionibus, & alios responsorum: quorum Papinianus & Vlpianus haud raro meminerunt. (b) Ex hoc prognatum ferunt Nervam Imperatorem.

(a) Paul *l. penul. ff. in quibus causis pign. vel hipoth.*

(b) *l. 47. ff. de acquir. poss. l. 2. ff. de his qui notant. infam. l. 3. ff. de usuf. & alibi.*

LXXVI. DE PROCVLO.

Nervae patris disciplinam excepit Licinius Proculus: de quo cum nihil certi traditum reperiatur, aliqui, & si levi conjectura, eum esse putarunt, qui sub Othone praetorio praefuit. Quicumque ille fuerit, certe magnam in jure civili auctoritatem est assecutus: ita ut extincto Labeonis nomine, schola illius, quae per Nervam ad Proculum pervenerat, Proculianorum appellaretur.

(c) Tacit. *l. 1. hist. cap. 46.*

LXXVII. DE PEGASO.

Suam hic sectam tradidit Pegaso: quem Juvenalis obscuro loco natum innuit, propriaque virtute summos honores adeptum. (d) Nam sub Vespasiano praefectus urbi fuit, deinde Consul cum

(d) Satyr. 4.

Digitized by Google

cum Pusione. Quo in magistratu se auctore conditum est S. C. de retinenda per haeredem quarta ex singulis rebus per fideicommissum relictis, exemplo Falcidiae: quod Pegasianum est appellatum.

LXXVIII. DE CELSO PATRE.

Ab hoc Proculiana disciplina transiit in Juventium Celsum patrem, indeque ad filium. Pater initiae conjurationis auctor a Domitiano compertus, cum frustra negaret, astu, & simulatione poenam effugit. (a) Promisit enim clam inquisiturum se, criminisque conscios delaturum, si sibi vita condonaretur. Annuente Tyranno, ipse aliud ex alio nectens, rem ad Domitiani mortem extraxit, seque ac socios periculo exemit. Apud Trajanum in magna aestimatione fuit. Praetor creatus Licinium nepotem, (b) qui ambitus, & repetundarum reis facultatem testium Romam evocandorum fieri volebat, adeo acriter objurgavit; ut accensis utrinque animis ad contumelias excurrerint.

(a) Dio. l. 67

(b) Plin. lib. 6. epist. 5.

LXXIX. DE CELSO FILIO.

Hunc excepit Celsus filius: qui adolescentis nomine in libris juris a Patre distinguitur. Consul suffectus primo, deinde ordinarius fuit sub Adriano: (b) qui ejus consilio est usus inter jurisconsultos ceteros, quos adprobante Senatu sibi adjungere consueverat. In Romano marmore invenimus Celsum, qui Promagister Scrinii libellorum sub Antonino fuit. Praeter libros triginta novem digestorum, reliquit etiam aliquos de

(b) Spart. in Ael. Adrian.

Digitized by Google

de usucapionibus : quibus in libris crebra mentio est Patris.

LXXX. DE NERATIO PRISCO.

Neratius Priscus Labeonis Scholam per Celsum patrem postremus accepit. Eum Trajanus tanta benevolentia, & honore complectebatur, ut multorum judicio eidem traditurus imperium videretur. Cui & provincias commendare fuerat auditus, ubi fatale aliquid sibi contigisset. (a) Quam Neratio spem abstulit Adrianus, forsan favore Plotinae : ut sat noster haberit ab Adriano in consilium adhiberi. Consul fuit, ut creditur, sub M. Aurelio.

(a) Spart. in AEl. Adrian.

LXXXI. DE MASVRIO SABINO.

Postquam totam jam Scholam Labeonis percurrimus : remeabimus ad Attejum Capitonem : cui succesit Masurius Sabinus obscuro loco, tenuibusque facultatibus, quem diu aluit auditorum pietas, & liberalitas. Ad equestrem ordinem sua tantum virtute, nullis meritis majorum quinquagenarius ascendit. Is cum parum lucri colligeret e studiis, novum tamen honorem Jurisprudentiae peperit. Primus enim ab Augusto, deinde ab Tiberio publicam accepit auctoritatem respondendi de jure : cum antea non e Principum auctoritate arcesseretur munus respondendi ; sed e privatorum arbitrio, ac populari opinione susciperetur. Ab eo igitur tempore quo necesse fuit, hoc a Principe impetrari, responsa judicibus offerenda scriptis mandari, obsignarique consueverunt. Quod institutum ex Principis auctoritate respondendi, gratia deinde, atque ambitione corruptum, neglexit

Digitized by Google

glexit Adrianus: qui non petendum id munus respondit, sed praestandum. Hoc est non ex Principis concessione, sed ex propriis doctrinae meritis expromendum. Auctoritatem enim respondendi princeps, uti usu venit, tribuere potest vel indocto; respondere vero recte nemini, nisi docto licuerit. Ex hujus nomine totam Jurisprudentiam Persius notavit eo versu.

Excepto si quid Masuri rubrica notavit.

Is Coccejum Nervam alterius factionis principem habuit aemulum.

LXXXII. DE C. CASSIO LONGINO.

C. Cassius Longinus materna e stirpe jurisprudentiam; at a vindice libertatis gente constantiam simul, & judicandis severitatem retulit. (a) Natus est enim Tuberonis filia Serv. Sulpicii nepte: Majores vero paterni generis habuit inclitum illum Caesaris interfectorem Cajum Cassium, & L. Cassium praetorem, ad cujus Tribunal in criminum ultionem tanta severitas excubabat; ut reorum scopulus diceretur. Hos Cassius noster adeo expressit integros, ut Jurisprudentiam generis materni, & paterni virtutem, praeclaris maximisque rebus gerundis dicendisque gravissimis sententiis, haud impari laude, reddiderit. Consul fuit cum M. Vinutio Quartino XVII. anno Imperii Tiberii Caesaris. Sequenti anno de redigendis in fiscum Sejani bonis toto assentiente Senatu vehementissime disseruit. Similitudine nominis in capitis discrimen fuit adductus, eum Caligula ad necem de-

(a) *De hoc* Sueton. *in* Calig. *c.* 55. Dio *l.* 59. *in fin.* Tacit. *l.* 16. *ann. c.* 7. & 9. Sueton. *in Neron. c.* 35 & Tacit. *lib.* 13. *annal.* 14. & *lib.* 12.

Digitized by Google

poſcente; quod reſponſum a Fortuna Antiate accepiſſet, ut caveret a Caſſio: id autem pertinebat ad Chaeream Caſſium, cujus manu occubuit. Syriae praefecturam a Claudio accepit, ac pontificiam Judaeorum ſtolam ſummis ſumtibus, & magnificentia elaboratam, quae prius a Romanis, adſervabatur, & Judaeis poſcentibus ad Sacrificiorum uſum promebatur, quamque Tiberius in Judaeorum poteſtatem retulerat, Caſſius, ne quid Romanis ex antiquo jure decederet, in Romanorum redegit cuſtodiam. Quae cauſa Judaeis fuit legationis mittendae ad Claudium. Quamvis doctrinae magis, quam bellis vacaret; priſcae tamen disciplinae ſtudioſiſſimus fuit. Meherdatem deducere juſſus, meuens ne cunctando langueſcerent barbarorum animi, neve perfidia mutarentur ji, a quibus Meherdates in Regem poſtulabatur, praelii committendi, urgendaeque rei auctor erat. Sed id conſilium fraude neglectum ab Rege Arabum Abbaro. Quamobrem Meherdates ea mora nudatus auxiliis, poſtea infeliciter, imparibusque copiis pugnans in hoſtium poteſtatem eſt redactus (a). Supplicationum frequentiam ob debellationem parthorum auctoritate ſua compeſcuit: auctorque fuit dividendorum dierum in Sacros, & negocioſos: ne annus totus ſupplicationibus traduceretur, ſi pro Romanorum felicitate Diis agerentur gratiae, quantae deberentur. Compeſcendae Puteolanae ſeditioni a Senatu datus invitis propter

a) Tacit. 12. ann.

Digitized by Google

pter nimiam severitatem ipsemet postulavit, ut negotium alteri mandaretur. Pedanio Secundo praefecto urbis servili manu obtruncato, multitudo servorum, quorum tueri dominum intererat, poenas dare cogebatur: Sed quia hinc plebs pro aliquorum innocentia; illinc Senatus pro dominorum securitate certabat: Cassius in medium progressus demonstravit facinus tale, ac tam difficile sine omnium, aut dolo, aut culpa explicari nequisse: cunctisque persuasit singulorum servorum conscientiam fuisse criminosam. Neronis crudelitate in exilium est actus: quod majorum imaginibus interposuisset illam Caj Cassii, qui in Caesarem conjuraverat, cum ea inscriptione: *Duci partium.* Verum obiit tandem in urbe a Vespasiano revocatus. Ingenii certamen exercuit cum Proculo: Cassius enim tanta aestimatione ferebatur inter discipulos Capitonis sive inter Sabinianos, ut schola illa tota deinceps Cassianorum appellaretur.

LXXXIII. DE CAJO ITEM.

Fuit & Cajus alius ex equestri ordine sub Antonino: (a) cui ab aliquibus adscribitur quidquid Caj nomine in libris juris occurrit. Hunc Menagius (b) in dissertatione sua *de utroque Cajo* accipit pro T. Cajo, quem praenomine distinguit a Cajo Cassio Longino: ad quem pertinere ait verba ista Cujacii: (c) *Fuit hic auctor grammaticis familiaris, propter bonarum literarum, & Homeri potissimum tractandi, quae in eo fuit peritiam summam.* Scripsit autem re-

(a) Pancirol. *de clar. interpr. lib. 1. cap. 28.*
(b) *In Amoenitat. jur. civil.*
(c) *Lib. 11. obs. cap. 38.*

Digitized by Google

centior ille quisquis fuerit institutiones : unde suas magnam partem depromsit Justinianus, ut merito illum *Cajum nostrum* appellet : (a) non quod eum inter aetatis suae viventes Jurisconsultos ministrum haberet. De hoc doctissime Aleander in suis ad Cajum commentariis. (b)

(a) Cujac. *in proem. institut.*

(b) *l. 8. & 9. ff. ad S.C. Orphit.*

LXXXIV.
DE COELIO SABINO.

Coelius Sabinus e Cassii Longini disciplina profectus, magnae fuit apud Vespasianum auctoritatis. (c) Honoris causa in duos menses, nempe Quintilem, ac Sextilem, consulatum acceperat ab Othone : quam dignitatem sub Viteliio quoque retinuit. Librum scripsisse fertur *ad edictum Aedilium Curulium*, unde multae sententiae illius in rebus venalibus obtinuerunt. (d) Ab hoc Sabinianorum appellatio processit : quamvis eam Pancirolus deducat a Masurio Sabino.

(c) Tacit. *l. 2. hist.*

(d) Gell. *lib. 7. cap. 4.*

LXXXV.
DE PRISCO JAVOLENO.

Coelii schola migravit ad Priscum Javolenum : cui mentis levitas auctoritatem in jurisprudentia non imminuit. Habebatur enim parum sanus, quod Passenio Poëtae recitanti elegos ad verba haec : *Prisce jubes ?* improviso responderit : *Priscus Javolenus non jubeo* : (e) unde repente risus obortus. Non tamen de jure acute minus, recteque respondit : neque suis consiliis in legibus condendis minus profuit (f) Antonino Pio, sub quo vixit, ac Syriae praefuit, teste Juliano. (g) Scripsit libros ex Cassio quindecim, & libros decem ex posterioribus Labeonis

(e) Plin. *l. 6. epist. 15.*

(f) Capitol. *in Antonin. Pio.*

(g) *l. an apud se. ff. de manumiss. vind.*

Digitized by Google

beonis, & epistolas ad Plautium, qui magnus & ipse fuit Jurisconsultus. Auditores habuit Javolenus plures, inter quos Tuscianum, & Valentem, & omnium praestantissimum Julianum: in quo sectarum dissidia quieverunt: (a) quamvis a Donello inter Proculianos adnumeretur.

(a) *Comm. jur. civil. lib. 5. cap. 25. l. 1. §. 1. quo haer. 14. ad leg. falcid.*

Is non minus animi, quam corporis prole fuit insignis. Avus etenim fuisse ab Eutropio; proavus a Spartiano traditur Juliani Imperatoris: qui & ipse jurisprudentiae laude floruit. Hinc in errorem inductus Aurelius Victor ipsum Imperatorem Julianum edicti perpetui compositorem appellat, ambigitque Salvium ne, an Didium Julianum Imperatorem nuncupet. Quem errorem Victor etiam Grotio *in sparsis floribus* offudit. (b) Cognomen Salvius habuit Severus; patria Mediolanensis, illustri genere. Magnam vero sapientiae laudem adquisivit sub Adriano: cu familiarissimus fuit, cujusque jussu ex veteribus, novisque abs se commissis edictis, condidit, atque in concinnum titulorum ordinem digessit edictum perpetuum, scripsitque libros, quos digestorum appellavit: nempe, ut Cujacius interpretatur, *edictorum digestorum*. (c) Praetor fuit, & sub Antonino Pio Consul cum Torquato: ac (si tacentibus fastis consularibus fas est credere Spartiano) Consul factus est iterum sub Marco Philosopho cum Pisone. Quibus in magistratibus, exemplo Javoleni praeceptoris sui, proprios servos vindicta liberabat,

LXXXVI. DE SALVIO JULIANO, ET TARRUNTENO.

(b) *Ad l. 2. de orig. jur.*

(c) *Ad Julian. in princ.*

Digitized by Google

eamdemque sententiam aliis praetoribus suade-
(a) *l. apud Sc. ff. de man. lind.* bat. (*a*) Hujus est praeclarum illud: *Nulla lex tam late patet, ut ad omnia pertingat.* In pluribus juris civilis locis a Principibus honorificentissime appellatur. Sunt qui hujus vitam ad Commodi usque imperium extendant: eumque arbitrantur eundem esse, qui cum Paterno etiam Jurisconsulto particeps conjurationis fuit; quique simul cum Paterno jussu Principis vitam amisit. (*b*) Paternus autem, qui Tarruntenus erat cognomine, libros reliquit militarium quatuor: quorum in digestis aliquot monumenta supersunt.

(b) Lamprid. *in Commodo.* Dio *in Commod. lib. 72.*

LXXXVII. DE DOMITIO LABEONE.

Floruit sub Adriano Domitius Labeo, qui dubium eruditis injecit, sui ne; (*c*) an superioris Labeonis libri significentur in Digestis.

(c) *l. 27. ff. qui et ex quib. fac. poss.*

LXXXVIII. DE T. ARISTONE.

Titus Aristo non modo fons publici, privatique juris: verum etiam omnium doctrinarum, & omnis eruditionis a (*d*) Plinio fuisse traditur: conceptamque animo sapientiam laudabilibus factis explicasse; ut nihil aut nos ad Plinii testimonium; aut Plinius ipse ad majorem hominis laudem possit adjungere.

(d) *Lib. 1. epist. 22.*

LXXXIX. DE ARRIANO.

Arrianus initio Senator, deinde secessit in otium literarium: atque ad hunc missae creduntur epistolae a Plinio ad Arrianum scriptae. Librum edidit de interdictis, & de re militari.

XC. DE SEXTO CAECILIO AFRICANO.

Sextus Caecilius Africanus Juliani discipulus tantum praeceptori suo tribuit, ut Africani

ore

ore videatur Julianus, tanquam Apollo ex tripode, oracula fudisse. Omnia enim fere de Juliani sententia summa fide pronunciat per verba: *ait, existimavit, negavit, putavit, inquit, respondit, placet, notat.* Adeo sapientiae gloriam doctori suo non invidebat vir alioqui divini, humanique juris peritissimus. Siquidem Caecilius ille fuisse creditur, quem Gellius (*a*) adversus Favorinum philosophum decemvirale jus propugnantem inducit, vixitque sub Adriano, aut Antonino Pio. Extat de eo peculiaris Menagii dissertatio. Ego nihil certi statuo: & quoad aliud mihi illucescat Cujacium sequor. (*b*)

(a) *Lib. 20. c. 1.*

(b) *In princip. comment. ad Africam.*

XCI.
DE SEXTO POMPONIO.

Sextus Pomponius, ut quidam putant, ex antiquissima Pomponii Attici familia, auctor fertur *legis 2. ff. de origine juris:* in qua non raro scriptoris diligentia ne dicam, an historiarum cognitio desideratur? ut non mirum, si ab eruditis non paucis ea lex Pomponio adjudicetur. Cum Papinianum principem alioqui jurisprudentiae inter Jurisconsultos non descripserit: facile crediderim, aut ejus legis auctorem non esse Pomponium; aut ante Papinianum vixisse, Adriani puta aetate: quamvis a Lampridio scriptore non diligentissimo sub Alexandro ponatur, si locus est integer: nam si Salmasii lectionem, & restitutionem amplectamur, Pomponius manebit extra numerum a Lampridio descriptum. Expungitur etiam inde a Casaubono auctoritate veterum codicum ex regia Bibliotheca.

Juni-

Digitized by Google

XCII. DE JVNIO MAVRICIANO, ET AELIO MARCIANO.

Junius Mauricianus ſub Antonino Pio vixit, & AElius Marcianus, qui Baeticam Proconſul adminiſtravit. (a) Praeter alios libros ſcripſit inſtitutiones: unde multa Juſtinianus tranſtulit in ſuas.

(a) *l. ſi ang. 57. ff. de legat. 2.*

XCIII. DE VLPIO MARCELLO, MECIANO, SATVRNINO.

Eadem aetate floruit Vlpius Marcellus, qui a conſiliis fuit Antonino Pio, ut exiſtimat Cujacius in *comment. ad Vlp. Marc.* Et Voluſius Mecianus auctor (b) Voluſiani S. C. qui ſummis laudibus extollitur a M. Antonino: & Claudius Saturninus, qui praetor fuit, (c) quique cum ſeorſum ſaepe ſentiret ab aliis, cauſam praebuit noſtratibus interpretibus, ut homines ſui ingenii Saturninos appellent. (d)

(b) *l. antepenult. ff. ad l. Jul. de bi priv l. ult. bi 17. ff. de jur. patro.*

(c) *l 1. ff. de Senator.*

(d) *DD. in lit. de Senat.* Bald. *in l. 1. ſub 3. C. de Sacroſ. Eccleſ.*

XCIV. DE TERTVLLIANO.

Vixit autem ſub Septimio Severo Tertullianus, qui an idem fuerit ac Sacer Scriptor; quamvis Cujacium (e) auctorem habeam, qui, propter multa jurisprudentiae ſemina in Sacri ſcriptoris libris collucentia, eundem eſſe cenſet: nihil ego tamen certi affirmare auſim; diſſentiente praeſertim non levibus ex cauſis Hugone Grotio. (f) De hoc latius agit Menagius in amoenitatibus juris civilis.

(e) *Obſ. 7. c. 2.*

(f) *In epiſt. ad Tit. cap. 3.*

XCV. DE PAPYRIO JVSTO, & ALIIS.

Ad eamdem aetatem refertur Papyrius Juſtus, & Meſſius Ruſticus, & Calliſtratus, & Tryphoninus, qui e Juliani ſchola profectus creditur, quique ſub Caracalla Syriae praefuit; & Arius Menander, qui tot Severi Principis erat negotiis implicatus, ut excuſationem a tutela meruerit. (g)

(g) *l. verum 2. §. ex facto. ff. minor.*

Fa-

Digitized by Google

Fabius Sabinus, ad quem ex aliquorum opinione ab Vlpiano, Paullo, Pomponio scripti sunt libri, qui ad Sabinum nuncupantur, ab AElio Gabalo capite damnatus, vitam servavit per Centurionem; qui cum surdus esset, & aliter mandata excepisset, eum urbe pellendum censuit. XCVI. DE FABIO SABINO.

Hujus filius Fabius Sabinus J. C. quem Alexander in consilium adhibuit, ea constantia, & vitae integritate fuit, ut aetatis suae Cato diceretur: (a) eo fortasse admirabilior, quod priscam illius virtutem in corruptissima aetate retinuit. Sed his jam percursis, ad celebriores ejusdem temporis Jurisconsultos, a nobis e turba honoris gratia sevocatos, veniamus. XCVII. DE FABIO SABINO F. (a) Lamprid. in Alex.

Eos aetate praecessit Cerbidius Scaevola: cui laudem summam non propria tantum, sed & discipulorum dignitas peperit: quorum in numero fuisse traditur Severus postea Imperator, & Papinianus, & Paullus, a quo ideo *Scaevola noster* appellatur: (b) ac propter magnam in jure civili auctoritatem legum Coryphaeus a Modestino dicitur, & ab Arcadio, atque Honorio prudentissimus. (c) Ejus consilio in legibus, decretisque condendis M. Antoninus philosophus plurimum juvabatur. Nihil hujus responsis gravius; nihil priscae sanctitati similius; nihil denique proprius ad causae veritatem: cum ex ipsius facti recessibus, quo ingenio penetrabat, responsorum suorum vim, & rationem extulerit: unde solenne illud apud Scaevolam, *secundum ea, quae proponentur*. XCVIII. DE CERBIDIO SCAEVOLA. (b) *Vide* Cujac. *in recitat. solenn. in responsa* Cerbid. Scaevol. (c) *L. scire oportet §. alind ff. de excusat. tutor. l. 3.* Cod. Theod. *de testam.*

ponerentur. Peritis enim, illucescente facto, jus confestim occurrit. Huic tribuitur proverbium illud, *jura vigilantibus scripta sunt.* Ejus schola Senatum quodammodo jurisconsultorum aperuit, fuditque clariores jurisprudentiae proceres. (a) Atque inter ceteros Paullum, Tryphoninum, & qui antiquitatem universam doctrina, & gloria superavit; posteritatem vero ejusdem spe gradus exuit Papinianum: cujus vix unquam nomen a Principibus absque laude profertur, quemque jurisconsulti ejus aequales Vlpianus, & Paullus, quamvis habuerint studiorum socium, tamen verebantur ut Magistrum. Nec enim prorsus erravit Lampridius, qui eos Papiniani discipulos facit: nam si non aetate, voluntate tamen fuerunt & cultu.

(a) Cujac. *ad Papinian. in princip.*

XCIX. De Papiniano.

Papiniani clarior fuit vita, quam felicior: exitum enim habuit qualem sub Tyranno fortissimi quique nanciscuntur. (b) Hostilii Papiniani, atque Eugeniae Gracilis filius fuit. Aetate, ac gloria procedens munus subiit procuratoris Fisci. Praefecto praetorio adsedit. Septimio Severo, non solum affinitate per secundam uxorem, sed societate quoque studiorum, ac vitae gratus adeo fuit, ut ab illo statim post susceptum imperium praetorio praefectus fuerit: qui summus erat secundum Principem gradus: ab eodemque moriente curam filiorum illius acceperit. Quam ei fidem Papinianus capite suo persolvit. Etenim dissidentibus inter se mutuis odiis Geta, & Caracalla, ille nullam curam praetermisit, quo animos eorum

(b) Spartian. *in Caracall.* Dio *lib. 77. & 78.*

Digitized by Google

eorum componeret. Qua caritate offensus Caracalla: quia hostis loco habebatur ab eo, quicumque fratri non esset infestus: Papinianum, vel Getae necem prohibentem; vel parricidium excusare detrectantem; vel nolentem Imperatori orationem componere ad facinus apud populum diluendum, suis militibus occidendum tradidit. Feruntur autem hae voces summae constantiae indices a morituro Papiniano editae: nam cum ab Imperatore rogaretur; *non tam facile*, inquit, *parricidium excusari posse, quam fieri.* Atque instante Imperatore, ut populo persuaderet Getam propter sua scelera merito interemtum, respondit: *Aliud est parricidium accusare innocentem occisum.* Atque supplicio proximus vates etiam fuit posterioris facinoris a Macrino suscepti: qui, cum praefectus praetorio esset, Antoninum Papiniani occisorem imperio spoliavit, & vita. Stultissimum enim fore Papinianus dixerat eum, qui sibi esset successurus; si proculcatam in se praefecturam relinqueret inultam. Cum autem audisset Caracalla Papinianum bipenni fuisse obtruncatum, carnificem increpuit, quod suum jussum gladio non fuisset executus. Tradit Soccinus urnam argenteam aetate sua Romae repertam a rustico cum hac inscriptione; *AEmilii Papiniani J. C. & Praefecti Praetorio requiescunt hic ossa, cui infelix Pater, & Mater sacrum fecerunt mortuo anno suae aetatis trigesimo sexto.* Extat & alia inscriptio: *AEmilio Papiniano Praefecto Praet. J. C. qui vixit annos tri-*

Digitized by Google

ginta sex M. quatuor, D. decem Papinianus Hostilius Eugenia Gracilis turbato ordine in senio hoc parentes fecerunt filio opt. Lepidum vero est, quod latro comprehensus respondisse fertur Papiniano eum interroganti, cur latrocinium fecisset? nam ad haec latro retulit: *& tu cur Praefectus es?* (a) Tanta vero illius in jure civili fuit auctoritas, ut nunquam ab Imperatoribus, nisi honorificentissime appelletur: inque variantibus J. C. sententiis ea praeferretur, a qua stetit Papinianus: cum quo semper ipsa veritas habitare censebatur: & cum alii Papiniani auctoritate nitantur, ipse ad nullius unquam auctoritatem excurrit: ut quot responsa, totidem reddidisse oracula videatur. Hinc illa de summo J. C. crebra, & plena honoris elogia: nimirum *Aselus juris, & legalis doctrinae Thesaurus.* (b) Hinc tertio anno auditores juris sese libris Papiniani tradebant, & Papinianistae dicebantur, eoque anno ineunte Papiniano festum diem agebant. Hinc Hieronymus aliud inquit Paullus noster; aliud Papinianus praecipit. Eumdemque locum Papiniano tribuit in humano jure, quem habet Paullus in Divino. Maximum sane jurisprudentiae incrementum, & vir priscis Reipublicae temporibus dignus: qui Romanam justitiam scriptis docuit, & sui ipsius capitis pernicie. Quod ingenium suis omnibus in responsis, totoque genere orationis elucet. Inest enim in eo praeter elegantiam, & candorem latinitatis omnibus Jurisconsultis familiarem, gravitas talis: ut non tam interpretem, quam latorem legum agere videatur. Hunc

(a) Dio *l.* 76.

(b) Cujac. *in Papin. in princ.*

Digitized by Google

Hunc sequitur Domitius Vlpianus Syrus, qui praetoribus primo; deinde ipsi Papiniano praefecto praetorio adsedit. (a) Verum per Heliogabalum ob invisam propudiosae libidini probitatem a publicis muneribus jam ejectus, postea redditus Reipublicae fuit, & Magister scrinii assumtus ab Alexandro Severo: cujus imperium regebatur Vlpiani consilio, quem repugnante primum, deinde laudante Mammaea matre pro tutore adhibuit, (b) eumque dilexit prae ceteris Juriseonsultis, quos advocare in consilium consueverat, quosque veluti Pythiam consulebat, antequam grave aliquid aggrederetur. (c) Horum sapientiae tribuenda est moderatio illa Severi super fisci negotiis, conditarumque ab eo constitutionum lenitas, atque aequitas. Cum neminem ad se solum Alexander admitteret, tum ne cui nimiam apud populum potentiam pareret favore suo; tum ne invidiam sereret inter amicos: unum tamen excepit Vlpianum, quem semotis arbitris ad se introduci permisit. Nam praeter prudentiam, erudito ejus colloquio maxime capiebatur. Praefectus praetorio creatus ab eodem Principe Vlpianus adeo adversas habuit militum voluntates, ut ab iis etiam ad necem peteretur: a qua illum saepe Imperator, & aliquando objecta etiam summa purpura eripuit. Quamvis vero tanta fuerit hominis doctrina, nescias tamen plus ne profuerit humano juri, quam obstiterit Divino. Siquidem auctoritatem omnem, & gratiam suam apud

C. DE DOMITIO VLPIANO.

(a) *l. 1. ff. de cens. & Lamprid. in Sever. c. 26.*

(b) *Lamprid. in Alex. c. 51.*

(c) *Lamprid. in Alex Sever. cap. 15.*

Digitized by Google

Principem direxit adversus Christianos: a quibus benevolum Imperatoris animum feminibus etiam nostrae religionis, imitatione Mammaeae matris, imbutum a Christo detorsit: mitissimumque Principum, collectis omnibus Imperatorum constitutionibus in Christianos conditis, in eos exemplo superiorum Principum incitabat. Scribendi genere usus est leni, temperato, & facili, ut nunquam tamen gravitas in eo desideretur. Mira est ejus proprietas verborum: quorum adeo erat religiosus curiosusque investigator, ut Theodorus Cynulcus apud Athenaeum superstitionem hominis, & inutilem subtilitatem fastidierit. Vnde spinarum collector appellabatur. Molestiam enim familiaribus objiciebat crebris quaestiunculis de singulis vocabulis rogitando, atque contendendo, nullique cedendo. Et cum inter epulas de cujusque cibi appellatione percunctaretur, extaret ne alicubi verbum, an non extaret (a) κεκτυκεν fuit appellatus: quamvis Casauboni sententia hic alius sit ab Vlpiano Jurisconsulto. Vicit tandem auctotitatem hominis, & gratiam Principis militare odium, quo demum Vlpianus interiit.

(a) Animadv. in Ath. cap. 7.

CI. DE JVLIO PAVLLO.

Cum Vlpiano conjungimus Julium Paullum Patavinum. (b) Is cum sese causis defendis exercuisset, & cum eodem Vlpiano Papiniani fuisset assessor, scrinii memoriae magister creatus fuit, & postremo praefectus praetorio: (c) ita ut Vlpianum disciplina, aetate, honoribus, & Principis gratia aequaverit: styli tamen gravitate

(b) L. quaesit §. cum vir. ff. de legat. tert. l. Ba. ff. de reb. cred.

(c) AEl. Spart. in Nigro.

Digitized by Google

tate superarit, & numero librorum, quo vicit ceteros: cum nullam non juris particulam attigerit. Hoc etiam Vlpiano dissimilis, quod Vlpianus in juris definitionibus remissior est, & pronior ad aequitatem; Paullus vero severior, & religiosior juris.

CII. DE HERENNIO MODESTINO.

Herennius Modestinus Vlpianum habuit magistrum, a quo studiosus suus appellatur. Eundemque Vlpianum saepe consulnit etiam absens, cum Dalmatiam pro Consule administraret. (a) Graecarum fuit, ac latinarum literarum cum primis doctus, pollensque in utraque scribendi facultate, librumque de excusationibus graece conscripsit. Vixit ad Gordiani tempora, a quo non contemnendae auctoritatis J. C. appellatur. Maximinus vero junior eum sibi juris peritum, & magistrum adhibuit: ut refert Capitolinus. (b)

(a) *l. 52. §. si quis. ff. de furt.*

(b) *In Maximin. junior.*

CIII. DE ALIIS GENERATIM.

Atque hunc postremam jurisprudentiae vocem appellare licebit: quo sublato hujus doctrinae oracula conticuere, ac superstitibus rivis, juris exaruere fontes. Hermogenianus enim, qui sub Constantino claruisse fertur, de quo Menagius quaerit in amoenitatibus juris civilis, (c) aliique obscurioris nominis, nihil prodidere novi: sed vetera tantum retractarunt, aut explicarunt, remissoque prisco illo, & gravissimo instituto respondendi, tantum docendo juri civili scholas aperuerunt. Fuerunt sane plurimi, aut Modestini, aut Vlpiani aequales, ijdemque Papiniani discipuli; sed minus celebres: quorum

(c) *cap. 11.*

Digitized by Google

rum cognitio repeti potest ex eorum libris, qui peculiares tractationes de Jurisconsultorum historia conscripserunt. Nos etenim, omissis iis, quae tantum curiositatem explere possint: ea suggerenda duximus; quae initia juris illustrare, atque utilitatem, opemque praebere possint laborantibus. Sane interruptam nunc narrationem opportune repetemus, & Jurisconsultorum historiam persequemur, postquam expedierimus Justinianeam juris civilis collectionem: ad quam ut accedamus, aperienda sunt fundamenta ejus potestatis, qua usi Principes jussa sua partem fecerunt juris civilis. Quae ut a suis naturalibus initiis deducamus, plura evolvenda sunt de Principum Imperio, ejusque vires expendendae, progressioque vestiganda: ut nosse possimus, quibus ex initiis in libera Civitate orta fuerit eo potestas & quousque pervenerit. Quoniam vero nihil certi exploratique comprehendere possumus, nisi quod hauriamus de fonte naturae; ideo tantisper a matre veritatis philosophia facem illam arripiam, qua per tenebricosum iter, & opinionibus obsessum libere percurram ad ea primordia, unde veritas protrahatur in lucem. Qui enim adhuc scriptis suis imperii fundamenta jecerunt: Jurisconsultis recentioribus, non tam abstrusas naturae notiones; quam auctoritates, & opiniones pro certis firmisque principiis tradiderunt: & quae consequentia esse debuissent, pro antecedentibus acceperunt: ut non aliam firmitatem ea, quae proponunt, habeant, nisi

Digitized by Google

niſi ſtudioſorum fidem, atque conſenſum: ne dicam inquirendi negligentiam.

CIV. DE ROMANO IMPERATORE.

Humanae naturae vitium, dum innaſcitur anima corpori, e parentum culpa ſuſceptum, ad omnem effunditur poſteritatem. Eodem vitio elata cupiditas noſtras omnes corripit facultates, e quarum regimine pellit excluditque rationem: qua depreſſa cupiditas impotenter dominatur, ſuumque jus viribus metitur: ut eouſque imperium extendat, quo ad vires cujusque perveniunt. Cum enim cupiditate non ratione decernimus, tantum exſultant jura corporis: quae illi dominium rerum addicunt, qui vim ad capiundum, & retinendum idoneam habet a natura tributam. Vnde, ſecluſa ratione, quae rerum inaequalitatem inter homines pro impariibus meritis ad communem utilitatem inducit, exſurgit appetitio naturae: quae conſtituit juris aequalitatem, eamque dirimit, atque diſtinguit potentia ſingulorum: ut cum omnia pateant omnibus, ea tamen cujusque ſint propria, quae ſuae cuique vires attraxerunt. At quoniam aequalitas, dum omnes omnia ſibi arripiunt, bellum excitat, & mutuas caedes; hinc metus inteſtinae diſcordiae, atque pericula externae potentiae, revocarunt velut ab exilio rationem: quae veram aperuit utilitatem, docuitque homines magis ad ſecuritatem, quam ad magnitudinem virium expendere jura ſua. Quamobrem propriias cupiditates, & vires communi voluntati, & publicae potentiae ad univerſorum tranquillitatem

intentae ſummiſerunt, foederaque percuſſerunt, injeruntque pacta: quorum in fidem, atque tutelam inſtituta ſocietate vitae, ſe ſuaque omnia tradiderunt, eique ſocietati regendae praefeçerunt Imperium, ſive vim ſummam undique contractam, animis omnium atque corporibns dominantem. Itaque ſervitute ſecuritatem emerunt, & parere legibus duriter, quam propriis cupiditatibus obſequi cum periculo maluerunt. Duabus igitur facultatibus hominum conditio regitur: naturali ſcilicet, & civili. Prior ſtatum corruptum hominum liberum, & ſolitarium comitatur. Poſterior vero eorundem ſocietatem, vitaeque communionem conſequitur: quam Civitatem appellamus. Etenim facultatibus naturalibus facultati civili ſubjectis, Civitas coaleſcit. Cum vero iſtae diſſiliunt, ſeque homo refert ad naturalis potentiae ſtatum, diſcordia erumpit, civitasque diſſolvitur. Quia ſublato ſtatu inaequalitatis rerum, atque pacis: homines redeunt ad juris aequalitatem, cujus obtinendae cauſa bellum inter eos exoritur. Civilis autem facultas, quae naſcitur a multitudine, minime tamen poteſt ſeorſum a perſona publica reſidere, neque in ſingulos diſſipari: hac enim ratione jus quisque repeteret ſuum: ſed in perſonam aliquam transfundenda eſt, quae multitudinem ipſam referat, qualis eſt coetus plurium, vel paucorum, vel communis ab uno adminiſtrata voluntas, ex qua exiſtit Princeps, in quem pro cujusque civitatis legibus, vel po-

Digitized by Google

poteſtas univerſa multitudinis; vel portio transfertur illius. An autem poteſtas omnis popularis; an tantum portio tranſierit in Romanum Imperatorem, e veteribus monumentis explorabimus. Nam quae poteſtas aliunde acceſſit, quam ex populi voluntate, non e civili facultate, ſocietatisqne jure manavit: ſed a facultate naturali, & militari vi a Principe explicata: per quam vim exſolvebat ſeſe jure illo, cui tuendo fuerat aſſumtus, quoque alios in civili ſtatu continebat. Quamvis autem Princeps injuſte fines civilis facultatis exceſſerit, fidemque poſtpoſuerit publici foederis, privataque uteretur naturae facultate, quam in commune depoſuiſſe oportebat: juſtum tamen erat cives obtemperare Principi: cum alia ratio tranquillitatis publicae nulla pateret. Nam ſi Principis vim majori vi coërcere voluiſſent, hortarique ſingulos ad repetendam e Principis manu ſuam cujusque facultatem: res rediſſet ad corruptum naturae ſtatum, omnium peſimum; nempe ad internecionem, atque diſcordiam, quo revolvimur, quoties obſiſtimus facultati publice traditae: cui diſſolvendae ſine rerum perturbatione minime ſufficimus. Sed jam ipſius Imperii Romani ortum, atque ſtatum, contemplemur, & explicemus. Libertatem inditam ferociae animorum, quam pulſis Regibus repetierant Romani, non negligentia, neque voluntate; ſed nimio potius ejus retinendae, ac dilatandae ſtudio amiſeruut. Etenim plebei metuentes potentiam patricio-

Digitized by Google

rum, quos infidiari publicae libertati ſuſpicabantur, variis contentionibus majorum omnium magiſtratuum communionem impetrarunt. Vnde muneribus, & honoribus communicatis, Patres, quamvis conſilio, & auctoritate anteirent; numero tamen, & viribus vincebantur: attritaque potentia Senatus, victoque conſilio meliorum publica res populari temeritate agitabatur. Multitudo vero coeca; & praeceps majora ſemper impetrando, adeo inſoleſcebat, ut cum plus in dies libidini ſuae permitteret, ad infinitam tenderet libertatem. Quamobrem diſſoluta priſca illa temperie civitatis, majorum inſtituta ſenſim dilabebantur, & plebs inconſulta in poteſtatem decidit callidiorum, & potentiorum: qui ejus cupiditati aſtu, audaciaque ſua velificabantur. Et quoniam ſtudia plebis pro varia utilitate, atque ingeniorum diverſitate dividebantur: multitudo diſceſſit in factiones: quarum ſingulae ſuos ſibi Duces, & Principes conſtituentes, in certamen venerunt: & victrix factio ſemetipſam, cum partibus reliquis profligatis, atque devictis in poteſtatem deduxit illius, cujus conſilio, atque imperio vicerat: qui deinceps plebem in fraudem jam inductam poſtea militari metu continuit. Itaque plebs contrariae factionis opprimendae ſtudio ab eo fuit oppreſſa, per quem alios opprimere conabatur. Quia vero militiam Romanam Romani Spiritus permeabant, ac ſimul cum Romano nomine adhuc opinio veteris Reipublicae vi-

ve-

Digitized by Google

vivebat in animis: neque militia, neque populus parere poterat uni, nisi falsa libertatis opinione duceretur. Vnde mansit sub Principe mendax imago libertatis in exteriori Senatus majestate, ac priscis, splendidisque magistratuum nominibus impressa. Trifariam autem res Romana sub Imperatore dispertiebatur: in Senatum, militiam, & plebem. His praeerat Princeps, qui tum securus erat, & firmior, cum auctoritatem Senatus, militum vim, & plebis potestatem aequabiliter dirimeret, atque libraret. Porro quia Romani abominabantur extraordinaria imperia, justaque rerum potestas magistratibus continebatur: Princeps, ut offensionem ferocis populi declinaret, & legitima imperia videretur exercere, praecipiebat sibi magistratus majores: quo auspicato agere, & more majorum, jussaque sua populo auctoritate legitima comprobaret. Vnde imperia Principum, non certae personae jussa; sed plurium magistratuum auctoritates reputabantur.

CV. DE VARIIS MVNERIBVS IMPERATORIS.

Erat itaque Romanus Imperator plurium, atque summorum complexio magistratuum, cumulusque variarum potestatum in militiae Principem, in cujus unius persona veteris Reipublicae vis, atque majestas per cumulatas magistratuum potestates exprimebatur. Etenim per speciem constituendae Reipublicae bellis quassatae, ac dissolutae civilibus Triumviri Octavius, Antonius, Lepidus potiti sunt rerum: atque initio Triumviratum ad quinquennium susceperunt, nullo invidioso nomine novae dignitatis assumto. Deinde

Digitized by Google

inde in aliud quinquennium imperium ſibi prorogarunt. Tandem oppreſſo Lepido, Antonioque devicto ſumma Reipublicae ad Octavium devenit. Is autem, ut invidiae pericula vitaret, ſibi ad decennium ſuſcipiebat imperium, denis annis tota vita prorogatum: ne aut abſtuliſſe libertatem populo videretur; aut eidem ſpem unquam adimeret recipiendae priſtinae poteſtatis: quam non abjeciſſe, ſed ad tempus depoſuiſſe in unius manu ſibi videbantur, & quamvis Dictatorem egiſſet Octavius, nunquam tamen formidabile jam Dictatoris nomen admiſit: ut appellatione ſublata, odium removeret, contentus Imperatoris nomine longe mitiori: quo re bene geſta Duces a militibus non ſolum in libera Republica, ſed etiam ſub Principibus, ob honorificentiam appellabantur: unde ad victoriarum numerum legimus ſemel, bis, ter, quater, quinquies Imperatores appellatos. Quo effecit, ut militaris potius honoris, ac felicitatis nomen, quam poteſtatis praeferre videretur. Praeterea, ut Octavius jam nationum omnium ſubacta patria victor ſecerneretur a ceteris mortalibus; quia Romuli nomen reſpuerat, ne Regiae memoriae ſubiret invidiam, Auguſtus appellari maluit, conſecrato jam religione vocabulo, rebusque ſacris, ac divinis uſitato: ut ſe Deorum quodammodo numine muniret. Caeſaris autem nomine ſuſcepto, haereditatem, ac ſucceſſionem praetulit illius: quod poſtea nomen ad alios una cum Imperio tranſivit. Tribus igitur iſtis appellationibus

Digitized by Google

bus Imperatoris nempe, Augusti, & Caesaris: rei militaris arbitrium, splendor dignitatis, & successio significabatur.

CVI. DE PONTIFICATV MAXIMO IMPERATORIS.

Sequuntur aliae appellationes ea jura continentes, quibus retenta specie veteris Reipublicae populi, ac Senatus potestatem, & Sacrorum arbitrium Princeps ad se trahebat. Igitur cum superstitionis vim, atque potentiam in subigendis animis intelligeret, suscepto Pontificatu Maximo, potestatem arripuit Sacrorum: ut omnis a Principe religio proficisceretur, ejusdemque Imperium a Diis arcesseretur. Ideo & in collegio Augurum esse voluit: quippe norat quantopere aruspicum responsa multitudinis animos permoverent. Extat Vespasiani nummus hac inscriptione.

IMP: CAES. VESP: AVG: P. M.
AVGVR TRIB: POT.

CVII. DE TRIBVNICIA POTESTATE.

Praeter potestatem Divinam, sepsit etiam se Princeps auctoritate plebis, adscita sibi potestate tribunitia; non vero tribuni munere: quo fungi non poterat, nisi plebejus: Princeps autem semper inter patricios censebatur: ideo relicta persona tribunorum, quae cohaerere patricio non poterat, retinuit potestatem: per quam non modo intercedendi cum ceteris tribunis jus obtinuit, sed & se praestitit Sacrosanctum. Vt quisquis eum attigisset, publicam violaret majestatem: ideoque indicta causa posset occidi: quo facto ignarae

Digitized by Google

rae plebis captavit gratiam: quasi suscepto munere plebejo, suam Princeps plebi dignitatem impertiisset. Eam potestatem Augustus perpetuam accepit, adscito ad quinquennium semel, atque iterum sibi collega. (a) Cum Imperatores alii temporariam deinceps habuerint, post exitum renovandam.

(a) Sueton. *in* Aug. *cap.* 27. *Fasti consulares.*

CVIII. De Censvra Imperatoris.

Inter magistratus Romanos maxime praecellebat censura: quippe quae moribus immineret, atque in facta civium, & vitam animadverteret. (b) Hanc Julius Caesar sibi delatam praefecturam morum appellare maluit, sive ut vetustum nominis odium effugeret; sive quia Censoris nomen Pompejus detrectaverat. Eandem morum praefecturam sibi adjunxit Augustus: ut sicuti tribunatum plebis gerebat, nec tribunus plebis dicebatur: ita sublata formidine censorii nominis, censuram exerceret. Quamobrem sexto consulatu praefecturam morum accepit, (c) egitque censum ter, sine honore censurae. (d) Antiquum Censoris munus non est veritus palam assumere (e) Claudius, & Domitianus, qui Censor appellatur in Fastis Capitolinis. (f)

(b) Cic. *lib.* 9. *epist.* 15. Dio *lib.* 43. Sueton. *in* Jul. *cap.* 76.

(c) *Fasti consulares.*
(d) Sueton. *in* Aug. *cap.* 27.
(e) Sueton *in* Claud. *cap.* 16.
(f) Sueton. *in* Domit. *cap.* 14.

CIX. De Consvlatibvs Imperatoris.

Extollebant vero maxime potentiam suam Imperatores frequentia Consulatuum, quos vel cum aliquo ex familia Caesarum; vel cum praeclarae nobilitatis, aut summae auctoritatis viro gerebant. Consulatus enim etiam devicta Republica, quamvis fractis ejus magistratus viribus, vertex dignitatum fuit, & honorum fastigium. Unde Principes, qui gloriae avidiores erant, honorem-

Digitized by Google

remque tantum subjectis suis invidebant, consulatum gerebant soli, & aliquando etiam perpetuum: uti de Vitellio vetus inscriptio testatur. (a)

(a) *apud* Gruterum.

A. VITELLIVS L. F. IMPERATOR COS. PERP.

CX. DE PROCONSULARI IMPERIO.

Proconsulare vero Imperium, quod frenum erat provinciarum, semel arreptum nunquam dimiserunt Imperatores. Quamquam enim in provincias Proconsules mittebantur, & Propraetores, & Praesides: Princeps tamen Proconsulare imperium obtinebat in provincias universas, quod illi administrabant in singulis earum. Eaque imago erat potestatis illius militaris, quae consulibus ad bellum proficiscentibus lege curiata tribuebatur; (b) quam longe pleniorem impetravit Cn. Pompejus, cujus imperio circum oras maritimas Romanae omnes provinciae olim suberant. Imperatores igitur statim extra pomoerium exeuntes proconsulare imperium explicabant: quo velut in perpetuo consulatu provinciarum omnium administratio, & rei militaris arbitrium, & vitae necisque potestas comprehendebatur.

(b) Cic. in Rullum.

CXI. DE REFERENDI JURE.

Quoniam vero libera Republica Senatum habere, ad eumque referre, sive illum consulere non licebat, nisi magistratibus majoribus: jus hoc, tamquam uni ex illis magistratibus, concessum etiam fuit Imperatoribus. Atque initio quidem admodum parce: Augusto e-

Digitized by Google

nim tantum licuit una de re interrogare Senatum: quod relationem facere dicebatur. Extensum deinde fuit hoc jus, ut de pluribus rebus relationem facere liceret: nempe uti binae, ternae, vel quaternae, atque etiam quinae, relationes fieri possent: quod jus dicebatur secundae, tertiae, quartae, quintae relationis. (a)

(a) Dio *lib.* 53. Vopisc. *in Probo. in* Aurelian. Capitolin. *in* Pertinac. *& in* Marc. Ant.

CXII. De Senatoria Imperatoris Dignitate.

Cum hisce muneribus dignitatem senatoriam iis adjunctam Princeps induebat: (b) & quamvis esset e plebe, inter patricios recipiebatur.

(b) *l.* 3. Cod. *de Dignit.* Capit. *in* Macrino.

CXIII. De Patris Patriae Appellatione.

Summorum munerum istorum invidiam Principes gratioso apud plebem Patris Patriae nomine levabant. Qui honos M. Tullio primum ob oppressam Catilinae conjurationem delatus, deinde transiit ad Augustum, & posteriores Imperatores: qui ejus appellationis honore, (c) jus etiam nanciscebantur in populum, quale parentes habent in liberos. Haec autem non omnia simul Principi, sed intervallis aliquot proferebantur. Etenim de Pertinace, atque Severo id memorabile ducitur: quod uno die hasce dignitates acceperint: cum Adrianus Patris Patriae nomen semel atque iterum oblatum distulerit, & Tiberius prorsus recusarit: quod nominis dignitas ab eo majora poscceret, quam se confideret praestiturum.

(c) Dio *lib.* 53.

CXIV. De Lege Regia.

Haec autem ex pluribus magistratibus collecta potestas Principi tradita Senatus, populique decreto, ut mea fert opinio, confirmabatur.

Digitized by Google

tur. Cujus decreti fragmentum esse arbitror illud Capitolinum, quod legis Regiae nomine producitur. Ea enim, ni fallor, erat recensio & enumeratio singularum facultatum, ex susceptis magistratibus in Principem immigrantium: quae publico populi monumento consecrabantur. Quod Augusto primum tributum, translatitium deinde fuisse arbitror: atque ad sequentes Principes descendisse. Ideo legimus in hac tabula Vespasiano eadem tributa fuisse, quae D. Augusto Tiberio, & Claudio. Quamobrem nec falsi damnaverim fragmentum hoc, quod non satis prudenter aliqui fecerunt: cum dictione, scriptura, & notarum lineamentis convincantur erroris sui; ut duo nostrorum temporum clarissima Romanae antiquitatis lumina observarunt, Blanchinus, & Fabrettus, quorum testimonium ad hujus libri extremum adjiciemus: Neque hoc decreto exutum perpetuo fuisse potestate sua populum, atque Senatum existimaverim; ut assentandi studio Vlpianus, aut Tribonianus, uter eorum fuerit, interpretatur, contra omnium temporum, atque rerum gestarum testimonia: quibus populo, atque Senatui jus magistratuum, & comitiorum asseritur. Ipse namque ordo dignitatum, atque munerum, quibus Princeps muniebatur, docet nulla fixa, certaque, ac perpetua lege; sed suscipiendorum auctoritate magistratuum Principi summam potestatem esse patefactam, eamque futuri testimonii gratia in monumentum hoc, quod legis Regiae nomen ab

Digitized by Google

adulatoribus tulit, cum ſuis gradibus fuiſſe deſcriptam. Cur enim nominatim, ac ſeorſum ſingula munera Imperatori deferebantur, ſi vis earum ipſa Imperatoris perſona ex legis poteſtate continebatur? Quorſum in populo, vel in Senatu comitia diu permanſiſſent, ſi, extincta prorſus imagine veteris Reipublicae, Principis voce omnia populi ſuffragia, & Patrum conſulta comprehendebantur? Si inquam e Principis tantum voluntate leges exibant, quid opus erat vocare Senatum ad legem ei ſuadendam, & ad Senatusconſultum a Senatoribus, poſt orationem a Principe habitam, exprimendum? At inquiunt: Princeps fertur eſſe ſolutus legibus. Quaſi vero qui ſolutus eſt ipſe legibus jure ſuo retexere poſſit veteres, & imperare novas: Aut per univerſarum legum veniam, continuo populus infinitam poteſtatem conceſſerit. Quid ſi anguſtius accipiendum eſt, quod dicitur *Principem eſſe ſolutum legibus* ex integerrimorum interpretum ſententia? Quod enim Vlpianus (a) ait, abſciſſum eſt ex ejus libris ad legem Juliam, & Papiam, quae ob earum praeſtantiam *leges* abſque adjectione alia dicebantur. Ex quo colligitur ex legibus tantum conjugalibus; non autem ex aliis legibus, Vlpiani ſententia, Principem eſſe ſolutum. Sed fac id ſignificare latius; fines certe legum civilium non egredietur; neque Principem naturalis juſtitiae vinculis exſolvet: nec parum ei tribuetur, ſi ſolennitatibus legum, & juris civilis ritibus eximatur: quod a gravioribus

(a) *In l Princeps. ff de legibus.*

tra-

traditur interpretibus : quorum nemo fert, ut Princeps, quia solutus est legibus, eas possit voluntati suae subjicere, ac publicam exagitare pacem, cui tuendae fuit assumtus. Atque ita ex Dionysio Halicarnassaeo explicatur a Cujacio (a) *lex imperii*, quae in libris Codicis memoratur. Etenim Imperatores imperium accipientes minime jurabant in leges ; (b) ideo cum novam personam induerent, eamque legibus non obligarent, soluti legibus dicebantur. Ita igitur Principes legibus exsolvebantur ; ut ne tamen legibus antecellerent. Ideo vox illa maxime celebratur: (c) *Majus imperio est summittere legibus Principatum.* Hinc ea, quae inter Principem, & privatum gererentur, nisi legibus congruerent, irrita ducebantur. Vnde nihil in Principem ex imperfecto testamento transibat : (d) legum enim venia Principum personam haud egrediebatur : neque porrigebatur ad privatum, ex cujus testamento Princeps institueretur, nihilque a privato transferri poterat in Principem, neglectis solennitatibus juris, quia libertas Principis alteri prodesse non poterat : non enim extenditur, quod contra juris regulam recipitur. Tandem quantumcumque illo veteri fragmento in Principem transisse supra susceptorum magistratuum potestatem ; jura tamen populi extincta fuisse nusquam apparet, ut ambitiose magis Jurisconsultus, (e) quisquis ille fuerit, interpretatur, quam vere. Quis vero credat regium

(a) Cujac. *in narr. in l. 3. Cod. de testam. & quemad.*

(b) Plin. *in Paneg.* Cujac. *in lib. C. C. enarr. ad l. 3. C. de testam. & quemad.*

(c) *l. digna vox. Cod. de leg.*

(d) *l. ex imperf. 23. ff. de legat. 3.*

(e) *l. 1. ff. de constit. Princip.*

gium nomen adeo exosum populo Romano a populo potius quam ab Aulicorum recentioris aetatis Jurisconsultorum assentatione huic legi fuisse tributum ? Sed jam rationes explicemus, quibus acceptam rite potestatem Principes ad communem usum adducebant : ut eodem tempore ostendamus, quid constitutiones Principum fuerint, & pragmaticae sanctiones, quod rescripta, quidve decreta, quae nomina crebro in libris juris occurrunt.

CXV. DE ORATIONIBVS PRINCIPVM.

Igitur Principes potestatem suam praecipue orationibus in Senatu habitis evolvebant : quibus aut hortabantur, aut admonebant, aut increpabant Senatum, aut suam sententiam in susceptа deliberatione proponebant ad S.C. condendum: quod nunquam a sententia Principis discrepat: hinc promiscue Senatusconsulta & Orationes Principis accipiuntur, ut notat Brissonius. (a) Has autem orationes eruditiores Principes, quales fere usque ad Vitellium fuere, per sese recitabant: (b) rudiores vero per quaestores.

(a) *Antiquit. l. 1. cap. 16.*

(b) Aurel. *Vict. de Caes. in Vitell.*

Quaestores dicti a quaerenda, vel conquirenda pecunia publica, & in rationes redigenda : quod munus fuit Quaestorum aerarii, ad quos aerarii custodia pertinebat : dictique sunt quaestores urbani, origine antiquissima : quam vel ab ipso Romulo, & Numma ; vel certe a Tullo Hostilio deducere licet. Sub Imperatoribus autem fuerunt quaestores, quos candidatos appellabant, quod is primus esset aditus ad honores, indeque ad praeturam ascenderetur.

CXVI. DE QVAESTORIBVS.

Hi-

Digitized by Google

Hique loco Principis, cujus in intima consilia vocabantur, in Senatu aderant, (a) Si Princeps, vel refugeret laborem; (b) vel adesse nequiret. (c) Jidemque libellos, epistolas, & orationes Principis in Senatu legebant, & rescripta dictabant.

(a) l. 1. ff. de officio. quaest.
(b) l. 9 lit. C. de divers. rescript.
(c) Briss. antiq. lib. 1. c. 17.

Huic aderat comes Magister officiorum, cui concredita erat morum disciplina, qua palatium Principis regebatur: unde non mandabatur, nisi philosopho, vel Jurisconsulto. (d)

CXVII. DE MAGISTRO OFFICIORUM.

(d) Guther. de offic. Dom. Aug. c. 20. lib. 2.

Curam autem Quaestor gerebat minoris laterculi, sive codicis: in quo minora officia describebantur, nempe tribunatus, & praefecturae omnes, quas Quaestor auctoritate Principis distribuebat. (e) Majus laterculum codex erat, (f) qui majora officia, majoresque dignitates continebat. Nero autem non modo quaestoribus, verum etiam consulibus orationes suas recitandas mandabat: (g) cujusmodi orationes libelli quoque dicebantur. Exemplum earum habemus in aes inciſum: qualis est illa Claudii oratio de supplendo Senatu ex nationibus exteris pagina 502. inscriptionum. Eaedem orationes ad S. C. condendum directae condito S. C. vim legis habebant: ut inde, tamquam ex mente S. C. ubi esset obscurum, explicaretur: quod faciunt frequenter Jurisperiti. Ex hoc genere illa est Augusti oratio, qua suasit legem Papiam, aliaque Divi Marci de prohibendis nuptiis inter Senatoris filium, & libertinam, inquam Paullus librum scripsit singularem. (h) Item alia ejusdem de feriis, & quibus de rebus

CXVIII. DE MAJORI ET MINORI LATERCULO.

(e) l. 1. C. de officio. quaest.
(f) l. 2. C. eodem. Tac. l. 16. ann.
(g) Guther. de offic. dom. Aug. l. 2. c. 18.
(h) l. orationes 16. ff. de rit. nupt.

Prae-

Digitized by Google

(a) l. 1. ff. de feriis.

(c) l. cum iiff. de transact.

(c) l. 1. ff. de reb. eorum.

(d) Brisson. antiq. l. 1. c. 16.

(e) Enarrator ad Cujacium ff. de Constit. Princip. in paratit.

Praetor adiri possit diebus feriatis, vel non: (a) & illa de transactione alimentorum, ne aliter, quam Praetoris auctoritate (b) rata esset. Itemque illa Severi de praediis rusticis, & suburbanis minime distrahendis a tutoribus, aut curatoribus, nisi ex praecepto parentum in testamento, (c) vel codicillis: aliaque Antonini de donationibus inter virum, & uxorem. (d) His orationibus Princeps viam potestati suae adeo patefecit, ut ejus voluntas prope transierit in legem, ejusque jussus ita expositus necessitatem attulerit parendi, tamquam ex S. C. Quae Principis jussa sunt constitutiones appellata, eaque ad haec tria summa genera referuntur: (e) Edicta nempe, decreta, rescripta: quae alii subtilius distinguunt in pragmaticas jussiones, edicta, mandata, decreta, epistolas, rescripta, interpretationes, interlocutiones, beneficia, &, quae generali etiam constitutionum nomine veniunt, orationes.

CXIX. De Pragmaticis Jvssionibvs.

(f) l. 2. Basilic. to. 5. c. 17.

Pragmaticae jussiones erant imperia Principis, quae petente aliquo collegio, vel societate, vel urbe, vel provincia, de consilii sententia manabant: (f) quae, si quid juberent, jussiones dicebantur, si quid vetarent, sanctiones.

CXX. De Edictis Principvm.

(g) Theophil. tit. instit. de jur. nat. gent. & civ.

(h) Saepe Cic. in Philipp.

Edictum erat Principis voluntas nullo rogante, vel impellente, sed sponte sua publicae, vel certae rei gratia promulgata. (g) Si quid enim consilii sui Principes aperire populo volebant, id edicto mandabant, more majorum. (h) Etenim vigente Republica idem a Marco Antonio

Digitized by Google

tonio, & aliis, qui populum vellent admonere, factum novimus. Si quid vero Principes edicto comprehenderent, quod ad omnes pertineret, vertebatur in legem: quae lex vocabatur edictalis, qua omnes populi, & provinciae tenebantur.

Lex Edictalis.

CXXI. DE MANDATIS PRINCIPVM.

Mandata Principum sunt monita, & praecepta, quae Rectoribus provinciarum, aliisque magistratibus Reipublicae, vel provinciae recte administrandae, civilique disciplinae regendae palam, vel arcano literis dabantur: (a) Quae si publice darentur, commonitoria; si clam secreta vocabantur. (b) Mandatorum vero nullae vires erant sine scripto, nisi de mandatis privatorum ageretur: (c) quae sine scripto etiam valuisse docet Cujacius.

Mandata Principum quid?

Mandata sunt { Commonitoria / Secreta

(a) *l. 1. Cod. de mand. Princ.*

(b) *l. 1. l. 2. Cod. de mand. Princ.*

(c) *obscrv. 27. c. 39.*

CXXII. DE DECRETIS PRINCIPVM.

Decreta Principum erant sententiae, quas Imperator in causarum cognitionibus cum suo consilio, & sibi adsidentibus jurisperitis proferebat. Horum sex libros Paullus reliquit, in quos Antonini, & Severi sententias contulit: quae pronunciatae sunt Paullo, Papiniano, Messio, & Triphonino adsidentibus: (d) dissentiente plerumque Paullo.

Decreta Principum.

(d) *Cujac. obs. 2. c. 26.*

CXXIII. DE EPISTOLIS PRINCIPVM.

Epistolae Principum, si quid continerent, quod in publicam rem, civilemque disciplinam tenderet, in leges etiam referebantur: qualis illa est Antonini, qua mandata de repudiandis provincialium donis explicantur, ne xeniola comprehendant. (e)

Epistolae Principum.

(e) *l. solent. §. non vero. ff. de offic. procons.*

Digitized by Google

CXXIV. DE RESCRIPTIS PRINCIPVM, ET LIBELLIS.

Rescripta sunt responsa Principum ad ea, de quibus, vel a praesentibus quibusque supplici libello rogabantur, vel per literas consulebantur ab absentibus magistratibus: quibus responsis Princeps ostendebat quid sibi ea de re fieri placeret. His pleraque pars contexta est librorum Codicis Justinianaei. Ex iisdem exempla, & regulae ducebantur ad similia definienda. Etenim ad Principem privatis vix patebat aditus, nisi per libellos desideria singulorum, & negotia continentes. Majestas enim Principis, gravissimaeque occupationes eum privatis denegabant: quamobrem non modo sub Tiberio, & Augusto; (a) sed etiam sub ipso Julio Caesare consuetum fuit Principem alloqui per libellos: quibus legendis Julius Caesar inter spectacula occupabatur. Qui mos eo visus est commodior, quod spatium Principibus daret ad cogitandum: (b) ne plus minusve loquerentur ex tempore. Porro ex sententia, & responsis Jurisconsultorum saepe Principes ad oblatos libellos de negotiis forensibus respondebant: (c) unde illud Alexandri Severi, *secundum responsum Domitii Vlpiani amici mei.* Si qua vero ambiguitas in veteribus legibus, aut constitutionibus inveniretur, eam dissolvebat; dubiamque legem & constitutionem declarabat, aut Imperator ipse; aut ex illius auctoritate Jurisconsultus. (d) Vnde pro legibus accipiuntur Principum interpretationes, ac definitiones.

(a) Tacit. l. 4. ann. Sueton. in Aug. c. 84.

(b) Tacit. l. 1. annal.

(c) l. 4. Cod. de contrab. & commit. stip.

(d) l. 11. ff. de legib. l. 1. Cod. eodem.

Paucis

CXXV. DE PRAEFECTIS PRAETORIO.

Paucis hisce satis explicatam arbitror Imperatorum Romanorum potestatem in legibus interpretandis, condendisque: nunc praefecti praetorio vim, imperiumque prodemus. Qui magistratus extra ordinem, veteremque numerum ab Imperatoribus institutus, adeo anteivit ceteros; ut proximus esset a Principe gradus, & apex omnium magistratuum: complectebatur enim omnes Imperii Romani Provincias, jussuque suo Principem referebat, summum imperium exercendo, edictaque generalia proponendo, quae ἐπαρχικὰ dicuntur a nomine ipsius magistratus, qui graece appellatur ἔπαρχος. Is quamvis dignitate Consuli cederet, potestate tamen longe praecellebat. (a) Siquidem Consul merum imperium gladio tantum, non relegatione, poterat exercere: Praefectus vero praetorio genus omne animadversionis habebat, cunctisque praeerat generibus judiciorum. Etenim ad exemplum Tribuni Celerum, qui prisco Regum aevo custodes erant regii corporis, eumque Tribunum habebant ducem; itemque ad similitudinem magistri equitum, qui vicariam Dictatoris potestatem gerebat; Augustus ex Mecaenatis consilio, ut maximam auctoritatem magistratuum, non ex populi voluntate, sed e propria facultate traheret, hanc extulit Praefecti praetorio potestatem: quam contulit in ducem cohortium praetorianarum ex equestri ordine, quas Princeps ad sui corporis custodiam adhibebat: (b) & praetoriae dicebantur, quod in praetorio, sive aula Principum versarentur.

(a) Vide Cujac. in parat. ff. & C. de offic. praefect. praet.

(b) Suet. Plin.

Augusty creat duos Praefectos Praetorio.

tur. (a) Duos igitur creavit, qui summo imperio praetorianis militibus praeessent, quos praefectos praetorio appellavit: ut quorum fidei mandata erat vita Principis, iis etiam potestas ejusdem tutius concrederetur. Quamobrem Praefectus praetorio publicae disciplinae fuit emendator. Ideo secundus dicebatur a Principe, & imperium secundum, itemque imperium sine purpura vocabatur, nominibusque aliis haud dissimilibus. (b) Cui sane praevalidae potestati exprimendae gladius ei solenniter tradebatur: ut omnium vitae necisque potestas ei tradita intelligeretur. (c) Nota est vox illa Trajani, cum Praefectum suum cingulo donaret: *Accipe*, inquit, *hunc ensem: & siquidem recte, & pro Republica imperavero pro me; sin secus, in me utere.* (d) Vnde simul cum iis commune aliquando tribunal Imperatores habebant, eosque parentes carissimos, & amantissimos salutabant; propriam in illis potestatem, ad documentum populorum honorantes. (e) Eorum igitur erat post Principem summa Imperii administratio, ab iisque mandata, jussaque Principis ceteris magistratibus, sive urbanis, sive provincialibus distribuebantur. Eorum erat deligere Judices, & removere; delicta provincialium Judicum punire; (f) atque in Senatores Constantinopoli ex Constantini lege jurisdictionem exercere; (g) causas a praesidibus, & rectoribus provinciarum ad se se per appellationem adductas supremo loco cognoscere. Nam progredientibus temporibus potestas haec eo adscendit; ut a Prae-

(a) Faber. *sowest. c. 1. lib. 1.* Dio. *lib. 55.*

(b) Eunap. *lib. de vit. phil.* Aurel. Vict. *in Vespas.* Socrat. *secundo hist. c. 12.*

(c) Plin. *in paneg.*

(d) Surius *tom. quart. in vit. S.* Laurent.

(e) Novel. *6. & 7.* Theodos. & Valent. *in scr. 430.* Cassiodor. *3. var. 20.*

(f) Cujac. *paratit.* Cod. *de off. praefecti. praet. orien.*

(g) *l. 2. §. 2.* Cod. *de his qui veniam aetat.*

Digitized by Google

a Praefecti praetorio sententia non licuerit appellare. (a) Minus decorum enim visum fuit tantae potestatis judicia, cujus in fide Princeps omnem Imperii sui majestatem deposuerat, ad alterius examen adducere. Quamobrem, appellatione interdicta, Princeps tantum permisit, ut cum ille magistratu abiret, per libellum postulari posset a Principe intra biennium sententiae retractatio. (b) At ex Justiniani Novella 119. cap. 5. libellus pro retractatione offertur ipsi Praefecto praetorio intra decem dies a prolata sententia: dandis a victore fidejussoribus pro restitutione, si sententia revocetur. Sin decem dies, absque supplicatione praeterierint, sine fidejussoribus executio procedet: supereritque parti alterae Imperatoris auxilium intra biennium implorandum. (c) Cum ad hoc munus olim nemo, nisi ex equestri ordine (d) vocari posset, ita ut haec potestas pugnaret cum dignitate Senatoria, quam Princeps conferebat ei, quem Praefectura spoliare cupiebat: primus e Senatoribus eam suscepit Titus Vespasiani filius: qui ut eam acciperet ante ad equestrem ordinem transisse dicitur: (e) deinde Arretinus Clemens, Senatorii & ipse ordinis; postremo nonnisi e Senatu assumi oportuit, cum in Senatores animadverteret. (f) Ante Constantinum uni tantum, aut alteri ea potestas ferme tribuebatur exercenda in comitatu, sive in Aula Principis. Constantinus eam, utpote ipsis Principibus formidabilem, ut extenuaret, distinxit in quatuor Praefectos: (g) Unum Orientis; alterum

(a) *l. 1. §. his consonab. ff. de off. praef. praet. l. 19. C. de appell.*

(b) *l. unic. C. de sent. praef. praet. ubi Cujac.*

(c) *Auth. quae supplicatio C. de precibus Imp. offer.*

(d) Dio *lib. 55. histor.*

(e) Plin. *in praefat. hist. ad Tit. ipsum.*

(f) Lamprid. *in Alex.*

(g) Guth. *de off. Dom. Aug. pag. 387.* Rosin. *lib. 2.*

Digitized by Google

rum Illyrici; tertium Italiae; quartum Galliarum; quibus Justinianus adjecit quintum, nempe Africae.

CXXVI. DE ASSESSORIBVS.

Adsidebant autem Praefecto praetorio, sicut & aliis magistratibus, jurisperiti: quorum ex consilio ille judicabat: quod munus tanto erat in pretio, ut & ipsi Principes magistratibus adsederint aliquando. (a) Adsessoresque hi consiliarii erant, negotiorumque participes, comitesque magistratuum: quibus salaria constituit Alexander Severus. (b)

CXXVII. DE MAGISTRIS SCRINIORVM.

Inter alia munera, quae Jurisconsultis mandari solerent, praecipua erant munera Magistri scriniorum, sive capsarum: in quibus acta Principis ad jus pertinentia condebantur. (c) Quorum quatuor erant genera, nempe scrinia memoriae; scrinia epistolarum; scrinia libellorum; scrinia dispositionum. (d) Scriniis memoriae qui praerat magister memoriae dicebatur, isque dictabat Principi adnotationes, sive rescripta subnotata Principis manu, quibus delicta condonabantur. (e) Scrinia epistolarum, sive rescriptorum continebant responsa Principum ad epistolas magistratuum ordinum, aut Senatorum quaestionem aliquam juris proponentium. Quas epistolas Principis nomine scribebat magister epistolarum, qui & orationes Principum componebat; isque sub se habebat scribas ab epistolis cum Graecis, tum Latinis. Praeterea legationes Civitatum, aliorumque postulata, & preces audiebat, ut referret ad Principem. Scrinia libellorum complectebantur libellos supplices Principi oblatos, quos

(a) Sueton. in Tib. & in Claud. cap. 12.

(b) Cujac. parat. C. de annonis, & capitat. administr. &c.

(c) l. omnium. 19. & l. ult. Cod. de test. l. 3. Cod. de accusat. in rebus.

(d) Guther. de offic. Dom. Aug. c. 3. 4. 5. 6. 7. lib. 3.

(e) l. 5. Cod. ad l. Corn. de Sicariis. l. ult. Cod. de diversis rescripte.

quos magister libellorum eidem recitandos accipiebat, ut quod ille jussisset, postea rescriberet, dicebaturque libellos agere. (a) Qui suberant magistro libellorum in hoc munere libellantes appellabantur. Scrinia dispositionum comprehendebant dispositiones Principum, sive constitutiones, pragmaticas sanctiones, edicta, promotiones ad honores, mandata, consuetudines, privilegia, beneficia ex liberalitate Principis, & quidquid denique ex illius voluntate, nulla juris necessitate cogente, manaret. Quibus qui praerat magister dispositionum, sive potius comes dispositionum vocabatur. Negat enim Cujacius (b) inveniri magistri nomen in dispositionibus, dissentiente Gutherio. (c) Qui vero similia negotia pro his quatuor magistris, aut absentibus, aut valetudine impeditis susciperent tractarenturque apud Principem, proximi Sacrorum Scriniorum dicebantur: propterea quod haec munera prope attingerent, proximumque a magistris scriniorum locum tenerent. (d)

(a) *l. rescriptum in princ. ff. de distract. pignor. l. praecipimus. s. nostr. Cod. de appell. l. ult. Cod. ubi Senator. Guth. de offic. Dom. Aug. lib. 1. c. 26.*

(b) *ad l. 1. C. de prox. sacr. scrin.*

(c) *De offic. Dom. Aug. lib. 3. c. 7.*

(d) *Tit. Cod. de prox. sacr. scrin.*

Erant & Fisci Advocati, qui etiam ex Jurisconsultorum ordine sumebantur, vestituque insigniori distinguebantur a ceteris: iisque defensio, & rerum fiscalium cura mandabatur.

CXXVIII. DE FISCI ADVOCATIS.

Ex his patet qui fuerit civilis doctrinae status sub Principibus usque ad Justinianum, & quae munera professoribus patuissent illius. Verum faciem jurisprudentia sub Justiniano mutavit. Nam cum antea veteres leges, & edicta Praetorum, & Jurisconsultorum libri omnes versarentur

CXXIX. DE DIGESTIONE JURIS CIVILIS SUB JUSTINIANO.

Digitized by Google

tur in manibus: Justiniani tempore, ne juventus tanta librorum strue, ac lectionis varietate opprimeretur; abscissa, rejectaque sunt obsoleta jura; totumque jus civile compositum, selectis ex Jurisconsultorum libris quae tum essent in usu, quo in posterum jus brevius esset, & expeditius. Cujus emendationis opus, ac ratio ex sequentibus palam fiet.

CXXX. DE JUSTINIANO.

Justinianus propter contraria scriptorum studia, & imperium cum Theodora muliere Scaenica, quam uxorem duxerat, communicatum Princeps fuit ancipitis famae. Vtrobique tamen cum in erroribus, tum in virtutibus maximi nominis. In extollenda pariter veritate Religionis, & in promovendis erroribus ad extremum vitae susceptis acerrimus. Ad preparandas item, & simul ad evertendas precio leges paratissimus: ut intelligas praeclara illius facinora non e virtutis studio, sed e popularis gloriae cupiditate processisse, quam saepe superabat alia cupiditas, nempe avaritia; eaque simulatas virtutes retegebat. Evectus ad imperium fuit a Justino Trace avunculo quatuor quam mortem appeteret mensibus, anno DXXVII. cum triennio ante ab eodem Caesar fuisset appellatus. Imperio suscepto curas vertit ad bellum adversus Persas, Vandalos, Gothos, oblatis sibi ducibus maxime strenuis, Belisario scilicet, atque Narsete: quorum virtute cuncta sibi prospere cesserunt. Siquidem Persas coërcuit, Vandalos ex Africa ejecit; Hunnos Traciam vastantes extrema clade

Digitized by Google

clade affecit, subegit Gothos; Italiamque a Totila varia, & improba laceratam dominatione recepit.

CXXXI. DE CODICE JUSTINIANEO.

Principem si non optimum, at certe vigilantissimum tot bellorum curae a pacis artibus minime avocabant. Siquidem dum imperium ab hostibus liberaret, leges etiam ab obscuritate studuit eripere, ipso initio Imperii sui, scilicet anno secundo, a Christo nato DXXVIII. atque ad eas componendas, inque faciliorem, & breviorem ordinem digerendas miro ardore se contulit. Prima cura fuit superiorum Imperatorum colligere constitutiones, quas antea vagas, atque confusas privato studio, nullaque auctoritate publica in peculiarem Codicem conjecerat Gregorius anno Christi CCLXXII. initio ducto ab Adriano usque ad Valerianum, & Gallienum. Unde Gregorianus Codex fuit appellatus. Hunc excepit Hermogenianus Codex, cujus auctor Hermogenianus, qui sequentium Imperatorum, usque ad Constantinum constitutiones collegit. Postremus procedit Codex Theodosianus: in quem Theodosii junioris jussu constitutiones Imperatorum, usque ad Imperium ipsius Theodosii congestae fuerunt. Cui magnam auctoritatem tribuerat Alaricus Gothorum Rex, & postea tribuit Carolus Magnus. (a) Nunc autem qualiscumque temporis injuria supereſt, non tam ad jubendum, quam ad Justinianeum Codicem explicandum habet auctoritatem. (b) Ex his Codicibus, aliisque constitutionibus postea exortis Justinianus Codicem confecit

(a) *In ejus capitular. Prod. Justinian. pag. 337*

(b) *l. 1. Cod. de Just. Cod. confirm.*

Digitized by Google

fecit ſuum, ediditque anno Imperii ſui tertio, quae prima Codicis editio praeceſſit omnes alios juris libros, quos nobis reliquit.

CXXXII. De Digestis.

Cum autem veterum Jurisconſultorum volumina eum ad numerum, & molem adſcendiſſent, ut adoleſcentium ſtudium, & induſtriam exſuperarent, jamque duo millia librorum juventuti pervolvenda traderentur, & trecenties decem millia verſuum, (a) ſive ſententiarum, ut Gothofredus junior exponit; quorum lectio propter ſummam dictorum auctoritatem negligenda non erat: Juſtinianus, ut juventuti hoc onus allevaret, ſtudiaque a rebus aliquando ſupervacuis, & obſoletis in iis libris occurrentibus ad ſola neceſſaria traduceret, anno Imperii ſui quarto, Triboniano, qui doctrina, & gratia Imperatori erat eximius, mandavit, ut ſimul cum aliis inſignioribus jurisperitis, quos ipſemet in Codice recenſet, ex veterum Jurisconſultorum libris caperet ea tantum, quae uſum haberent, & ex variorum ſententiis, atque particulis pertexeret ſeriem, ex variis quidem deductam auctoribus; at ordine tamen, atque ſenſu cohaerentem ſibi, maximeque convenientem, quaſi una mens eſſet, unaque vox, idemque ſonus. Huic autem labori Juſtinianus decennium praeſtituit: Triboninnus vero ſibi potius ex celeritate gloriam, quam poſteris utilitatem ex operis maturitate pariturus; decennium ad quadriennium contraxit: volumenque extulit, quod ex varietate rerum in eo comprehenſarum pandectas; & propter ordinem perductum

(a) *l. 2. § omnia igitur 1. l 3. § 1. C. de vet jur. enucl.*

ad

Digitized by Google

ad exemplum edictorum a Juliano Jurisconsulto digestorum, digesta nuncupavit. In quae, plerisque operibus vetustiorum Jurisconsultorum exclusis, ea contulit, quae proximiora erant aetati, moribusque suis: satis posteritati consultum autumans, si veteris, ac mediae jurisprudentiae notitiam colligere posset e seminibus inter opera sparsis Jurisconsultorum recentium, qui omnes sub Imperatoribus floruerunt. Vnde subductis primaevae jurisprudentiae capitibus, extinctaque originum luce, eam juri civili nubem offudit; ut vix veterum Historicorum, Poetarum, & Oratorum lectione, atque eruditorum interpretum industria, & acumine diluatur.

CXXXIII. DE INSTITUTIONIBUS.

Antequam autem Digesta Justinianus emitteret, libros institutionum quatuor componendos curavit, magnam partem ex veteribus Caj, & Vlpiani, Marcianique institutionibus; ut juventus ab his, veluti a simplicioribus elementis jurisprudentiam auspicaretur. Quibus libris vix aliquid superfuit elegantius, aut selectius; si quis contextu veterum, mixturam discusserit recentioris aetatis. Has autem institutiones Justinianus edidit, & confirmavit anno Imperii sui septimo, uno mense ante editionem, atque confirmationem Digestorum: quibus una cum institutionibus publicam tribuit auctoritatem, ut quidquid ibi continetur, pro voce Principis habeatur. Igitur Digesta fuerunt ante institutiones absoluta, sed confirmata, & edita posterius.

CXXXIV. DE 50. DECISIONIBUS.

Verum quia de quinquaginta juris controversiis variae veterum Jurisconsultorum, discrepan-

tesque sententiae prodierant; ne super his mentes Judicum incerto jure jactarentur, eas dissensiones composuit Justinianus quinquaginta constitutionibus singularum controversiarum definitiones continentibus, quas Codici suo insertas per titulos distribuit: eodemque tempore priorem Codicis editionem emendavit, novamque protulit auctiorem, & emendatiorem, quam solam publica auctoritate munivit, abrogata priori. (a) Quam posteriorem editionem, ut a priori distingueret, Codicem, repetitae praelectionis appellavit: quorum librorum, ac temporum ordo ita describitur a Gothofredo juniore in manuali juris.

(a) Cod. de Vet. jur. enucl. l. 1. & 2.

A. D. DXXVIII. Justiniano A. II. Coss.
DXXIX. Decio V. C. Cos.
DXXX. Lampadio, & Oreste Coss.
Codicem fieri mandavit Justinianus.
Ibid. Feb.
Codex editus idib. April.
Decisionum 50. initium ab hoc anno.
Digesta componi mandat Decembri mense.
DXXXI. Post Cos. Lamp. Or. I.
DXXXII. Post Cos. Lamp. Or. II.
DXXXIII. Justiniano III. Cos.
Institutiones eduntur mense Novembri.
Digesta eduntur mense Decembri.
DXXXIV. Justiniano, & Paullo Coss.
Codex repetitae praelectionis editur mense Novembri abrogato priori.

Secundas autem editiones veteres vocabant repetitas praelectiones; quo nomine Vlpianus retra-

Digitized by Google

tractatos suos libros ad Sabinum appellavit: praelectiones vero dicebantur lectiones, quibus praeceptores praeibant discipulis. (a) Tribunis est autem Codex in libros duodecim imitatione XII. Tab.

(a) Cujac. *parat. C. de vet. jur. enucl.*

CXXXV.

DE NOVELLIS CONSTITVTIONIBVS, SIVE AVTHENTICIS.

Post editum Codicem reliquo Imperii tempore varias constitutiones edidit novum jus afferentes, quas vel ob id, quod post absolutum corpus juris processerant, Novellas appellarunt. Eaeque sparsae prius, utpote oblata occasione conditae, in unum volumen cojerunt anno Christi DLXVI. & Imperii Justinianei XXXIX. qui vitae suae fuit extremus: quarum quae apud nos juris habent auctoritatem sunt nonaginta octo expositae ab Accursio, & aliis interpretibus, eorumque auctoritate receptae: cum Julianus vetus Jurisconsultus, qui eas post Justiniani mortem in compendium contulit, ediderit centum viginti quinque: Haloander vero centum sexaginta quinque: quibus accesserunt tres repertae a Cujacio. (b) Hae novellae primo graece prodierunt: deinde versae fuerunt latine ab Anonymo, & evulgatae imperante Justino secundo. Hujus enim versionis mentio est apud Gregorium Pontificem. (c) Prodierunt & aliae versiones, nempe Haloandri, Agilaei, & Scringeri: quibus, ut elegantia major accesserit, legis tamen defuit auctoritas: quae tributa tantum fuit Anonymo illi, qui praeceptum Justiniani (d) secutus eas vertit κατὰ πόδας, hoc est verbum verbo eodem ordine servato reddidit. (e) Proptereaque vocatum

(b) *In comm. ad novell. 166.* Duc. *de auct. jur. civil. lib. 1. cap. 4. nu. 15.*

(c) *Canon. de person. 11. qu. 1. & 12. de testibus. Vid.* Anton. *Contium in novel. praef.*

(d) *l. 1. & 2. Cod. de vet. jur. enucl.*

(e) Alciat. *parerg. lib. 2. c. 46.*

Digitized by Google

tum hoc volumen fuit Authenticum : quia id unum cum sua versione legis auctoritatem haberet ; vel quod esset integrum : cum versio Juliani, de qua mox, brevior fuerit, & contractior. Quamobrem & nos una cum Graeco textu hanc Anonymi versionem retinemus in foro: quamvis, ut liberius loquar, absonam, & confragosam, quae Graecae linguae verbis respondet, non loquendi generibus. Cujus tamen operis eruditionem, & antiquitatem haud parvi fecit Cujacius. (a)

(a) *Lib. obser. 4. cap. 38. & 8. cap ult.*

CXXXVI. DE NOVELLIS JULIANI.

Hanc autem versionem, adspersa etiam aliqua elegantia, in epitomen coëgit Julianus antecessor, sive publicus legum interpres Constantinopolitanus, qui sub Justino secundo, Tiberio secundo, & Mauricio floruit. Verum, quia versio non esset κατὰ πόδας, publicaque auctoritate careret, grave nomen Authenticorum priori illi, ac locupletiori cessit: ista vero versio nomen retinuit auctoris sui, appellanturque Juliani novellae. Porro Anonymi versio illa diu in barbariae tenebris latuit: unde ad nos Lotharii II. temporibus perturbata pervenit, plurimisque lacunis hians, diminuto etiam numero novellarum. Hinc Irnerius Jurisconsultorum Lotharii tempore maximus, aut quisquis fuerit alius Graecae linguae minime peritissimus, lacunas illas explevit. Burguntio vero, sive interpres alius, neglecto prorsus veteri novellarum numero, ex antiqua serie jam perturbata anno Christi MCXL. novam pertexuit in novem collationes tributam ; in quas, sup-

Digitized by Google

ſuppreſſo priori ordine, ſuperſtites novellas digeſſit. Dictae ſunt autem collationes quaſi collatae ad alias, atque oppoſitae ad declarandas, vel abrogandas ſuperiores leges Codicis: & propterea extremo Codici adjectae. Quod volumen in uſu poſitum, ſpretis aliis editionibus, authenticum fuit appellatum: publicam enim ab Imperatoribus auctoritatem accepit. Aliae vero Juſtiniani Novellae, quae opera eruditorum poſtea emerſerunt, item novellae Leonis, aut aliorum Imperatorum, non corpus juris auxerunt; ſed tantum eruditionem, & recepti juris intelligentiam.

CXXXVII. DE TRIBONIANO, ET SOCIIS.

Commodum nunc de compoſitore juris Triboniano diſſeremus: ne in variis judiciis, quae de hoc apud auctores inveniuntur, ſtudioſus aut haereat, aut labatur. Hic ſi talis fuiſſet, qualis traditur a Suida; minime dignus erat, cui Juſtinianus tantae fidei opus conrederet, qualis emendatio fuit, atque digeſtio juris civilis. Nam praeter avaritiam, & mercimonium quodammodo legum, nullum eſt crimen, cujus a Suida non poſtuletur. Homini enim in tanta dignitate conſtituto religionem detrahit, & pietatem omnem, atque honeſtatem. Eum propterea facit aſſentatorem improbum, & fallaciarum artificem callidiſſimum, cujus aſtu ſcribit Juſtinianum ſibi perſuaſiſſe numquam interiturum, ſed ſimul cum corpore, atque animo in Coelum advolaturum. Teſtimonium ſane non tam Triboniano pudendum; quam ipſi Suidae, qui auctoritate

tate redarguitur Procopii se longe majoris fidei. Etenim Procopius, etsi ab hac foeda Tribonianum assentatione non excusat in arcana historia in ceteris tamen libris haud levia de illo virtutis argumenta reliquit. Refert enim Tribonianum ingenio fuisse miti, atque humano, & lucri quidem cupidum, sed honesti, atque ad leges figendas refigendasque, non tam precio, quam inconstantia rerum humanarum adductum fuisse. Ego sane illum, perinde ac vulgo solent homines, neque vitiorum crediderim, neque virtutum summam attigisse: etsi non semper, at aliquando certe in mutatione juris veteris, & novi creatione precio, aut potentiae fidem addixisse. Neque tamen cesserim Hottomanno, qui hominem totis libellis concidit, Tribonianum quidquid antiqui juris attigerit, veluti veneno, aut tabe aliqua corrupisse. Quam multa enim eorum, quae nova protulit Justinianus, utpote commodiora temporibus, expeditiora sunt veteribus legibus, atque simpliciora? Quis vero tulerit inclementiam eorum, qui quodcumque in libris juris, vel in historia, vel in verbis fuerit erratum, uni Triboniano adscribunt: quasi scriptores omnes, omnesque Jurisconsulti, ab omni errore, praeter humanitatis labem exhauserit Tribonianus? Erravit nimirum ille, quid ni? immo & saepiuscule: quippe implicitus tantis commentariorum involucris: e quibus nescio quisnam accusatorum melius tam brevi tempore se felicius explicasset. Erravit ille fateor: sed neque omnia; neque unus.

Digitized by Google

nus. At fuit posteris noxius, propter intercepta veterum Jurisconsultorum scripta. Quasi tot alia Graecae, ac Latinae sapientiae volumina supersint: aut receptos e tanto naufragio libros, ulli praeter quam sorti debeamus. Immo si jus temporibus illis barbaris petendum fuisset e toto illo commentariorum pelago, socordia hominum potius in tenebris jacuisset. Quis scit igitur an Jurisprudentiae vestigium ullum retineremus; nisi has nobis Tribonianus particulas excerpsisset? Vnius Maximi Cujacii testimonio contra omnes hostes Tribonianus intrepide dimicaverit. *Et omnes* (ait ille) (a) *constitutiones Justiniani sunt eruditissimae: utpote conditae a maximo Jurisconsulto Triboniano, qui fuit alter Papinianus, studiosissimus juris: sine quo periissent omnes libri veterum Jurisconsultorum, quorum ille copia solus abundabat aetate Justiniani.* Et in Ep. praefixa Paratitlis Cod. ait: *Qui earum vim tenet* (nempe Constitutionum Imperialium) *hunc ego facile sim habiturus pro doctissimo J. C. ac pene pari Triboniano ipsi. Quo ego tandem cognito pondere earum Constitutionum, quas suo Imperatori eum persuasisse certo certius est, mihi gaudeo, quod cognoverim eam aetatem non tulisse excellentiorem in jure civili, quod utique & sine illius ope curaque intercidisset.* Nempe tamen illum omnibus in locis absque nota dimittit: nam cum saepe alibi; tum praesertim in observationibus illius incuriam reprehendit: unde lib. obs. 5. c. 33. *Tribonianus* (ait) *ut erat in eo opere non tam diligens, &*

(a) In C. comm. de legat.

Digitized by Google

accuratus, quam se imprudenter profitetur, quod uno in loco mutabat, non mutabat in alio. Vnde non inficior multa in Triboniani collectione vitia irrepsisse; neque prorsus fidem habuerim Justiniano, aut potius Triboniano ipsi audacter praedicanti, nullam jam esse in tanta scribentium varietate dictorum repugnantiam, nullam superfluitatem: cum ejus assertio ipsa Digestorum, & Codicis lectione coarguatur. Eam enim saepe discordiam animadvertimus; ut qui fateri nolit, cogatur sese diu, & frustra torquere: aliaque vitia qui negaverit, nae ille palam ostendet oscitantiam in legendo suam. Ea tamen talia non sunt, ut homini de posteritate optime merito, tam praeclari, magnique operis laudem eripiant. Quamobrem sicuti Cujacii aequitatem admiramur: ita insolentiam stomachamur illorum, qui numquam tantopere sibi plaudunt, quam si quid Triboniano exprobrandum invenerint. Quorum auctoritas, quae certe, & magna est, & esse debet; ne juvenes in fraudem inducat, eos hoc loco monere voluimus: ut aequi sint rerum aestimatores, atque in doctis viris virtutem potius, & ingenium; quam reprehendendi vitia aemulentur. Sed jam de Triboniano reliqua persequamur. Is e Pamphylia fuit, Macedoniani filius, ab Justiniano Magister officiorum, Assessor, & Quaestor creatus, atque etiam ad Consulatum evectus. Apud seditiosos, quorum factio Veneti, Prasinique vocabantur, ea invidia flagrabat, ut concitato tumultu ipse, ac Joannes, Praefecti utri-

Triboniani fata.

Digitized by Google

utrique praetorio ad necem depoſcerentur. Quorum furorem ut compeſceret Juſtinianus, utrosque magiſtratu movit: poſtea vero Tribonianum reſtituit, deferbeſcente jam ira factionum, invidiaque reſtincta. Hinc illius apud Juſtinianum auctoritas quanta fuerit eluceſcit. Cum autem quaeſtura, & conſulatu perfunctus fuiſſet; ideo *Ex-quaeſtor* appellatur, & *Ex-Conſul.* Socios in componendo corpore juris habuit viros doctiſſimos, (a) & illuſtres ejus aetatis, Theophilum, Dorotheum, Conſtantinos, Anatolium, Cratinum, Stephanum, Mennam, Prosdocium, Eutholmium, Timotheum, Leonidem, Leontium, Platonem, Jacobum, Joannem.

(a) *l. 2. Cod. de vet. jur. enucl.*

CXXXVIII. DE BASILICORVM LIBRIS.

Hoc ordine, hisce auctoribus conſtitutum fuit jus civile Juſtinianeum; ſed infelici ſucceſſu. Lucem enim, quam vix adſpexerat, ſtatim amiſit: eodemque fere cum Juſtiniano auctore ſuo funere fuit elatum. Erant ſane jam ante Juſtinianum, ex toto terrarum Orbe, tres ampliſſimae Civitates delectae, ubi jurisprudentiae ſcholae patebant, Berytus (b) nempe Phoeniciae Metropolis, Conſtantinopolis, & Roma: interdictis ubique locorum ſcholis aliis: quodque miremur in tanta noſtrorum temporum copia docentium, & ſterilitate doctrinae: binos tantum quaeque Civitas habebat praeceptores. (c) Cum igitur Juſtinianeum jus tribus hisce celeberrimis in gymnaſiis confederit: recedente paullatim uſu linguae latinae, (d) Pandectae in Graecam linguam translatae fuerunt per Thalelaeum,

(b) *l 1. Cod. de Metrop. Beryti.*

Scholae Jprud

(c) *C. de ſtud. liberal. Vrb. Rom. & Conſtant.*

(d) Suar. *in notit. Baſilic.* Cujac. *obſerv. c. 31. lib. 17. & c. p. 10. lib 6. & cap. 33. lib. 13.*

Digitized by Google

qui ob scientiae praestantiam dictus fuit legum oculus νομικῆς ὀφθαλμὸς. Conversus fuit & Codex: institutiones vero translatae per Theophilum, alium ut arbitror, ab eo, qui condendo juri operam navavit, ex quibus, & ex posterioribus Imperatorum constitutionibus post Justinianum, jus in Oriente reddebatur, usque ad annum Christi DCCCLXVII. nempe usque ad Basilium Macedonem Imperatorem: qui ut Justiniani nomine depresso, suum attolleret, exclusa prorsus latina, & Justinianea juris editione, novum corpus e graecis digestorum, codicis, & novellarum versionibus, idemque brevius, atque contractius extulit; perduxitque usque ad quadraginta libros sexaginta a Leone filio: qui eos libros a Patre Basilio βασιλικῶν, nempe Basilicorum appellavit. Eosdemque in aliam formam Constantinus Porphyrogeneta mutavit. Is enim & historicos universos in unum corpus trium locorum communium collegerat: ideoque noluit dilgentiam suam deesse jurisprudentiae, quae sociam habet historiam, & adjutricem. Suppressis autem Justiniani libris, Basilicorum auctoritas in Oriente usque ad finem Graeci permansit Imperii, nempe ad annum MCCCCLIII. interiitque illius usus cum Constantino Palaeologo, qui per Turcas fuit Imperio spoliatus. Interea vero dum Basilicorum vigebat auctoritas, omnis in iis Graecorum Jurisconsultorum cura versabatur, nempe Balsamonis, Stephani, Nicaei, Thalelaei, Eustachii, atque aliorum, quo-

Digitized by Google

quorum reliquias conservamus: qui vel paratiis conficiendis, colligendisque argumentis titulorum, & legum uberiorum, iisque pro sua serie distinguendis; vel concinnanda epitome rerum omnium, vel sententiis dilatandis; vel similibus, ac dissimilibus colligendis; vel interponendis in contextu brevibus interpretatiunculis, aut iisdem ad marginem attexendis vacarunt. Quamobrem plures juris collectiones, & epitomae partim ipsorum Imperatorum jussu, partim privato labore, consilioque prodierunt: quas paucis indicabimus: ne cum varios titulos praeferant, studiosis errorem objiciant. (a) Ac primo distinguendus est Codex ipse Basilicus, sive Prochiron magnum a parvis, quod πρόχειρον νομικὸν, sive promptuarium juris, & ἐκλογὴ τῶν νόμων, hoc est legum selectio appellatur; utpote compositus ex usitatioribus Justinianeorum librorum legibus: quem codicem diximus auctorem habuisse Basilium; augmentum accepisse a Leone; formam vero emendatiorem, atque novam a Constantino. Idemque dictus fuit τὸ πλάτος τῶν νόμων & τὸ πλατύς. Post hunc ijdem Imperatores institutionum instar edidere πρόχειρον μικρὸν, sive promptuarium parvum ex magno contractum: quod etiam ecloga, & Synopsis conjunctim, sive selectio compendiaria dicitur: item & ἐκλογὴ καὶ ἐπιδιόρθωσις, sive selectio correcta: quae primo ipsum Basilium; deinde Constantinum, & Alexandrum auctores agnoscit suos. Tertium Procheirum appellatur index νομικῶν κατὰ τὸ στοιχεῖον, sive jus per elementa

(a) Prodrom. Justin. p. 3. §5. seq. 2. & 3. cum auctoribus ibi additis.

Libri Juris Graeci.

Digitized by Google

ta literarum, aut jus alphabeticum. Est enim selectio major per alphabeti seriem digesta, quae continet majorum Basilicorum leges & titulos ad literarum ordinem relatos. Qui Codex repertus Tarenti fuit a Joanne Sambuco viro Pannonio: ea enim Civitas diutius Graeco Imperio paruit, retinuitque graecos mores, & instituta. Quartum Procheiron, Tarenti quoque repertum dicitur μικρὸν κατὰ στοιχεῖον, sive Alphabeticum parvum, quod distinguitur a Procheiro Alphabetico magno, de quo supra diximus. Quintum Procheiron opus est Michaëlis Attaliatae judicis, & proconsulis, editum tempore Michaëlis Ducae titulis XCV. anno MLXXVII. quod πραγματικὸν, vel πόνημα, sive opus juris appellavit. Sextum Procheiron condidit Michaël Psellus, qui compendiarium jus versibus clausit. Septimum Procheiron est Constantini Harmenopuli contractum ex Basilicorum Codice, nuncupatum Ἑξάβιβλον. Ex quibus, atque ex Graecorum Jurisconsultorum superstitibus notis, & interpretatiunculis, Cujacius multos juris civilis locos restituit, explicavit & illustravit: ita ut illius eruditio Graecorum luminibus adspersa germanam Romanorum jurisprudentiam, caligine temporum intermortuam, suscitarit.

CXXXIX. DE FATO JURISPRUDENTIAE JUSTINIANEAE IN ITALIA.

Atque is in Graecia, & in Oriente Justiniani juris progressus fuit & exitus. In Italiam vero, & in Occidentem multis post saeculis pervenit: latebatque interea in Ravennae ditione, atque in Illyricis finibus: ubi quod Graeco Impera-

Digitized by Google

ratori parerent, jus ex Justinianeis libris reddebatur. A regionibus vero ceteris, quas statim ab expulsis Gothis, Longobardorum colluvies occupaverat, Romanum jus diu exulavit: tandemque ab ipsa Ravenna excessit: postquam ab Imperio Romano per Aistulphum Longobardorum Regem fuit avulsa, circa annum DCCLII. Itaque Italia majestate simul, & legibus exuta suis, jugum Imperii, legumque subiit barbararum, dominaque rerum humanarum sensu pristinae libertatis, veterisque magnitudinis per longum, ac vile servitium privata, pro Romani splendore, atque humanitate juris, belluinas, atque ferinas, immanesque Longobardorum leges accepit. Et quas regiones jus Atticum in Romanos mores traductum, & ex prisca omnium saeculorum sapientia conflatum diu rexerat: postea usque ad Lotharii tempora occuparunt Visigothicae, Longobardicae, Francicae, ac Burgundionum pudendae leges, sive potius Barbarici ingenii libidines: quae continentur in Codice inscripto *Corpus legum antiquarum*, appellatum vero a Rotari Rege, qui primus eas collegerat, *edictum*: ex quo jus Longobardicae dominationis tempore reddebatur. Cum ex Romano jure non aliud superfuerit, quam id, quod moribus adhaeserat Italorum, quodque ipsum civile commercium, usitataque contrahendi ratio retinuerat. Ex libris autem juris superabant ad usum etiam judiciorum tantum fragmenta quaedam; non e Justinianeis decerpta codicibus, quorum lucem, praeter Raven-

Digitized by Google

Ravennam, ut diximus, Italia publice nunquam adſpexerat; verum e Codice Theodoſiano: cui Anianus Alarici Gothorum Regis, qui Codicem illum confirmaverat, juſſu ſuas breves interpretationes adjunxit: & e Gregoriano, Hermogeniano, ac regulis Vlpiani, Cajque inſtitutionibus, Paullique ſententiis. Tantaque in Italiam, ac tam diuturna barbaries inundavit, ut jus Romanorum, & ſi magno ſtudio, deletis Longobardis, a Carolo Magno quaeſitum: tamen exemplariorum inopia, longaque oblivione populorum, usque ad ſaeculum duodecimum, nempe ad Lotharii tempora in tenebris delituerit. Igitur, ut fatum omne Juſtinianeorum librorum oculis legentium ſubjiciamus, vixere illi quidem in Graecia a Juſtiniano usque ad Leonem, nempe ab anno Chriſti DXXXVI. ad CMX. per annos ſcilicet CCCLXXIV. In Italia vero (ſi Ravennam excipias) reſiſtente ab initio barbarie Gothorum, numquam floruerunt; vixque tandem emerſerunt anno MCXXX.

CXXXI. DE INSTAVRATIONE JVRIS JVSTINIANEI SVB LOTHARIO.

Eo tempore injuſtis perturbatisque comitiis lacerarat Eccleſiam falſus Pontifex Petrus Leonis, Anacletus Secundus nuncupatus ab ſua factione: Cujus Dux erat Rogerius Apuliae, ac Siciliae comes, Regis nomine a falſo Pontifice donatus. Adverſus Anacletum creatus rite, ac ſolenniter fuerat Innocentius Secundus: cui favebat Imperator Lotharius Saxo, ſumma virtute, atque prudentia Princeps. (a) Quo bellum gerente adverſus Rogerium Amalphi, Vrbe Salerno

(a) Sigon. *de Regn. Ital. l. 4.*

Digitized by Google

no proxima (quam perperam aliqui locant in Apulia, Melphiam cum Amalphi confundentes) inopinato reperti fuerunt Digestorum libri: quos Pisani, qui classe Lotharium II contra Rogerium adjuverant, praemio bene navatae operae sibi exorarunt. Pisis vero post longam obsidionem anno MCCCCVI. a Caponio militiae Duce strenuo expugnatis translati fuere Florentiam: (a) ubi pro Augusta Mediceae domus magnificentia, in Musaeo magni Ducis conservantur. Hinc promiscua Pisanarum, & Florentinarum apud scriptores Pandectarum appellatio. Iisdem temporibus repertus Ravennae fuit constitutionum Imperialium volumen, qui Codex appellatur: indeque ceteros libros juris, immo & Digestorum aliud exemplar in lucem aliqui rediisse putant: nec mirum, cum ea Vrbs longo tempore Romanis legibus vixerit, & Orientali Romanorum Imperio diu obtemperarit. Novellae vero constitutiones etiam antea per Italiam vagabantur: utque mea fert opinio, multi juris civilis libri, postquam incessit homines cupido recipiendi Romani juris, agniti potius fuere, quam reperti: nam & aliquot ante Lotharium annis, jus civile Justiniani commemoravit Ivo Carnotensis, (b) & libros Pandectarum: cum antea si occurrerent, forsan socordia, & oblivione praetermitterentur.

(a) Polic. l. 10. ep. 4.

Pandecta Pisana seu Florentina.

(b) Epist. 134. & 99.

CXLI. De Pandectis Florentinis.

Legum autem Romanarum oraculis post diuturnum silentium suscitatis, Italia jam pridem oblita sui, respexit tandem ipsa se se, inque suis le-

Digitized by Google

gibus vetuſtam Imperii majeſtatem recognovit: recepitque per eas in toto ſubjecto ſibi olim terrarum Orbe, ſi non Imperium, at ſaltem nominis auctoritatem, quaeque vires dominationis amiſerat, ratione in poſterum imperavit. Noſtris enim legibus omnes populi ſummiſere faſces; quique ab Imperio deſciverant Romanorum, eorundem ſapientiae perpetuo paruerunt. Porro Codicem hunc Florentiam translatum (a) Politianus cenſuit ipſius Triboniani aetate prodiiſſe: ita ut omnium exemplariorum auctoritatem ipſius judicio vincat; a quo diſſenſit Alciatus, (b) propter mendas, quae hoc etiam in Codice inſunt. Antiquiſſimum tamen fuiſſe non ambigitur; (c) & ad ejus fidem in re ancipiti omnes interpretes noſtri recurrerunt: omniaque alia exempla ex hoc uno fluxiſſe creduntur.

(a) *lib. 10. ep. 4.*

(b) *Diſputat. 3. cap. 22.*

(c) Bart. *l. ſi credit. §. ult. ff. de diſtract. pign.* Alex. *in l. ſi filii famil. §. ſi vir. ff. ſolut. matrim.*

CXLII. DE INSTAVRATIONE STVDIORVM JVRIS.

Itaque recepto Romanorum jure univerſo, & poſt longum exilium in patriam reſtituto: ſtudia Italorum ad interpretationem, atque uſum illius continuo exarſere, ob eamque cauſam publica Imperatoris auctoritas expetebatur, qua ſublatis Longobardorum legibus, deletisque veſtigiis priſtinae ſervitutis, Italia per uſum Romani juris majeſtatem priſtinam recuperaret. Hoc jurisprudentiae officium praeſtitit idem Lotharius, quo imperante revixerat. Is enim publico edicto in omnes Imperii regiones emiſſo juſſit, ut Romanorum jus in ſcholas publicas, inque omnia tribunalia reciperetur: ex eoque in poſterum cauſae judicarentur, deletis barbaris legibus

Digitized by Google

legibus, profligatisque cruentis moribus Italico nomine prorsus indignis. Itaque hoc edicto Romano juri fasces reddidit ab hostibus ereptos; eique publicam auctoritatem, lucemque restituit.

CXLIII. DE BONONIENSI SCHOLA, ET DE IRNERIO.

Schola Juris Civilis Bononia

Primam autem, atque celebriorem scholam juris civilis Imperator aperuit Bononiae: ubi sedes bonarum artium, & publicum cujusque doctrinae docendae munus, vel a Theodosio minore, (a) ut Bononienses contendunt; vel, ut alii putant, ab ipso Lothario fuerat constitutum. Hujus tam egregii facinoris Imperatori optimo auctor fuit, atque suasor Jurisconsultorum ea tempestate maximus Irnerius, vel ut alii scribunt Vernerius: qui Mediolanensis ne, an Germanus fuerit ambigitur. Is non suis modo, sed & Mathildis precibus eximia tum auctoritate mulieris id impetravit, teste Abbate Vspergensi: (b) quem & si erroris arguat Sigonius, (c) quod eo tempore Mathildis jam e vivis excesserat; tamen alia potuit esse Mathildis e tribus, quas ejusdem nominis circiter ea tempora floruisse Baronius (d) e veteribus monumentis comprobavit. Patebant adhuc iis temporibus Constantinopoli cum ceterarum artium scholae; tum juris praecipue, civilis, quod suppressis latinis Justiniani, e graecis Basilicorum codicibus promebatur. (e) Inde Irnerius cum graecam linguam addidicisset, juris quoque scientiam secum in Italiam advexisse creditur: (f) cum neque ex se edere in tantis doctrinarum tenebris; neque aliunde arripere tantum jurispru-

(a) Panciv. *de clar. leg. interpr. lib. 2. cap. 31. in fin.*

Irnerius Vernerius

(b) *In Chronico*

(c) *lib. 11. de Reg. Ital. in fin.*

(d) *Ann. 1074.*

(e) Abbas Vsperg. *fol. 291.* Decian. *in Apolog. adver. Alciat.*

(f) Ciron. *l. 5. obs. jur. canon.*

Digitized by Google

dentiae lumen potuerit, quantum ille in componendo, & redintegrando, illustrandoque dissoluto illo, & caliginoso legum corpore profudit; ut merito lucerna juris appellaretur, Qui enim ante ipsum etiam in Bononiensi schola interpretationem fuerat aggressus Pepo, probatu dignum extulit nihil. Quamobrem uni Irnerio Justinianeum jus integritatem suam; & jurisprudentia vitam acceptam refert. Is enim e variis codicibus, ut credere est, undique coactis, & simul collatis, atque pluribus ex fragmentis judicio, & acumine suo commissis, sparsa juris membra collegit: quemque nunc habemus voluminum ordinem in regiones, aetatesque omnes, additis obscuriorum locorum interpretationibus, imploratáque Imperatoris auctoritate transmisit. Studiosorum autem laborem levavit laudabili sane opera, redactis nempe in epitomen salebrosis, atque garrulis Justiniani Novellis: quarum summas perspicuas simul, atque breves per Codicis titulos dispertivit, attexuitque legibus iis, quae novellis, aut abrogabantur, aut detractione, vel adjectione mutabantur: quas Authenticas vulgus appellat. Vnde per Irnerium una serie, eademque lectione, Codicis & novellarum sensum licet arripere. Cavendum tamen ab erroribus, quos in iis deprehenderunt eruditi: qui non paucas earum authenticarum, aut non ad suos titulos relatas observarunt. Quorum errorum seriem pertexuit Jacobus Vissem-

Lucerna Juris

Pepo interpres Juris ming doctg.

Irnerii merita in tit. Authentica

Authentica Irnerii.

Digitized by Google

sembachius: eamque adfuit dissertationi suae de mutuo. Sunt qui sero novellas Irnerio innotuisse tradant: adduntque illum, dum causas oraret novellarum auctoritate confutatum, negasse germanum eas esse Imperatoris partum, sed nebulonis alicujus commentum, quod vim sibi legis adrogaret. Ipse vero Irnerius, cum Ravennae artes liberales doceret, Bononiam vocatus jus civile suscepit explicandum publice: ac privatim domi mercede ab auditoribus accepta, paucis ante annis, quam jus civile Imperatoris edicto publicaretur: ut suspicantur Bononienses Cives in epistola ad Nehusium scripta: quam mecum inter alia selectiora, & rariora opuscula, quorum bibliothecam suam habet refertissimam, humanissime communicavit Jurisconsultus Antonini Aula dignissimus, *Marcellus Severolus*. Eo pacto Irnerius lucem, quam interpretationibus suis attulit jurisprudentiae, per discipulos ad omnem transmisit posteritatem.

CXLIV. DE VARIIS IRNERIANAE SCHOLAE SECTIS.

Ejus e schola celebriores interpretes profluxerunt, usque ad Accursium: a quo plenior juris coepit explicatio, usque ad Bartolum: a quo latiora commentaria inundarunt, non modo in leges, sed etiam in ipsas Accursii, & veterum explicationes longe verecundiores textui circumdatas, quas graeco vocabulo Glossas vocamus: quod per eas veluti per linguas legum sententiae alioquin obscurae pandantur. Bartoli profusa commentandi libido posteriores incessit interpretes usque ad Alciatum: qui novis luminibus ex

Glossa unde dicta?

Digitized by Google

graeca, & Romana antiquitate, abstrusaque linguae latinae notitia, & ope artis criticae secum reviviscentis, priscam, & germanam jurisprudentiae faciem discluſit: barbariae vero squallorem prorsus omnem detraxit Cujacius, qui memorabile in aevum Alciati coeptum absolvit, ea interpretationis felicitate, eaque elegantia, & veritate majori, ut unus Cujacius dignus sit, cui, etsi tempore, atque ausu non primo, tota jurisprudentiae restitutio, propter praestantiam ejus supra ceteros interpretes, adscribatur. Hinc a nobis sincera omnis, & erudita interpretatio Cujaciana jurisprudentia nuncupatur: exemplo veterum, qui ob nominis celebritatem, Pythagoreos appellarunt eos etiam philosophos, qui ante Pythagoram in Italia floruerunt. Igitur distinctionis, & memoriae gratia, in quatuor gradus nostratem jurisprudentiam tribuemus. Primam facimus Irnerianam: secundam ponimus Accursianam: tertiam constituimus Bartolinam: postremam, quam, uti germanam vetustatis mentem, omnibus anteponimus, Cujacianam. Ab Irnerio autem usque ad Alciatum, a quo jurisprudentia Cujaciana duxit initium, hyems quodammodo jurisprudentiae fuit: adhuc enim barbarie premebatur, carebatque pura illa luce veteris eruditionis, sinuosisque subtilitatibus, ex Arabicae philosophiae scholis a Bartolo maxime ad studium juris traductis implicabatur: opeque destituta cognata sibi latinitatis, & eruditionis, aptoque ministerio privata, evolvere sese nesciebat: unde rigebat illa tanquam

Digitized by Google

quam hyeme cohorruisset. Quare, cum verus Romanae Reipublicae, jurisque Romani sensus sub Alciato primum, & sub Cujacio maxime reflo-ruerit: ideo Cujacianam doctrinam ver jurisprudentiae appellamus. Quamobrem ab hyeme ad ver convolaturi, obibimus prius Irnerianae, Accursianae, atque Bartolinae jurisprudentiae seriem, celebriores cujusque auctores indicantes: deinde ad Cujacianae jurisprudentiae interpretes progrediemur.

CXLV. DE MARTINO.

Prodeat autem ante omnes ex Irnerii schola Martinus Cremonensis, ex Bononiensi Gosiorum, nobilique familia: (a) quam temporum factiones patria ejecerunt. Is cum plures in jure quaestiones movisset, atque esset in opinando liberior, seque nimium audiret; adversarium habuit, ex eadem Irnerii schola, Bulgarum. Ita ut ipsorum contentiones inter utriusque discipulos opinionum, & animorum dissidia parerent. Itaque studiosorum turba, Proculianorum, & Sabinianorum instar, in duas factiones discesserunt. Quarum altera Bulgarum sequebatur; altera Martinum: a quo ex Gosia familia dicti sunt Gosiani: quos contraria factio auctoritate, ac numero superavit: & si Martinus, Frederico AEnobarbo haud liberaliter assentatus, suarum sententiarum non paucas publica Imperatoris auctoritate fundarit: (b) nec mirum Martino tam secundum fuisse Fredericum; cum, ut Imperatoris gratiam sibi Martinus pareret, (c) in maxima contentione illorum temporum inter populos, praescript.

(a) Cynus l. 1. §. accedat. in fin. C. de rei uxor. action.

(b) Odof. l. rem non mobam. in fin. Cod. de judic. Isern. conss. si dubit. Roland. a Val. cons. 46. n. 14. lib. 3.

(c) Gloss. & Odofr. l. bene a Zenon. C. de quadrien. praescript.

Digitized by Google

los, & Principem de juribus Imperii, Martinus veritus non fuerit sententia sua rerum omnium dominium, & proprietatem Imperatori adjudicare. Quo meruit, ut ipsius agnati a Caesare inter Principes referrerentur. (a) Hac autem pudenda sane ambitione arbitror Martinum apud aequales, & posteros invidia flagrantem, adeo paucis opiniones probasse suas: ut ejus discipuli ab Accursio, per deridiculum Gosiani appellentur, & Jason pronunciare non dubitaverit, nihil veri a Martino afferri solere. (b) Anceps fama est illum ab Azone clavibus auditorii percussum exanimem concidisse, fremente Azone, quod esset a Martino in disputatione superatus. Floruit Martinus saeculo duodecimo anno aetatis suae LXXVIII.

(a) Cyn. l. 1. §. sancit. C. de rei uxor. action.

(b) Alciat. parerg. lib. 9. cap. ult.

Martinus ab Azone occisus est ob victoriam in Disput. ab illo obtentam 95. infra p. 181.

CXLVI. DE BVLGARO.

Bulgarus.

Os aureum appellatur.

Offert se huic ex adverso Bulgarus aequalis ejus, & aemulus, quem plerique faciunt Bononiensem. Is apud populos, non solum doctrina, sed & gratia valuit: atque ob pronunciationis leporem, os aureum appellabatur. Laudi huic successus respondit. Cum enim is Bononiae doceret simul, & judicaret in appellationum causis supra libras viginti quinque jussu Frederici AEnobarbi, qui eum una cum ceteris ad jura Imperii definienda vocaverat: sententiae ab ipso latae, sive in explicando, sive in reddendo jure tanto plausu, atque consensu populorum attollebantur; ut per omnem Italiam pro legibus acciperentur. Hinc in omnium ore Bulgari consuetudines: eo quod interpretationes ipsius in re dubia cederent in communes mores. Hanc auctoritatem

Digitized by Google

ritatem ſuarum ſententiarum apud populos, ipſe damnoſo ſibi exemplo munivit: jacturaque rei familiaris interpretationes proprias, praeter morem, ſancivit. Docuerat enim ille, contradicente Martino, dotem, veluti peculium Patris profectitium, uxore ſuperſtitibus liberis mortua, debere ad Patrem, qui dotaverat redire: Martinus contra mulieris patrimonium ajebat eſſe dotem, praetereaque in ipſius mulieris poſteritate permanſuram. Sors tulit, ut Bulgari uxor moreretur. Vnde Martinus a Bulgari ſocero conſultus reſpondit, ſe quidem, cum in contraria ſententia eſſet, dotem non fuiſſe redditurum: Bulgarum vero, cum aliter ſentiret, ſua ſe doctrina implicuiſſe, propriaque ſententia damnaſſe, ideoque reddere cogendum. At Bulgarus doctrinae ſuae fidem patrimonio anteponens, oblata ſponte dote ſui aemuli judicium antevenit. Sortem hic habuit quanto in prole ſuſcipienda ſecundam; tanto adverſam in retinenda, amiſſis omnibus liberis, quos ſuſtulerat: unde animo aeger pronunciavit vulgatum illud:

Ordine mutato ſuccedis Bulgare nato.

CXLVII. DE HVGOLINO

Eadem aetate ſcholam Bononiae juris civilis habuit Hugolinus a Porta Ravennate, clarus ob adjectos Authenticorum volumini feudorum libros Bononiam a Frederico miſſos, ut juri civili inſererentur. Quos cum alii per plures Codicis titulos diſpertiiſſent, Hugolinus eos ſeorſum collectos authenticorum collationibus attexuit: eos-

Digitized by Google

demque ita compositos decimam collationem appellavit. (a) Decessitque anno MCLXVIII.

(a) Odofred. in auth. cassa. C. de Sacros. Eccles. Alvarot. in proœm. tend. colum. 4. quæst. 3.

CXLVIII. DE ROGERIO, ET OTHONE, ET PLACENTINO.

Claruit etiam eo tempore Rogerius, qui epitomen, summam appellatam, scribendam suscepit, non ultra viginti chartarum spatium excurrentem. Item & Otho, qui judiciorum summarium reliquit. Ex Italia vero in Galliam repullulantem scientiam juris retulit secum Placentinus Gallus a Martino institutus, qui Agathopoli, nunc Montepessulanum, in Gallia Narbonensi, publice jus explicavit, ediditque pinguiorem epitomen, aemulatione Rogerii, quem hac laude superavit.

CXLIX. DE PYLEO.

Nec memoratu indignus est Pyleus ex pago Mutinensi, qui exorsam a Placentino postremorum Codicis librorum absolvit epitomen. Is Bononiae jus exposuit, posteaque Mutinam precibus, precioque a Mutinensibus abductus fuit, ac denique civitate donatus, ut apud eos publice doceret. Idem, cum in judicio defenderet machinarios, a quibus projectu lapidum quidam e praetereuntibus ictus fuerat, & antea monitus, ut sibi caveret, cujus moniti testes nulli aderant: machinarios in jus duxit. Quos ubi Praetor interrogasset, ac tacentes vidisset, admiratus ad Pyleum conversus est, silentiique causam rogavit: tum Pyleus, quia muti sunt, inquit. Ad haec accusator mendacium exprobrans, exclamavit: immo audivi eos vociferantes, ac transeuntibus dicentes: *cavete*. Tum Pyleus: *Ergo absolvantur*, inquit, prae-

Digitized by Google

praemonens enim de damno non tenetur. (a) Itaque impetravit, ut eis a Praetore noxa remitteretur. Vxoris testamentum, quo haeredem instituit eum, de quo fuerat interrogata, defendit, non sine multis oppositoribus. Librum scripsit de ordine judiciorum, & aliqua in feudorum libris annotavit. Ab hoc, quod singulis Saturni diebus in utramque partem disputationes haberentur, ortum est sabbatinarum quaestionum nomen ab ipso conscriptarum. Ex qua exercitatione processere Brocardica, sive enunciata illa, quae usum habent ancipitem, & in utramque partem flectunt, peculiari libro ab eo comprehensa.

(a) Bald. in *praxi de utrumque jur. reg. de cabill.*

Sabbatinæ Quæstiones

CL. DE ALBERICO ET JOANNE.

Inter Bulgari discipulos ponitur Albericus a Porta Ravennate doctrina potius, quam moribus magistro similis: quippe temulentus, & helluo, egregieque impudens: cum non veritus sit, propter turpe lucrum, fidem suae abrogare doctrinae. Etenim de restitutione dotis, post mortem superstitibus liberis, idem quod Bulgarus magister & senserat, & docuerat: verum cum idem sibi, ac Bulgaro contigisset, dotem rogatus a socero, redditurum negavit, propriisque scriptis redargutus, respondit mutasse sententiam. Longe vero ceteris Bulgari auditoribus celebritate nominis praestitit Joannes Bossianus Cremonensis, qui novellarum libros in epitomen redegit, arboremque actionum primus invenit, obiitque anno MCXCVII.

CLI. DE AZONE, EJUSQUE SCHOLA.

Splendorem huic addidit ejus discipulus Azo Bononiensis, a Baldo haud praecipitis judicii viro fons

Azo, fons legum.

fons legum appellatus: cujus epitome; quam summam vocant, tanto fuit in precio, ut merito alias ante se omnes obruerit. Hinc traditur Mediolani, & Cremonae nulli patuisse aditum ad jurisconsulti munus, qui ea epitome careret. Azonis celebritas ex omnibus Italiae regionibus auditores excibat. Ita ut Bononiam adtraxerit juvenum fere decem millia. Ex quibus cum Longobardi, & Etrusci secum acerrime dissiderent, ab eo tumultu res ad caedem prope devenit: ut & Vrbs universa perturbaretur. Habebant eo tempore Doctores in auditores suos, qui deliquerant, animadversionem; & jurisdictionem in causis civilibus: verum retenta hac postrema priorem amiserant, propter condonandi facilitatem: quam postea animadversionem recuperatam rursus amiserunt, nec eam in posterum receperunt. Henrico VII Caesari, qui medius inter eum, & Lotharium Jurisconsultum, Azonis aemulum, equo per Vrbem incedebat, interroganti, cujus nam esset merum imperium? Lotharius Caesaris solius esse respondit: Azo vero intrepide, non Caesaris tantum, sed & Praesidum Provinciarum. Gratior tamen Principi fuit improbitas, & assentatio Lotharii, qui equo a Caesare donatus causam praebuit Azoni, ut cum eodem de argumento dissereret, inque sua sententia permaneret, ambiguo illo luderet: quod scilicet ipse aequum dixisset, equum vero abduxisset Lotharius. Cum nondum Azo admodum in jure Pontificio profecisset, contenderetque in foro contra Boarinum Mantuanum, mortuo ante litem contestatam delegante,

Azonis disputatio cum Lothario.

Digitized by Google

te, delegati jurisdictionem extingui: neque ad id probandum ei certus ex jure locus occureret, amico ſuggerente citavit caput *relatum de officio delegati:* at adverſarius confeſtim oppoſuit proxime ſequens caput *gratum* eodem titulo: quo traditur, jurisdictionem excitari a ſola citatione, indeque perpetuam permanere. Hac redargutione Azo perculſus amicos reſpexit, & pudibundus dixit,

Gratum, & relatum me habet vituperatum.

Ad gymnaſii cuſtodiam famulo eſt uſus Tarentino Gallopreſſus nomine, qui coloris nigredine, ſtaturaeque brevitate, & oris corporisque deformitate, juvenili petulantiae jucundum ludibrium fuit, preciumque ſcurrilitatis ab adoleſcentibus duo millia florenorum, ut vocant, ſervitii ſui tempore collegit. Mortuus eſt Azo anno MCC. tanto moerore omnium, ut univerſa lugere Academia videretur: ac, veluti prolatis funeris cauſa rebus, non niſi poſt anniverſarium Divorum omnium feſtum interpretatio juris eſt inchoata. Hinc aperte mendacii redarguitur, quisquis fabulam illam excogitavit ab Alciato (*a*) evulgatam, de ignominioſa morte Azonis, ob Martini necem: cui commento fidem prorſus abrogat honorificum Azoni monumentum extructum, &, cum vetuſtate collaberetur, publico juſſu reſtitutum anno MCCCCXVI. Ejus autem ſumma talis eſt, tantique acuminis, & ſoliditatis: ut, quamvis Barbaris temporibus nata, ea tamen in hac eruditio-

conf. Supr. pag. 176.

(a) *l. 2. paragr. cap. ult.*

Digitized by Google

nis luce sine damno, ac fraude nostra carere non possimus.

CLII. DE LOTHARIO CREMONENSI.

Ipsius aemulus Lotharius Cremonensis non tam studiis, quam armis claruit. Ope Caesarea, vir talis, Pisanus Archiepiscopus creatur. Nec erubescebat contra Ecclesiam sententiam ferre, docebat enim Sacros viros, nempe Ecclesiasticos, posse foro suo cedere; cumque factis etiam iniquis Ecclesiam Romanam laederet, juraque Judicatus Calaritani usurparet, (a) ab Innocentio III. vehementer objurgabatur.

(a) *Cap. fi dilig. de foro compet. & de praescript.*

CLIII. DE BALDVINO BONONIENSI.

Jacobus Balduini, Bononiensis, auditor & ipse Azonis, & Decurio creatus a Civitate sua, pessime de utroque meruit, indignusque prorsus fuit justitiae Sacerdotio: nam, & magistrum insimulavit falsae doctrinae per calumniam, quam in illius caput magister reflexit, & causam suscepit adversus patriam. Cumque sceleris in patriam argueretur, respondit eo se facto germanum Bononiae civem praestitisse: hominem effrontem, & inclita virtutibus patria prorsus indignum! A Genuensibus Praetor creatus, cum patricium laqueo damnasset contra ejus Reipublicae leges, causam praebuit Genuensibus edicendi, ne ullus in posterum legum doctor ad jus dicendum vocaretur.

Lex Genuensium ne doctor Legum.

CLIV. DE ROFREDO BENEVENTANO.

Rofredus quoque Beneventanus Azonem habuit magistrum, idemque Bononiae libros juris explicavit, pluraque scripta reliquit, inter quae disputatas saturni diebus quaestiones, quas sabbatinas, ut diximus, appellarunt; formulasque composuit, quibus rei convenirentur in foro: quorum ma-

Digitized by Google

magnus erat usus antequam aliae locupletiores prodirent. Hunc judicem adhibuit in causis Fredericus II. Imperator.

CLV. DE ACCURSIO, ET EJUS SCHOLA.

Quae autem summa latus est Azonis, ab ejus disciplina profectus est Franciscus Accursius Florentinus: cujus labor, & industria superiorum omnium ab Irnerio jurisconsultorum laudem perstrinxit, & obruit, cunctaque scripta mersit aliorum. Is enim ea animi alacritate ad jurisprudentiam accessit: ut aetate provecta juveniles spiritus gerens, juvenilia studia minime refugerit. Fertur enim prope quadragenarium ad jurisprudentiam se contulisse, conductisque superiorum interpretum expositionibus, Irnerii, scilicet, Bulgari, Martini, Placentini, Pylei, Joannis, & aliorum in solitudinem se se abduxisse: ubi illorum, & suis interpretationibus, particulas omnes juris civilis obiit, ut inde, tamquam ex tripode, forensium causarum definitiones, & judiciorum oracula peterentur. Ideoque Accursius a Cino Advocatorum Idolum appellatur. Nemo enim ante ipsum exortus erat, qui scientiam juris brevius uberiusque suppeditasset. Sententia enim legum tum in universum, tum particulatim exposita: similia loca ex universo juris corpore colligit, & contraria mire componit, adductis aliorum, ac modo adprobatis, modo rejectis opinionibus, quaestionibusque plurimis utilissimisque ad locum excitatis, ac definitis. In sensibus autem vestigandis adeo fuit acutus, & solers, perspicuus autem in verbis, & sobrius;

sobrius; felixque in abditis sententiis eruendis, ut, nisi temporum barbaries antiquitatis ei lucem & sermonis elegantiam ademisset, nullam fortasse laboris partem reliquisset eruditis recentioribus. Quo magis mihi stomachum faceſſit eorum insolentia ne dicam, an immanitas? qui cum ejus lectione legum sensus levi labore adipiscantur: ubi tamen aliquid nubeculae ab eo relinquitur eorum eruditione diluendum, feroces victoria, statim perstrepunt, & cachinnos tollunt: nec verentur viro de illis, ac de posteritate optime merito, temporum caliginem vitio vertere, sibi vero laudi ducere nascendi sortem. Quae autem inhumanitas est, ei qui facem praetulit in tantis tenebris juris civilis, qua sine face vel eruditissimi novorum Jurisconsultorum oberrassent, vitia illa nolle condonare, in quae decidit, non propter juris civilis insciticm; sed ob imperitiam historiarum, & latinae proprietatis sibi ab aetate illa denegatae: cum tamen, iis etiam praesidiis spoliatus, ingenii acie non raro collineet: ut non tam ejus errores exagitare; quam paucitatem illorum in tam crebris peccandi periculis, lubricisque locis admirari debeamus. Quo magis Cujacii modestiam, & probitatem commendo: qui cum in Accursii nomen incidit, non modo parcit a consuetis eruditorum injuriis, (in quibus Duarenus potissimum est intemperans) verum etiam hominem honorifice appellat, optimum scilicet Accursium. Cujus auctoritatem non modo prae Bartolo tanti fecit,

Cujacii modestia.

Duareni proclivitas ad injurias.

Digitized by Google

fecit, ut somnia duxerit, & deliria quidquid ei Bartolus contradicit: verum etiam Accursium, teste (a) Mornacio, Latinis, & Graecis omnibus interpretibus antepositurit. Nec mirum: quid enim Graecorum exilitas, eorumque lineolae, ad Accursii abundantiam, acumen, curiositatem, & diligentiam. Ob quam in suo ipse nomine ludens, haud absurde dixit se (b) Accursium appellatum, quod in jure civili vacillantibus, atque laborantibus opportune accurrat. Religio mihi fuerit omittere Cujacii de eo judicium his ab eo expressum verbis: *Neque διαιωμάτιγας (c) hujusmodi Jurisprudentibus comparaverim: & Accursium longe magis corona donaverim, a quo quidquid aberrat Bartolus, vanae fictiones, & aegri somnia videntur.* In sententiarum discrepantia Bulgari causam contra Martinum amplectitur: ut Azonis discipulum possis agnoscere. Cum Bononiae summa celebritate docuisset, filios reliquit Franciscum, & Cervotum, non bonorum modo haeredes; sed etiam doctrinae: qui & in docendi munere patri successerunt, &, quod mirere magis, fama est etiam reliquisse filiam, quae jus civile publice docuerit. (d) Ipse vero Accursius anno MCCXXIX. aetatis vero suae LXXVIII. supremum obiit diem.

(a) *Ad l. 2. §. hoc autem. ff. de vet. jur. enucleand.*

(b) *In l. fatta. §. Si in danda. ff. ad Trebell.*

(c) *Observat. l. 12. c. 16.*

Edidit & Azonis schola Jacobum Ardizonum Veronensem, qui praeclarum doctrinae suae monumentum reliquit feudorum summam: quam diu latentem, e sua tandem bibliotheca

CLVI.

DE JACOBO ARDIZONO, ET OFREDO.

(d) *Alberic. in l. qui filium in f. ff. ubi pupill. educar. deb. Tiraquell. inund. l. connub. gloss. 1. par. 2.*

extulit Daniel Scarameus Jurisconsultus Astensis anno MDXVIII. Emisit eadem Azonis schola Odofredum Bononiensem, vel ut alii credunt Beneventanum, ad ambiguas quasque causas a Gregorio Montelongo, Gregorii Pontificis legato, adhibitum, dum Bononiae doceret: cujus in interpretando facilitatem, atque utilitatem ex ejus uberrimis in Pandectas, & Codicem commentariis noscere licebit. Vita excessit anno MCCLXV. Ceteros obscurioris nominis commemorare non est ex nostro, aut legentium usu: satisque habebimus adolescentibus ostendere clariores usque ad Bartolum: a quo aliam jurisconsultorum seriem exordiemur.

CLVII. DE DINO.

Atque mihi excitanda est in primis Dini ex Florentino pago memoria: cujus tanta in disputando sublimitas fuit, ut Dini disputatio in proverbium abierit: tantaque auctoritate claruit, ut ad sextum decretalium librum componendum a Bonifacio VIII. fuerit adhibitus, una cum Ricardo Petronio Senensi: qui honos Dino magno stetit. Cum enim Ricardum socium operis a Pontifice in Cardinalium numerum lectum vidisset; se vero praeteritum: etsi aliis proemiis cumulatus, tamen angore animi vitam amisit. Etsi non desint, qui occulto veneno sublatum tradant. Obiit Bononiae, ubi docuerat anno MCCCIII.

CLVIII. DE BARTOLOMAEO A CAPVA.

Sub idem tempus non doctrina modo civili, quam Neapoli in Gymnasio instituto a Frederico II. Caesare summa gloria docuit: sed ampliffi-

Digitized by Google

plissimis etiam honoribus floruit Bartolomaeus a Capua Neapolitanus patriae, ac posteritatis suae nobilissimae perenne decus. Cujus patrocinio Robertus adversus (a) Carolum Regni successionem sibi asserentem causam obtinuit: tandem anno MCCCX. Bartolomaeus felicem vitae honorumque cursum absolvit.

(a) *Add. c. 1. de succes. Feudor. num. 88.*

CLIX. DE PETRO DE BELLA PERTICA, ET JACOBO DE ARENA, ET OLDRADO.

Nec mihi reticendi sunt Petrus de Bella Pertica Burgundus, aliis Sequanus, aliis Aurelianensis: qui haud minus octies infortiatum, quod vocant, Tholosae, & aliquo etiam tempore Bononiae explicavit: atque haud imperite scripsit in plures juris locos anno MCCC. Et Jacobus de Arena Bononiae, vel Tholosae, vel, ut alii putant, Patavii professus, anno MCCC. cujus opiniones ex legum mente petitas (b) Bartolus arbitrabatur. Et Oldradus de Ponte ex laude Pompeja, ob disputandi acumen, Pater legum nuncupatus: cujus responsa non pauca imperant adhuc in foro: etsi dum viveret, adeo callide versaretur in causis, ut haud raro praevaricator haberetur: quo nomine fuit a Summo Pontifice objurgatus. Etenim Oldradus Romae docuit, ubi & in collegium lectus Advocatorum, ut vocant, Consistorialium a Joanne XXII. Pontifice ad graviora Reipublicae negotia explicanda frequenter vocabatur. Prae ceteris vero illustre patrocinium coram Roberto Apuliae Rege Thomae, defuncti Principis filio natu maximo, praestitit: cui Sancti Severini Comitatum impetravit. Demum doctior, quam honestior reputatus, gravi

(b) *Bart. in tractat. bandi. tor. n. 11.*

Oldrado de Ponte Pater Legum

vi Pontificis reprehensione perculsus, in morbum incidit, obiitque anno MCCCXCV. Avenione.

CLX. De Jacobo de Belviso, et Butrigario.

Neque omiserim Jacobum de Belviso Aquensem, qui Bononiae docuit eadem aetate, atque etiam Neapoli, ubi Feudorum libros octies explicavit. Quicum conjungere placet Jacobum Butrigarium Bononiensem, qui gloriae suae, quam doctissime scribendo comparavit, magnum habuit incrementum Bartolum ejus discipulum. Docuit Jacobus Bononiae anno MCCCXXX. de quo illud fertur haud illepidum: quod interpretatus legem, quae communes numinos ad numeri, non materiae rationem dividendos praecipit: ubi anum cum canistro ficuum praetereuntem vidisset, pactusque ab ea esset dimidium, singulas scindere ficus velle simulavit, ut e singulis dimidium sibi auferret. Cum vero anus clamaret, se numerum ficuum vendidisse, non medietatem singularum: Jacobus ad auditores, qui secum erant conversus: En, inquit, quam belle anus haec explicatae dudum legis usum ostendit!

CLXI. De Cino Pistoriensi.

Sed jam ad Cinum veniamus Pistoriensem, cui pluribus e sapientiae generibus gloria parta est. De summo enim Jurisconsulto, & elegantissimo simul Poeta, certant inter se jurisprudentia, & Poësis, utri earum sit adjudicandus. Versibus ejus, quos etrusce scripsit, nihil venustius: interpretationibus vero illius in jure civili nihil sanius, nihil pressius. Floruit etiam gloria discipulo-

pulorum: quorum habuit in jurisprudentia Bartolum; in humanioribus autem literis socios Petrarcham, & Bocacium, & Cavalcantium, quibuscum conjunctissime vixit. Quorum quoque conjunctionem pictor, dum egregium factum describeret Vtini in Divi Nicolai Sacello, expressit in tabula: in qua Cinum, Petrarcham, & Bocacium, & Guidum Cavalcantium effinxit: ubi Cinus Judicis Assessorem refert; Petrarcha scribam; Bocacius rusticum; Guidus vero Cavalcantius Hebraeum, quibus imaginibus historia proditur illius temporis haud illepida: cujus non est hic referendae locus. Morum quoque Cinus honestate, & lenitate commendabatur: magis profecto laudandus, nisi arrogantius in jus Pontificium invectus fuisset. Nollem huc temeritatis, hominem alioqui modestum, esse provectum. Adolescens adhuc assessoris munus apud Ludovicum Allobrogem Romanum Senatorem exercuit, & jus civile Bononiae primum, deinde Perusii docuit: ubi Bartolus in ejus se se disciplinam tradidit. Demum anno MCCCXXXVI. Cinus excessit e vita.

Petrarchae, Bocacii, Cavalcantii socii Cyni in Leg. Literis.

Cynus in Jg Pontific invectus.

Eodem saeculo floruit Albericus de Rosata Bergomensis, quo genere obscurior, eo doctrina illustrior: qua meruit ut a Joanne Novariensi Episcopo, & Luchino Vicecomite Mediolanensium Principe, ad Benedictum XII. Pontificem legatus mitteretur: cum Patriae, atque etiam Romae causarum patrocinio diu vacasset. Denique, ubi se abduxisset a negotiis, praeter interpretationes vocabu-

CLXII. DE ALBERICO DE ROSATA.

cabulorum, etiam utriusque juris commentarios edidit: quo opere ſtudioſorum laborem plurimum levavit, ante quam eruditiores, & ſinceriores noſtrorum temporum explicationes ab eruditoribus Jurisconſultis prodirent. Fertur idem in Dantis Aligerii Poëma fuiſſe commentatum: ut conſuetam Jurisconſultorum ſui temporis doctrinam ſuperaſſe appareat. Demum anno MCCCLIV. migravit a vita.

CLXIII. DE ALIIS TVRMATIM.

Praetereo nunc ejusdem claſſis Jurisconſultos alios: nempe Rolandrum Placiolum, Andream Ciaffi, & Franciſcum Tigrini Piſanos; Ricardum de Malumbris Cremonenſem, Bartolomaeum Butrigarium Bononienſem, ejusque Cives Lambertinum, & Franciſcum Ramponi; Nicolaum Mattarellum Mutinenſem, Gulielmum a Cuneo, & Beltrandum de Monte Faventino; Joannem Fabrum Burdegalenſem, Rajnerium Forolivienſem; Taddaeum Pepulum Bononienſem; Signorinum Homodeum Mediolanenſem, & alios usque ad Bartolum Cini diſcipulum, novaeque claſſis Jurisconſultorum Principem.

Claſſis Jctorum Bartolina.

CLXIV. DE BARTOLO.

Hic, ſi tam ſublimi e loco ſimilitudinem ducere licet, Servium Sulpicium imitatus, prae ceteris ante ſe interpretibus, dialecticorum regulis, & philoſophorum acumine jurisprudentiam inſtruxit: haud pari tamen judicio, contrarioque ſucceſſu. Nam Servius dialectica ſobrie, atque frugaliter uſus, ex ea tantum ordinem, partitionem, atque perſpicuitatem, rationemque definiendi, & ex notis ignota colligendi traduxit ad jurisprudentiam, quam

Digitized by Google

quam & eloquentia, ſive lepore purae, atque concinnae dictionis, mirabiliter excoluit, effugitque dialecticorum exilitatem, & ſyrtes illas orationis: Bartolus vero, cum in ea tempora incidiſſet, in quibus omnis dicendi cogitandique ratio a ſcholarum barbarie petebatur; non modo ſpinas dialecticorum non abjecit; ſed eas conſulto ſparſit in jurisprudentiam, in eamque Arabum doctrinam effudit: quae jampridem Europae ſcholas veterum ſcientiarum, atque artium elegantia exutas, foede pervagabatur. His copiis Bartolus eſt uſus immodice, tamque crebris, ac tenuibus gaudet diſtinctionibus, ut non dividat rem, ſed frangat atque comminuat: cujus deinde fruſtula, nimia ingenii jactatione, veluti vento diſſipantur: ut non mirum, ſi ſcripta illius nubila, & confragoſa negotium legentibus adeo faceſſunt: ut aliquibus videatur theutonice locutus. (a) Quae vitia non hominis fuere, ſed aetatis: quae relictis puris Peripateticorum fontibus, pro iis Arabum faecem exhauriebat. Quid minus enim Peripateticum: quam inconcinna mens, & oratio: cum teſte Cicerone, peripatetica ſchola in ingenii, & orationis regimine, cultuque unice verſaretur? Aetatis igitur illius ſcientiis excellens Bartolus, quo plus ingenio pollebat, eo majores ſibi aliquando, aliisque tendebat ambages. Vnde ſcholam jurisprudentiae inſtituit acutam illam quidem, & forenſibus cavillationibus percommodam; flexuoſam tamen, & ob inanem ſaepe ſubtilitatem, anxiam ſane, & im-

(a) Alex. l. miles §. decem in fi. ff. de re judic

Digitized by Google

importunam. Vnde Bartolinae ſcholae interpretes plerumque ingenio plurimum indulgentes, exili qualibet ex affinitate diſcrepantia longe inter ſe non raro comparant, atque committunt: Contra vero ſaepe ob leve quodlibet diſcrimen ſimillima quaeque diſtrahunt, & a rebus aliquando alieniſſimis vaticinando, & ariolando argumenta ducunt, inque ſententiis ferendis haud ſemper ſolent auctoritatum, atque teſtimoniorum habere delectum. Hinc non raro ſtomachum Cujacio movent, ut ſaepe in illos excandeſcat, pluribus quidem in locis, praecipue in librum quintum reſponſorum Papiniani: (a) *Vim*, inquit, *hujus reſponſi, & poteſtatem non bene percipiunt interpretes. Inani ſermone imprudentia utuntur. Sunt verboſi, & prolixi, more ſuo, ut ſolent in re futili eſſe multi; in difficili muti; in angustia diffuſi.* Sed haec mihi tanti non ſunt, ut, ſi errores damnem, Bartoli tamen, & ſuorum doctrinam, ingeniumque longe magis non admirer, quam caeci quidam illorum laudatores: qui, ut probent ſimplicioribus Bartoli ſe triviſſe libros, quos numquam ſumſere in manus, pro illorum erroribus fama tantum, & inconſulta credulitate ducti, ratione prorſus nulla, ſed ore tantum, ac fronte dimicant, quaſi pro aris, & focis. Nec minus tamen eruditioribus interpretibus indignor: qui, cum a Bartolo, ſcholaque illius multa didicerint, ubi tamen aliquod ejus peccatum animadvertunt, deſiſtere neſciunt a conviciis: inter quos praeter Budaeum, Duarenum, aliosque plu-

(a) *l. filio ff. de injuſt. rupto.*

Digitized by Google

plures, Goveanus praecipue non erubescit Bartolum pessimum juris interpretem appellare, miraturque illum ab iis laudari, quos ipse Goveanus laudat. (a) Quis vero tulerit illos, qui cum prorsus jurisprudentiam ignoraverint, ac tantum eruditioni vacaverint, & humanioribus literis; hoc sese tamen veteris jurisprudentiae vindices profitentur: quod sciant & ipsi quoque Bartolo, ejusque discipulis maledicere. Quales, praeter ceteros, sunt Laurentius Valla, & Ludovicus Vives, qui barbariem quidem Bartoli omnium expositam oculis animadverterunt; doctrinae vero illius, neque recessus introspicere, neque pondus expendere valuerunt: ignari prorsus quanta Bartolus cum suis commoda jurisprudentiae attulerint, tot solutis quaestionibus quotidie in foro emergentibus: quibus dirimendis veterum scripta minime sufficerent, nisi ea Bartolus, & Bartolini Jurisconsulti ratiocinando, similiaque colligendo ad quotidianum usum, & etiam ad non expressa produxissent: ita ut reddiderint quodammodo amissa jam, excluſaque e corpore juris veterum responsa consultorum. Qua opera, & judices difficultatibus liberarunt, & reos a judicum fraudibus eripuerunt. Praestat enim parere mortuo, quam viventi: ac tutius judices obtemperant auctoritati sapientum, quae affectionibus est expers: quam propriis animi sensibus, qui studio personarum, & causarum, vel odio, aut gratia non raro in fraudem inducuntur. (b) Quam his interpretibus laudem Alciatus, pro

(a) pag. 160.

(b) l. apud Labeonem. ff. de verb. sign.

sua ingenuitate, quamvis primus ab eorum via deflexerit, minime denegavit. Quamobrem neque Bartolum cum suis omni errore absolverim, ut vulgus pragmaticorum solet: neque maximi ingenii, summique beneficii laudem eis detraxerim: neque imitabor eruditos illos, qui cum ipsi raro meliora praestent: aliorum benefacta, ob quodlibet peccatum obliviscuntur. Natus est Bartolus in Vmbria ex oppido, quod olim Setinum appellabatur; nunc Saxoferratum anno MCCCXIII. Patrem habuit Franciscum Bonaccursium: falso enim ab aliquibus incerto patre natus traditur. Fefellit eos quod prima literarum elementa Bartolus addidicerit a Petro Minorita, qui Venetiis pie vacabat expositis infantibus instituendis. Hic error apud aliquos hanc temere Bartolo notam impegit. Annum nondum XIII. egressus ad jus civile se sub Cino praeceptore, posteaque sub Jacobo Butrigario, & Reinero contulit, suique magnam expectationem acutis disputationibus in scholis excitavit. Cum Tuderti assedisset, deinde Pisis, ubi capitalibus causis praefuit, fertur in villam secedere coactus, propter invidiam, quam subierat, ob reum praecipiti sententia damnatum: Proptereaque a judicando sese, ad docendum transtulisse Pisas primum; deinde Perusium, ibique & Civitate donatum. Eo in munere propter auditorum frequentiam, & admirationem ingenii, laborisque assiduitatem, primas facile tulit. Mane enim, ac vespere docendo, atque in die tredecim circiter

Digitized by Google

ter capita juris civilis exponendo: singulis annis dimidiam Pandectarum partem emetiebatur. A Perusinis publici negotii causa legatus ad Carolum IV. Romanorum Imperatorem, non minus communem rem, quam privatam optime gessit. Speciem enim tantam doctrinae Imperatori praebuit, & virtutis: ut inter illius assessores, sive Consiliarios lectus, ab eo, praeter insignia gentilitia sibi, suaeque familiae impetrata, Leonis nempe aurei, cum duplici cauda in campo crocei coloris; obtinuerit etiam, ut sibi, suisque liberis liceret veniam aetatis scholae suae auditoribus concedere, ac spurios reddere legitimos, & natalibus restituere. Cum Francisco Tigrini, qui eum aetate anteibat non raro disputavit, atque aliquando tam acerrime inter se conflixerunt: ut controversiae dirimendae gratia Pisas miserint inspectum Pandectarum codicem, quo vera lectio inde refertur legis *Si credivur D. de distractione pignorum*: Cum Bartolus *nullam esse vendicionem*: Alter vero *nullam esse conventionem* legendum contenderet. Quam controversiam inter Bartolum, & Baldum exortam esse aliqui perperam tradiderunt. Non tamen simultates adeo graves ob ingenii gloriam inter Bartolum, & Tigrinum intercesserunt; ut amicitiam prorsus distraxerint. Non enim desunt, qui retulerint Bartolum acerrimo quamvis ingenio; tamen propter labilem fluxamque memoriam, legibus, & auctoritatibus a Tigrino acceptis cogitata sua comprobasse. Plura etiam ejusdem Tigrini, & egregie scripta Bartolus, ordine mutato, supres-

Singulis annis dimidiam Pandectarum partem absolvit.

Legatus Perusinorum ad Carol. IV. Imp.

Consiliarius Caroli IV.

Comes Palatinus.

Digitized by Google

foque auctoris nomine, in ſuos contuliſſe commentarios traditur. Laudem ſcriptis ſuis eo eſt majorem aſſecutus, quod rem in univerſum expliçatam, poſtea trahit ad uſum, lectoresque de ſchola traducit ad forum: ita ut ſcientiam cum utilitate mire conjunxerit. Adeo vero diſcendi cupiditate rapiebatur, ut ederet, ac biberet ad pondus: quo ingenii aequabilitatem, ac mentis ad ſtudia firmitatem conſervaret. Vnde nihil eorum Bartolum latuit, quae ſua ferebat aetas. Nam praeter jurisprudentiam, Hebraicis etiam literis, & Geometriae operam dedit: de qua lucem ad jus civile illuſtrandum elicuit, in opuſculo de fluminibus, quam Tiberiadem appellavit. Vir frugi fuit, & integer: & quia honeſtis artibus lucrum quaerebat, haud ſibi magnas peperit facultates. Filios ex Pellina uxore ſuſcepit duos, filias quatuor. Demum anno MCCCLV. abſceſſit e vivis, annos natus circiter XLIII. Eo majori apud poſteros gloria, quod plurium ſaeculorum labores aevo tam brevi concluſit. Neque viro de jure civili optime merenti fuit ingrata poſteritas. Haud ſcio enim an plus antiquitas tribuerit Papiniano, quam noſtrates Bartolo: cujus omnibus fere tribunalibus auctoritas imperat; praecipue apud Hiſpanos: apud quos ea ſententia vincit, a qua Bartolus ſtetit. Immo ubi deeſt lex, illius vice Bartolus conſulitur. Hinc crebra, & vulgata illa de Bartolo frementibus eruditis: nempe *Speculum, & Lucerna juris; Virtus juris; Dux univerſorum; robur veritatis; Auri-*

Digitized by Google

Auriga optimus; Apollo Pythius; Apollinis oraculum; ac modo Pater, modo Magister, modo lumen humani juris appellatur.

CLXV. DE BALDO, ET FRATRIBUS.

Hujus gloriae non parum accessit ex Baldo discipulo: quo absente Bartolus videbatur sibi carere auditoribus, ideoque sine Baldo Bartoli schola conglaciabat. Etenim tantum ille huic uni discipulo tribuebat, ut Baldo adhuc puero saepe aliquid objiciente; (a) Bartolus ad respondendum tempus petere non erubesceret. Hinc discipulus tandem evasit aemulus, & etiam in certamine, ac quinque horarum disputatione victor. Quae tamen aemulatio, ut mea fert opinio, ingenii potius Baldo, quam virtutis laudem promeretur. Quid enim inhumanius, quam carpere ubique, occasione data magistrum, ut solet Baldus? Discordia tamen ingenia dum viverent, post mortem concors hominum admiratio comitatur: hoc enim est commune in omni foro judicium, ut ibi consedisse veritas existimetur, quo concors utriusque sententia convenerit. (b) Hujus tamen petulantiae gravissimas poenas Baldus dedit. Ex frequentibus enim rixis cum praeceptore, orta est fabula, & commentum illud putidum, quod forenses nebulones imbiberunt, de Baldo publice flagellis caeso, propter corruptos omnes Pandectarum, qui Perusii erant, codices in lege *Si Creditor D. de distractione pignorum:* ut adulteratae lectionis testimonio Bartolum confutaret: cum eam contentionem, uti diximus, non cum Baldo Bartolus

(a) Castrens. in l. si institu. 27. §. de Testamento ult. ff. de inoff. testam.

(b) Tiraq. de retract. conv. §. 4. gloss. 6. num. 12.

habuerit, ſed cum Franciſco Tigrini; ut optimis rationibus oſtendit Lancellottus (a) ſelectioris notae Jurisconſultus. Natus eſt Baldus Peruſii ex Franciſco Vbaldo medico, egregiae prolis parente feliciſſimo: ſiquidem, praeter Baldum, genuit etiam Angelum, & Petrum Jurisconſultos ſcriptis non incelebres, & Baldo fratre minime indignos. Annum ineuns Baldus decimum ſeptimum admirationi fuit omnibus, ſubtili explicatione legis *centum Cupuae D. de eo quod certo loco.* Docuit primo in Patria, ubi Petrum Belfortem Cardinalem in jure civili erudiendum, atque ad maxima negotia inſtituendum accepit. Deinde Ticinum ad idem munus ampliſſimis ſtipendiis arceſſitus: ubi cum ſe auditoribus nominis ejus celebritate ſuſpenſis oſtendit; quia ſtatura puſillus erat, continuo exclamatum eſt: *minuit praeſentia famam:* Ipſe vero minime deterritus, confeſtim excepit; *Augebat cetera virtus.* Cum ibi Philippus Caſſolus, qui ſatis glorioſe *Doctorum Doctor* appellabatur, more veterum Sophiſtarum, prodiiſſet in medium, quaeſtionisque omnibus de ultimis voluntatibus ex tempore ſe reſponſurum obtuliſſet: Baldus, ut hominis petulantiam reprimeret, rogavit ubi cautum eſſet in jure, ut ſubſtitutio vulgaris in legato facta non comprehendat, niſi caſum quo noluerit, vel potuerit. Haerenti Philippo Baldus ei oſtendit legem *Pater Severinam D. de conditionibus, & demonſtrationibus.* Ad quem locum hanc narrationem Caſtrenſis attexuit. Ingenio autem Baldus tam

(a) *In vita Bartoli.*

Baldus ſtatura puſillus.

Digitized by Google

tem promto fuit, ut vel legem, quae de muscis, & vespis loqueretur petentibus obtulerit. Interrogatus ab Episcopo Ticinensi, cur leges tam facile, ac toties mutarentur: ille retulit, legislatores, medicorum instar, pro temporibus remedia parare: id enim esse justum, quod temporibus conveniret; & propterea, quae in pace vetantur, in bello licere. Ticinensium statuta solus publico jussu condidit: omniumque consensu cautum est, ut nemo sine Baldo auspice doctoratus, ut vocant, lauream caperet. Opum fuit haud minus, quam doctrinae cupidus. Quas adeo magnas tum e schola, tum etiam e foro collegit: ut ex solis substitutionum litibus quindecim millia contraxerit aureorum, sive scutorum, (a) ut vocant, praeter ea, quae ex criminum causis, & ex contractibus adjecit. Mentis ejus magis acumen laudatur, quam constantia: saepe enim ingenii aestu a veritate, atque etiam semetipso abreptus, sibi repugnat: ut Baldo subtilitas, Bartolo vero sententiarum veritas, & judicii firmitas tribuatur. Etenim illius ingenium rapidum; hujus frugale. Ille argutior; hic sanior. Ille ad disputandum, hic ad judicandum utilior. Forensis enim exercitatio Baldum quo magis exacuit: ita longius aliquando avexit a vero. Ita ut in Baldo ambitionem, & avaritiam olfacias; in Bartolo vero solius justitiae cultum admireris. Vnde Baldus opulentissimus, Bartolus inops. Ambitio vero Baldi, cupidoque gloriae studiis posterorum plurimum contulit: vix enim ullus est divini,

(a) Cuman. ad Alex. in rubric. ff. de vulgar. & pupill.

Digitized by Google

ni, aut humani juris locus ingenio illius non exploratus: neque pars ulla juris, aut civilis, aut Pontificii, aut feudalis illi non experta, Vultu fuit hilari, colloquioque grato. In pauperes erat adeo munificus, ut eis turmatim convocatis, jus & carnes bovillas saepe objiceret. Mortem tamen obiit viro gravissimo indignam. Dum enim rabido catello, quem in deliciis habebat, abblandiretur, imprudens labii morsu venenum hausit: quo in venas manante, lucem tremebundus reliquit, Kalendis Majis anno MCCCCIV. Zenobio Tipherni Episcopo, & Francisco filiis, utrisque Jurisconsultis, superstitibus.

CLXVI. DE PAULLO CASTRENSI.

Proximum Baldo locum damus Paullo Castrensi e Faliscis, quem aliqui anteponunt ipsi Baldo: cui Paullus discipulus fuit, & amanuensis: quippe pauperrimus, & genere tam obscuro; ut ne familiae quidem nomen praetulerit, humilique servitio victum, & doctrinam sibi paraverit: cum Castilionem dominum suum appellet. (a) Nam simul cum Baldi libris assidebat in schola, domumque reversus magistri verba, ne sibi exciderent, statim scriptis mandabat. (b) Auxit vero illi, ut saepe aliis, scientiam egestas. Cum enim pecunia careret ad emendos commentarios, coactus est omne tempus in ipsarum lectione legum ponere: cujus assiduitate studii, ad priscae, ac germanae sapientiae integritatem assuefecit ingenium. Hinc scripta illius, prae aliis, veterem disciplinae candorem, ac veritatem arripuerunt: quem nobis fructum ingens voluminum in diem in-

(a) *L. 2. §. ult. n. 5. ff. de Verbor. oblig.*

(b) *Castren. l. 1. §. editio in fi. ff. de edendo. & in l. 2. §. ult.*

Digitized by Google

increbrescentium, ac mentis libertatem irretientium strues intercipit. Avenione de prorogatione jurisdictionis Paullus adeo disputavit egregie: ut ea fama excitatus Cardinalis Zabarella Florentinus Archiepiscopus, vicariam Paullo assessori suo potestatem exercendam tradiderit Florentiae: ubi cum jus doceret, Senatum composuit, & statuta. Inde Senas primo, deinde Bononiam ad idem se munus, ac postremo Patavium contulit, ibidemque annis confectus mortem oppetiit anno MCCCCXX. omnium aestimatione ipsius Bartoli loco dignus.

CLXVII. DE ALEXANDRO TARTAGNO.

Is Alexandro Tartagno Imolensi doctrinam juris tradidit. (a) Paullum enim audisse Alexander dicitur, praeter Joannem Imolensem, & Joannem ab Anania, Ludovicum Romanum, & Caspar rem Arengherium in Bononiensi schola doctorem. Doctrinae illius fama undique percurrens, urbes plurimas ad cupiditatem hominis excivit. Igitur Ferrariae primum, deinde Patavii docuit, ubi Bartolomeum Coepollam acerrimum doctrinae, ac dignitatis competitorem constantissime toleravit. Illinc Ticinum, ac postremo Bononiam ad jus civile docendum concessit: ubi aemulum expertus est Andream Barbatium, minorem quidem doctrina, memoria vero, quae maxime ad plausum populum valet, longe praestantiorem. Cui tamen facultati Alexander succurrebat assidua scriptione, quam adeo necessariam studiosis existimabat: ut interrogatus, quomodo adolescens proficere posset, responderit; si vapularet, quotiescumque sine calamo administro libros evolvere deprehenderetur.

(a) Hieron. Praepositus de peste par. ult. cap. 21.

retur. Scientiae magis, quam lucri fuit appetens: ideoque in ore semper habebat istud, *legibus vacavi ut scirem, non ut eas venderem.* Vir praeterea gravis erat, & cavillationum osor, ingenioque recto, ac simplici: ut merito veritatis pater appellaretur: & quamvis modestia esset insignis, ea tamen haud potuit abs se deflectere imminentem semper doctrinae maledicentiam. Nec enim deerant, qui Sophistam eum vocarent, & ingenio versatili: quod leges pretio figeret, atque refigeret. Obiit anno MCCCCLXXXVII. annos natus tres & quinquaginta: quorum triginta docendo transegit.

CLXVIII. DE JASONE MAYNO.

Haeredem is doctrinae reliquit Jasonem Maynum auditorem suum, quo non ullus felicius, e turpissimis moribus, & natalibus ad splendorem, & dignitatem, per studia literarum emersit. Susceptus est enim e concubina, dum pater ejus Andreonus Maynus Mediolanensis Pisauri exularet. Jason autem ad literas addiscendas missus, quod injustis esset natalibus, ideoque negligentius, atque adsperius tractaretur, perdite ac dissolute vivendo alea, & luxuria pessum se, suaque omnia dedit: ut passus fuerit etiam venum ire legum libros, in pretiosis membranis descriptos. Cumque ob summam inopiam sorderet omnibus, insperato ad meliorem frugem venit: ut non jurisprudentiae modo, sed & humanioribus literis vacaverit, delibata etiam Poetice: dignusque fuerit, qui a Ludovico Sfortia legatus ad Alexandrum VI. Pontificem, una cum aliis mitteretur: inter quos ipse oran-

randi munus obivit. Quas etiam partes egit in Maximiliani nuptiis: unde Palatina, & equestri dignitate, Caesarisque patriciatu decoratus in Patriam se recepit. Vbi cum Ludovicus Sfortia Mediolanensium Dux crearetur, aliam orationem summo plausu recitavit: eaque meruit, ut in Senatores, patriciosque referretur. Juris autem professionem ad tantam existimationem dignitatemque perduxit, ut primus ad docendum pretio mille aureorum, sive ducatorum, ut vocant, conduceretur: unusque meruerit summum Galliarum Regem, Ludovicum nempe XII. una cum quinque Cardinalibus, qui eum assectabantur auditorem habere. Quibus Ticini gymnasium ingredientibus, Jason praeibat jussu ipsius Regis: qui eo in loco praeceptorem Regi antecellere dicebat. Ibi Jason amplissima disputatione docuit equestrem dignitatem ob militarem virtutem a Principe acceptam transire ad liberos. Propter hanc autem ingenii gloriam Castello fuit ab Rege donatus. Quod sibi a Praefecto Regiae Domus postea ereptum, ne Regiarum quidem literarum auctoritate unquam recipere potuit: nuncius enim ab eo ad repetendas cum literis missus, calcibus humi prostratus fuit sparsis ad terram, & conculcatis literis. Cum Francisco Curtio graves inimicitias Jason suscepit: sed cum Philippo Decio longe graviores, cum quo saepe ventum est ad manus: ut & lapidibus invicem se petierint. Ejus interpretandi ratio perspicuitate, atque ordine, itemque ubertate plurimum pollet. Auxere Jasonis commentarios etiam Bartholomaei Socini, & Caroli

roli Ruini labores: quos magno studio, & mercede conquisitos sibi veritus non est Jason adscribere. Opibus tandem, & honoribus cumulatus, obiit anno MDXIX. aetatis vero suae octogesimo quarto, cum jam, ut fertur, senio desipuisset. Atque is mihi sit pro instituto opere, Bartolinae jurisprudentiae postremus: tum quod omnes recensere peculiaris esset operis ab aliis egregie praestiti, tum quod Alciati judicio, hisce auctoribus forensis doctrina, & hoc jurisprudentiae genus absolvitur: quemadmodum ille hoc eleganti epigrammate docuit.

In jure primas comparatus ceteris
Partes habebit Bartolus.
Decisiones ob frequentes, actio
Baldum forensis sustinet.
Non negligenda maxime est tyronibus
Castrensis explanatio.
Opinionum tutius Symplegadas
Superabis Alexandro Duce.
Ordinis Jason, atque lucis nomine
Videndus est properantibus.
His si quis alios addidit interpretes,
Onerat quam honorat magis.

CLXIX. DE SALICETO, FVLGOSIO, CVMANO, CASTELLIONEO, COCPOLLA, RVINO, RIMINALDIS, CVRTIIS, DECIIS, NICOLAO, SPINELLO.

Ac mihi, si ex tanta ingeniosorum interpretum turba, quam silentio praeterimus, alterius ordinis describendi negotium daretur: fidenter legerim Bartholomaeum Salicetum Bononiensem factionibus, & exilio clarum; Raphaelem Fulgosium Placentinum, cujus ingenium in Constantiensi Concilio eluxit, ejusque socium, & aequalem Raphae-

Digitized by Google

phaelem alterum Cumanum, seu Comensem, atque utriusque istorum praeceptorem Chrystophorum Castilioneum Mediolanensem Baldi auditorem, & antagonistam: per quem subtilior jurisprudentia resilire, & sincerior juris ratio imperatorie auctoritati coepit. Cujus ingeniosa sane scripta, & judicii selectioris, divisisse inter se Raphaeles duo, ac suppresso magistri nomine sibi adscripsisse feruntur. Adderem his Bartholomaeum Coepollam legum captatorem vaferrimum, & Bartholomaeum Socinum Senensem summi acuminis jurisconsultum, & latinis, graecisque florentem literis: quicum & Marianum, ex eadem familia, conjunxerim, & denique Ruinum, Riminaldos, Curtios, Decios, & quem tum ob antiquitatem, tum ob doctrinae, ac generis nobilitatem, piaculum esset praeire, Nicolaum Spinellum Neapolitanum, qui sua in patria, & Patavii summa celebritate docuit, anno MCCCL. ubi & Fulgosium habuit auditorem. Ille vero ad summa Neapolitani Regni negotia per Joannem Reginam adhibitus; ab eademque ad Vrbanum II. legatus, ingentibus perfunctus honoribus, obiit anno MCCCXXC. superstitibus liberis Luca, natu majori, & Belforte Catanensi Episcopo: per quem collegium bonarum artium, quod Spinellorum dicitur, Patavii fuit institutum. Atque hi omnes ab Irnerio usque ad Alciatum explicandi ratione usi sunt utili quidem illa, & peracuta; sed non ubique vera: nam ubi non tam ingenii vires proficiunt, quam lectio veterum, & morum temporumque cognitio, notitiaque sermonis abstrusior;

Castilionei Scriptorum Leg

Digitized by Google

haerent ipsi misere, ac saepe labuntur: etsi aliquando audaci conjectura freti, divinatione potius, quam arte rem consequantur. Stylo praeterea utuntur illorum temporum inquinato, & barbaro, a cujus tamen lectione, ob rationum acumen, & rerum ubertatem, viri maturioris judicii minime abhorrent: immo vanitatem rident eorum, qui non tam eruditione propria, quam ineruditorum, interpretum contemtu, atque fastidio se profitentur eruditos.

CLXX. DE ALCIATO, ET SANCTIORI JVRISPRVDENTIA, SIVE DE CVJACIANA SCHOLA.

Verum sub idem tempus, quo in Italiam, indeque in Europam universam studia bonarum artium, & prisca elegantia divinitus remeabant: dum, praecinente Valla, Politianus, Parrhasius, Bembus, Erasmus, aliique complures vetusta saecula tenebris obducta recludunt; dum inde artes omnes pristinum nitorem recipiunt: jurisprudentia quoque Alciati manu ex humo sublata, oculos ad primordia sua reflectens, vetera ornamenta, nativamque dignitatem a priscis repetiit auctoribus. Cumque Alciati discipuli ex Gallia, & Italia universa conspirarent, eorum praesidio jurisprudentia se in primaeva eruditione, atque elegantia collocavit. Quaeque in Irnerii, Accursii, & Bartoli scholis vires exeruerat, retenta rubigine: cultu eruditorum, & industria literarum elegantiorum exuit barbariem, & nativam explicuit venustatem: tum praesertim, cum ad nos expugnata Constantinopoli, Basilicorum libri, Graecique pervenere legum interpretes: apud quos latina juris eruditio cum Imperii Romani reliquiis manserat incorruptior.

Digitized by Google

tior. Romana enim antiquitas, cujus lumen ab Italia dominatio barbarorum excluſerat, in Graecis jurisprudentiae ſcholis, usque ad recens Conſtantinopolis excidium vixit, uſu atque aſſiduitate juris civilis. Quam deinde antiquitatem Graecorum eruditiſſimi, a vi hoſtium ad nos confugientes, in maternum Italiae ſinum retulerunt, ſimul cum libris Baſilicorum illinc abductis, atque deinde in Galliam translatis: ubi poſtquam eos Cujacius diu triviſſet, vimque illorum expreſſiſſet publicam tandem reſpexere lucem. Suſtulerant ſane ante Alciatum animos Caſtilioneus, ejusque diſcipuli Cumanus, atque Fulgoſius: qui explicando jure non raro a vulgarium interpretum via deflectebant: Verum occupatis auctoritate animis, eorum opiniones, etſi antiquitati proximiores, tamen propter ſuſpicionem novitatis, continuo rejiciebantur, antequam eſſent expenſae: donec Alciatus ſtudio vetuſtatis, teſtimoniisque ſinceriori-bus, & eruditionis fide, vulgaribus interpretibus non raro redargutis: auditores ſuos ad novum genus interpretandi traduxit. Natus eſt Alciatus Mediolani, patre opulento, nulloque parturientis dolore. Cum puer Ticini Jaſonem, Bononiae vero Carolum Ruinum audiſſet, graecas, & latinas literas juri civili adjungendo, annum vix attingens XXII. frementibus barbaris; doctoribus vero novum jurisprudentiae nitorem admirantibus, dispunctionum libros edidit, & paradoxorum. Docuit primo Ticini, deinde ab oblatratoribus, ob quos ſtomachabatur, in fugam actus, conceſſit in Gal-

Digitized by Google

Galliam: atque initio Avenione, postea Biturigibus jus explicavit, ea auditorum frequentia, eaque felicitate, ut a munificentissimo Regum Francisco Primo annuam MCC. scutatorum, quae vocant, mercedem acceperit, & a Regis filio natu maximo, numisma CCCC. scutatorum potestate: quod urbis Cives ei Principi obtulerant in futurae dominationis obsequium. Sed eadem gloria, qua in Gallia florebat, Alciatum extra Galliam traxit. Etenim Franciscus Maria Mediolanensium Dux hominis sibi subjecti virtutem optans habere praesentem, interminata publicatione bonorum, nisi pareret pari quo in Gallia fruebatur stipendio constituto, Alciatum ad Ticinense gymnasium revocavit: unde bellorum fluctibus una cum literarum studiis bis ejectus, primo eadem mercede Bononiae; postea Ferrariae stipendio ampliori docuit, aureorum scilicet scutatorum ex praesenti aestimatione MCCCL. Per id tempus, cum Paulus III. Pontifex Vrbes Ecclesiae peragraret, captus Alciati doctrina hominem ad Ecclesiasticos honores capessendos hortabatur. Ille vero docendi munus dignitatibus anteponens, in solo se Protonotariatu continuit. Adeo autem summi Principes erga illum certabant honoribus: ut reversus Ticinum Mediolani a Caesare Senatoriam, & Palatinam dignitatem; a Philippo vero Rege Ticinum adeunte aurei torquis honorem retulit. In causarum responsis veterum gravitatem tenuit simul, & modum: longeque parcius auditorum objectionibus respondebat. Pomoeridianas horas non raro in Poë-

Digitized by Google

Poetarum, & historiarum lectione; saepe vero in alea, praesertim aestate, collocabat. Gula tandem, & cibo abundantiori mortem sibi arcessivit immaturam, anno MDL. aetatis vero suae LVIII. Cui defuncto, praeter scripta celeberrima, non parum adjecit gloria Franciſci gentilis sui ab ipso in jure civili, & in elegantioribus artibus instituti, virtus, & virtuti tributa Cardinalatus dignitas: postquam docendi munus ab Andrea sibi traditum, laudabiliter exercuisset, & e sua disciplina emisisset Cardinalem Borromaeum, a quo Romam fuit evocatus.

CLXXI. DE AEMILIO FERRETTO.

Praeter Alciatum cultioris jurisprudentiae diluculum, ejusdem doctrinae splendorem in Galliam attulit AEmilius Ferrettus, Etruscus Ravenna oriundus, ex pervetusta familia: cujus nulla fere vitae pars honoribus praemiisque vacavit. Postquam enim Pisis Philippum Decium, & Camillum Petruccium Senensem audivit, Cardinali Salviato Florentino primum, postea vero Leoni X. fuit a secretis. Quo munere sponte abdicato, ad bellum profectus, dum e Lautreci exercitu infelici clade profligato rediret, ab Hispanis capitur, ac sexcentis aureis redemtus a fratre, Valentiam ad jus civile docendum concessit: unde a Francisco Laccitus, & inter Parisienses Senatores lectus plures, atque honorificas obiit Regis jussu legationes, ad Venetos nempe, ad Florentinos, & ad Caesarem. Quibus egregie gestis, in Galliam redux, Avenione jus civile docuit, usque ad annum MDLII. qui suae fuit aetatis sexagesimus tertius, & extremus. Tantaque populorum gratia, & amore docuit; ut cum successor

Ejus Legatio nomine Franciſci I.

Digitized by Google

ejus Cravetta defuncti famam orationis initio carperet, strepitu atque tumultu, non modo schola, sed etiam Vrbe fuerit expulsus.

CLXXII. De Goveano.

Ex hujus consultissimi simul, & eloquentissimi hominis disciplina ortus est nobis Antonius Goveanus: qui Ferrettum in fine libri *de jure accrescendi* parentem suum alterum appellat. Natus est Goveanus in Lusitania, educatus in Gallia, omnibus bonis artibus excultus: ut unus Aristotelis patrocinium viriliter susceperit adversus Petrum Ramum, publice bellum indicentem scholae Peripateticae, nostris his temporibus jam delabentis, allato in forum Graeco ejus philosophi exemplari. Ingenium habuit varium, & velox ut rerum ab eo tum in philosophia, tum in humanioribus literis, tum in jure civili agitatarum finem ante initium animadverteres. Neque ullum fuit involucrum, unde non se celeriter, ac feliciter expediret. Hinc brevi spatio, quo juri civili vacavit, acuta, & solida protulit multa: dum paucis annis in pluribus Galliae gymnasiis, Cadurci nempe, Valentiae, Tolosae, Gratianopoli magna celebritate doceret. A quo cum ille se munere contulisset in aulam apud Allobrogum Ducem, cujus in consilium lectus fuerat, & magister libellorum creatus, Taurinis decessisse fertur, nondum sexagenarius. Ad cujus laudem id esset satis, quod tam exiguis, paucisque libellis meruerit, ut ab Antonio Fabro cum Cujacio conferretur. Qua in contentione Faber diligentiam, copiam, laborem Cujacio: Goveano vero acumen, atque ingenii praestantiam attribuit.

Digitized by Google

buit. Verum quod omnium ante se interpretum laudem, & spem posterorum exuperat, Cujacius ipse principem inter Jurisconsultos locum sibi uni debitum, Goveano concedere non dubitavit, hisce sane honorificentissimis verbis, utque mea fert opinio, in ipsum Cujacium tantummodo congruentibus: (a) *Antonius*, inquit, *Goveanus, cui ex omnibus quotquot sunt, aut fuerunt, Justinianei juris interpretibus si quaeramus quis unus excellat, palma deferenda est.* Sed vereor candide ne, an odio aliorum hunc adeo extollat Cujacius; an potius ambitione quadam, ut nimirum intelligamus interpretes omnes sub jugum abs se missos, qui Goveanum omnium suo judicio victorem communi ceterorum judicio vicit. Quamvis enim ingenio praecelluerit Goveanus, tamen scriptorum paucitate nemo latiorem locum Cujacio reliquit, in quo exultaret. Hinc non mirum si eum sibi Cujacius praeferat, qui secum rarius concurrit. Nobis certe, ut prae ceteris acutus, & in explicando perbrevis, & expeditus Goveanus. Ita & in reprehensione veterum, quibus vel invitus multum ipse debet, ingratus videtur, & immoderatior.

(a) *tit. 6. in fragm. Ulp. ver. nec interest.*

CLXXIII. DE BUDAEO.

Proprio vero marte in jure civili Budaeus profecit, emendator magis librorum juris, quam interpres: nec tam legum, quam eruditionis earum doctor. Non alium enim se praestat in suis ad Pandectas annotationibus: ubi nescio cur homo gravissimus adeo sibi indulgeat, & blandiatur in Accursianis interpretibus reprehendendis, a quibus scientia vincitur; quamvis eruditione pro tem-

Digitized by Google

Budaei fata.

temporum conditione vincantur. Natus est Budaeus Lutetiae illustri loco. Is prima adolescentia in venationibus, otioque traducta, reliquum vitae adeo studiis literarum occupavit, ut neque labori, neque sumtui pepercerit; saepeque morbum incurrerit, & vitae periculum. Ab Lascare, qui tum erat in Gallia, selectiorem graecae linguae notitiam accepit, ea progressus celeritate, ut exemplo Apollonii, qui Cicerone graece orante graecam eloquentiam ad Romanos translatam lugebat, etiam Lascares eam sibi a Gallis ereptam quereretur. Cujus linguae sacrarium eruditissimis commentariis Budaeus posteritati reseravit. Nec minori utilitate pandit rem nummariam eruditissimis de asse libris: quorum causa diu de inventionis laude certavit cum Leonardo Portio Italo: qui eodem tempore idem argumentum tractarat egregie. Quae dissensio, utpote hominum humanissimorum, per Lascarem interpretem facile in concordiam, immo & in mutuam benevolentiam est redacta. Gallis regibus in gravissimis legationibus laudabilem operam praestitit: sed post reditum, cum in exoptatam solitudinem, studiorumque suorum portum se recepisset, Francisci I. benevolentia fuit in aulam revocatus, atque ab eodem Regiae Bibliothecae praefectus, & magister libellorum creatus, ingenti, ac nova significatione honoris. Misit enim ei domum libellorum fasciculum: quo ejus muneris possessio tradita intelligeretur. Tandem cum esset in comitatu Regio ad oram maritimam aestuosi aëris inclementia,

non

Digitized by Google

non ſine omnium lacrymis, vitam reliquit, uxore ſuperſtite, atque undecim liberis; virilis quidem ſexus ſeptem; & muliebris quatuor, ſeptuageſimo aetatis anno; a Chriſto vero nato MDXL. Sed aliquantiſper in Hiſpaniam concedamus, paullo poſt in Galliam redituri.

CLXXIV. DE ANTONIO AVGVSTINO.

Hiſpania vetus Romanae fortunae ſocia ſicuti civium virtute, ac fide militiam Romanorum diu munivit: ita & recentioribus temporibus eorumdem fulſit leges per Antonium Auguſtinum: qui ſuis emendationum libris a civili, & pontificio jure labes abſterſit commentariisque rerum antiquarum Romae veteris imaginem poſteris aperuit. Natus eſt Auguſtinus illuſtribus majoribus Caeſareae Auguſtae Celtiberorum, humanasque literas Compluti didicit, & juris civilis primordia Salmanticae. Vberiorem vero juris doctrinam accepit Bononiae a ſummo Jurisconſulto Joanne Paullo Pariſio Conſentino, & Alciato; Patavii a Mariano Soctino. Vnde Florentiam profectus Pandectas Piſanas luſtraturus, Romam ſe contulit: ubi primo Hiſpanorum nomine lectus in Collegium Duodecemvirum litibus judicandis, quos Rotae auditores vocant, poſteaque Bononiam legatus, ut Regiis Philippi Regis Hiſpaniarum, & Mariae Anglae nuptiis intereſſet; indeque Romam reverſus & Allifanus Epiſcopus creatus; rurſus juſſu Pontificis proſpero ſucceſſu ad Ferdinandum Caeſarem legationem ſuſcepit. Inde Sicilienſi cenſura juſſu Regio perfunctus, Allifanam Eccleſiam cum Ilerdenſi mutavit. Conferens vero ſe ad

Digitized by Google

Tridentinam Synodum, nihil hortando, & disputando praetermisit, quo dilapsam Ecclesiae disciplinam ad veterem severitatem revocaret. Tandem ad Tarraconensem translatus Ecclesiam, ingenti fama; imparique meritis proemio migravit e vita. Siquidem viro egregio, & de divinis literis ac Sacra Republica optime merito purpura defuit.

CLXXV. DE BITVRICENSI SCHOLA.

Sed jam regrediamur in Galliam, ac Bituricensium Academiam veteris Berythi aemulam revisamus: ubi Alciatus perpetuum antiquae jurisprudentiae domicilium locavit. Eo enim viri doctissimi ex universis regionibus ad jus civile docendum confluxerunt, ut Romanum forum in Galliam videretur esse translatum. Nam praeter eos, quos recensebimus, docuerunt eo in gymnasio Contius, Boërius, Russardus, Raguellus, Balduinus, Aegidius, Hortensius, Emundus, Merillus, Pinsonius, Broëus, & Joannes, atque Jacobus Mercerus: ita ut Cujacius (a) nullam adhuc scholam dixerit similem inveniri Bituricensi Academiae, in eaque omnes jus docere caste, pure, cordate, sine fuco sine fallaciis.

(a) *Ad Margarit. Vales.*

CLXXVI. DE EGVINARIO BARONE.

Post Alciatum praeclaram illius institutionem tenuit Eguinarius Baro: cujus major viventis, quam mortui fuit auctoritas, oppositionibus potius aliorum, quam propriis scriptis alioqui eruditis, memoriae commendata. Cum eo non modo Goveanus vehementer; sed & Duarenus in controversiis de jurisdictione, & imperio acerbissime dimicavit: quorum postea irae deferbuerunt: ita

ut

Digitized by Google

ut Barone mortuo, anno MDL. Duarenus laudes illius tumulo inscripserit.

CLXXVII. DE DUARENO.

Natus vero Duarenus ex illustri familia; Alciato praeceptori operam dedit Avarici Biturigum: ubi in docendi munere Baroni successit, ibique auditores habuit Budaei liberos: quibus patris eruditionem, quam ab ore, & scriptis illius imbiberat, grato animo retribuit. (a) Memoria dicitur fuisse parum firma: ita ut aliquando cogeretur orationes recitare de scripto. Cujacio adhuc juveni vehementer obtrectabatur: ita ut inter utriusque discipulos partium studio concitatos tumultus orirentur: qui nonnisi Cujacii discessu quieverunt. Obiit Duarenus anno MDLIX. aetatis vero suae L. Vir ingenio fuit, & dictione facili: nemoque melius orationis lenocinium juri civili adplicuit. Ab Accursianis, & Bartolinis interpretibus, quos in foro triverat, quosque nova instituta docendi ratione ubique mordet, haud pauca tamen sumsit, quae adsperso sermonis elegantia in novam vertebat faciem. Solebat enim ex abstrusioribus & prolixioribus eorum commentariis legere optima. Quod ne videatur a me de viro doctissimo confictum, testimonium producam ex praefatione secundae partis operum ejus, a gentili suo conscripta. Is ait, Duarenum saepe in ore habuisse illud Lucretii.

(a) *Epist. Bud. apud Duaren.*

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.

CLXXVIII. DE HUGONE DONELLO.

Moriens Duarenus haud imparem doctrinae, atque simultatum suarum haeredem reliquit Hugo-

gonem Donellum discipulum: quem eleganti oratione in praeceptorum collegium cooptavit. Is magistri rationem in docendo jure complexus est, & indictum olim Cujacio bellum redintegravit. Verum cum in Calvinianorum partes, abjecta veteri, veraque religione transisset, mutato cultu divino, coactus est etiam solum vertere. Variaque fortuna jactatus, & in Germaniam profectus, docuit Heidelbergae: unde ad idem munus Leodium concessit: indeque quod Britannorum factioni res novas molientium studeret, patefactis insidiis coactus est in Franconiam confugere: ubi cessit e vita anno MDXCI. aetatis suae LXIV. Commentarios juris civilis reliquit uberrimos, & acutissimos: quibus jurisprudentiam in commodiorem ordinem redigere studuit. Cui operi utinam extremam manum addere potuisset: neque tamen minus, quales nunc sunt juventuti conferunt, propter soliditatem rerum, & rectam seriem. Puer vero adeo literas aversabatur, ut ad eas non ante se flexerit, quam illum pater pudore ac metu afficeret: qui arcessito ad se coram puero pastore suario, pacta mercede filium ei se traditurum simulavit: quo Donellus intelligeret qualis vita sibi, nisi studeret literis, proponeretur. Fallacia haec puerilis animum illius vertit, ac tantum ingenium posteritati, & literis dedit.

CLXXIX. De Francisco Hottomanno.

Protulit & Gallia Franciscum Hottomannum ex illustri, & veteri familia, quae sub Ludovico VI. a Germania occasione militiae migravit in Galliam: ubi claris affinitatibus & continuatis honoribus

ribus floruit. Francisci tamen hujus ingenio fuit longe splendidior. Is enim Jurisconsultus fuit, & orator eximius. Jus civile didicit in Aurelianensi schola: indeque Lutetiam Parisiorum ad Senatoriam Patris dignitatem vocatus, forensium jurgiorum stomacho, ad sua vetusti juris, & bonarum artium studia, invito parente secessit. Qui tamen parens hanc nato culpam condonasset; nisi paullo post ab avita, veraque religione ad Calvini doctrinam secessisset, seque Lugdunum libertatis causa contulisset, relictis patriis laribus, abjectaque proxima spe honorum, & opulenti conjugii. Quo facinore pater exulceratus alimentorum etiam spem filio praecidit. Qua nunciata re, Franciscus minime exanimatus illa Epicuri voce continuo exclamavit: *Habeamus aquam; habeamus polentam: Jovi ipsi de felicitate controversiam faciemus.* Itaque suis e studiis non solum laudem, sed & vitae subsidium ducere decrevit. Vnde primo Lausannam, postea vero Argentoratum vocatus a Germaniae primoribus, qui honores ei certatim offerebant, ea facundia docuit; ut nobilissimos quosque ad se audiendum e remotissimis regionibus contraheret. A quo docendi munere supersedit tantisper, quoad in Navarrena Regia, inque variis legationibus honorifice susceptis, regiis Galliarum administratoribus paruit. Ab his vero, ut potuit celerius homo quietis, quam honorum cupidior, expeditus retulit se ad studiorum tranquillitatem. Deinde rogatu Episcopi Valentini Valentiam concedens, eo dilapsa jam bonarum artium studia voce atque institutione sua retraxit. Inde semel, atque iterum ad Bituri-

Digitized by Google

censem academiam explicaturus jus civile simul cum auditorum turba sibi maxime benevola reductus, ac postea civilium bellorum naufragiis rejectus, redeundi propositum in posterum omnino dimisit, illud saepe praedicans: *Frustra Neptunum accusas, iterum qui naufragium facit.* Etenim eversus bonis omnibus, & amissa illustri bibliotheca, ex insigni illa Calvinistarum clade vix vitam salvam retulit. Igitur patria profugus, etsi a pluribus Germaniae Principibus ad suas cujusque academias reposceretur: tamen Basileam Rauracorum cum omni se familia contulit: ubi eum annum quintum, & sexagesimum agentem aqua intercusa extinxit, anno MDXC. relictis filiis duobus, Joanne, & Daniele, ac filiabus quatuor. Vir fuit universae antiquitatis tum Sacrae; tum prophanae oppido peritissimus, & non minus ingenio, quam oratione felix, & candidus; cui ad veram virtutem nihil defuisset, nisi bonitatem, quam a natura traxerat, mutanda religione pervertisset. Non modo in Accursianis, & Bartolinis interpretibus reprehendendis: sed in ipso Triboniano, quem & Antitriboniano peculiari libello concidit, perpetuo exagitando, collectam tota vita opinionem verecundiae, atque modestiae prorsus amisit. Ordinem praeterea librorum jurisantiquitate munitum in sermonibus, atque scriptis carpebat, praequam decet Jurisconsultum, aliamque ordinis rationem comminiscebatur. Itaque in illum videntur mihi a Cujacio haec oblique jacta (a): *cohaerent*, inquit, *digestaque sunt omnia arte mirabili, nec tam ingenio Triboniani, quam Juliani, Hermogeniani, & veterum prudentum, quorum ille vestigia secu-*

Judic. de Hobbomando.

(a) *In paratitl. Digest. tit. mandati.*

Digitized by Google

secutus est. Et qui aliam desiderant, vel comminiscuntur artem: nae quam illi sunt imperitissimi! Nam neque quid ars sit sciunt; neque artem digestorum, aut principia certa juris ulla perceperunt unquam, suaves tandem ad ridendi materiam. Haec de aliquibus, ac de isto fortasse potissimum Cujacius: quem unum Hottomannus, misso Balduino, aliisque antiquioribus aemulis, dignum habuit, cum quo manus consereret, & quem aliquando clam, aliquando palam oppugnaret, suppresso nomine sed illius expressa sententia: ut in locis aliquot observationum observationibus (*a*) Cujacii oppositis, & in libris amicabilium responsionum. Animadverti etiam Hottomannum observationum 12. cap. 30. & illustrium quaestionum 34. non obscure adversari Cujacio, illiusque observationi decimae sextae libri primi. Sed ea non tam contentio fuit, quam ira, quae brevi deflagravit. Cujacium enim abs se oppugnatum tanti tamen fecit Hottomannus: ut filium admonuerit, ne psalmos Davidis, & Cujacii paratitla sibi unquam excidere pateretur. Quo magis Hottomanni candorem admiror, & judicium: cum ne sui ipsius quidem amore a vero sensu fuerit abreptus. Quam animi aequitatem haud minus candide (*b*) Cujacius ei rependit: Hottomannum enim appellat *virum ingenii probi, & recti:* haud parvi momenti laude a tam parco laudatore.

(a) *Lib. 19. cap. 31. Vid. Vitam Hottoman. script. a Boschio.*

(a) Cujac. *ad tit. Vlp. 22. Verbu quib. scieris poteriique.*

Sed jam de ipso Cujacio dicendum: qui si antea natus esset, omnium interpretum vice fuisset. Neque enim aliquid ignorare per illum; neque sine illo discere quidquam licet. Docet nimirum unus omnia, & semper sua. Quae ratio nos movit,

CLXXX.
D. JACOBO CVJACIO.

Digitized by Google

ut eruditam Jurisprudentiam, quamvis ad ortum ab Alciato revocatam, tamen Cujacianam appellemus. Adeo enim Cajacius eruendo, & illuminando veteri juri aliorum industriam, & judicium superavit: ut quidquid est optimum ei sit adscribendum; ipseque appellandus redivivae Jurisprudentiae pater. Natus Cujacius Tolosae puer adhuc propriis viribus, nullo docente, connixus est ad graecam, & latinam eruditionem, atque Arnoldum Ferrerium in Patria jus civile docentem audivit: a nemine vero melius, quam a sua ipsius minerva edoctus. Quem tamen mortuum omnis posteritas magistrum agnoscet, proh nefas, viventem sui repudiavere cives & Cujacio in honorum contentione praetulere Forcatulum, homini simiam! Atque initio quidem ignorantia magistratuum; postea vero communis admiratio, quae invidiam aequalium illi peperit, procul distulit ab eo doctrinae praemia, quae post variam jactationem fuit assecutus. Patria siquidem repulsa stomachatus, & Michaelis Hospitalis jussu collega datus Duareno, & Donello in Balduini, qui in Germaniam abscesserat, locum, Biturige migravit, hoc misso libello repudii ad cives suos post sero resipiscentes, eumque frustra repetentes.

S. P. Q. Tolosano Jacobus Cujacius S. P. D.

Frustra absentem requiritis, quem praesentem neglexistis.

Cujacii cum Duareno et Donello simultas,

Verum Duareno, & Donello antiquis ejus scholae possessoribus ob novitatem, & doctrinae praestantiam invisus, ipso quodammodo in portu navē fregit. Illi enim viribus in unum collatis, factionisque suae disci-

Digitized by Google

discipulis novum in praeceptorem concitatis, insidiarum, & juvenilis petulantiae metu Cujacium recedere, ac retro flectere cursum coëgerunt, non sine magna Michaelis Hospitalis indignatione: qui hac improbitate audita Donellum ea de re acerbissimis literis objurgavit, compressoque tumultu Cujacium ad Biturigas honorificentissime remisit: ubi eo majori gloria docuit, quo magis ab adversariorum odio exacuebatur; ut dicere soleret, se quidquid in jure civili profecisset, acceptum ferre obtrectatori suo Duareno. Docuit etiam Tolosae, credo antequam repulsam acciperet; Dujonae Cadurcorum, Valentiae Canacum ad Rhodanum, & Augustae Taurinorum, ingentibus acceptis a Margarita, Emanuelis Philiberti uxore, praemiis, ibique, atque etiam in Galliis inter Senatores lectus, ut dignitate, ubi liberet, uteretur. Bononiam vero vocatus a Gregorio XIII. nescio qua Italiae infelicitate, recusavit ad antiquum bonarum artium domicilium venire: quo eum veterum saltem Jurisconsultorum celebritas, eorumque memoria religione quadam antiquitatis consecrata pertrahere debuisset. Porro Cujacii fama in remotissimas regiones tam late, ac rapide vagabatur, ut incredibilem auditorum turbam sedibus patriis motos ad eum conduxerit. Vnaque haec omnium ejus laudum instar erit, quod & Josephum Scaligerum habuerit auditorem: qui gloriatur in jure civili doctorem habuisse Cujacium, nunquam abs se sine peculiari laude commemoratum. Etenim, praeter alia loca, invenimus in Scaligerianis Cujacium a Josepho margaritam Jurisconsultorum vocari: quem sibi tantum scripsisse tradit, & doctis:

Discipuly Cujacii
evat Josephy Scaligi

Digitized by Google

ipsum vero Scaligerum relicta patria exceptum a Cujacio Valentiae, qui eum (ut verba ipsa referam) *ex illa nausi nauseantem bonorum studiorum gustu refecit.* Quam ob causam ei ab Deo bona omnia precatur *optimo, & incomparabili viro, a quo fuisset bona spe sustentatus.* Idem Scaliger scribit *quidquid Alciatus inchoasset, absolvisse Cujacium, & Jurisprudentiam per suam ipsius vim explicasse.* Eumdem refert super tapeto pronum, librisque circumfusum legere consuevisse. Post subjicit Cajacium *Theoriam Juris Romani veteris calluisse optime:* usus vero forensis non tantum fuisse ignarum, sed cupidum quoque dediscendi, si quid imbibisset, ne a Romano jure distraheretur. Ejusdem autem probitatem hoc argumento comprobat, quod haud exiguam auri summam in alendis discipulis amisit, dum a Patria pecuniam expectarent. Eodem Scaligero teste Cujacius ad jus omnia referebat: & cum ab imperito aliquo Grammaticus appellaretur, subridens excipiebat: *Dolet huic scilicet se non esse talem.* In legibus tamen XII. Tabularum Scaliger tradit abs se multa Cujacium didicisse his verbis. *Nullus est qui de legibus XII. Tabul. quidquam docere me possit, ne* Cujacius *quidem: qui non inficiabitur me illi multa indicasse, quae hactenus eum latuerant.* Sibique multae laudi ducit, quod a Cujacio laudetur, homo alioqui non modestissimus. Non ante Cujacius ad docendum accedebat, quam septenis, aut octenis horis commentaretur, & ubi difficilem locum inveniret, haud pudebat virum solius veritatis cupidum, tempus ad meditandum sumere. Veterem eruditionem tanti faciebat, ut ea se diceret in jur

Digitized by Google

jure civili tanquam hamo piscari. Cum animum laxaret, & intervalla studiorum frequentibus conviviis una cum discipulis occuparet, nullam interea juris mentionem inferri patiebatur. Belli Civilis tempore, cum putaretur Henricianis partibus favere, credereturque de tradenda Henrico per insidias Biturigum urbe occulta consilia inire, seditione popolari pene fuit oppressus, vir alioqui Religionis Romanae tenacissimus, impatiensque adeo rerum novarum, ut de rebus ad religionem pertinentibus rogatus, quaestionem ad Ecclesiae judicium remitteret, his verbis: *Nihil hoc ad edictum Praetoris.* Praeterea erat adeo a factionibus alienus, ingenioque tam placidus, ut militarium tumultuum, & frequentium seditionum taedio vitae naturalem abruperit cursum, quem pro corporis firmitate, atque integra valetudine longius produxisset: nisi defecisset angore animi suscepto e luctuosa eorum temporum in Gallia literarum, & bonarum artium facie: quae nobis Cujacium abstulit octavo, & sexagesimo aetatis suae anno, a Christo autem nato MDXC. quarto Kalendas octobris, relicta & secunda uxore filia Susanna: cui mandavit, ut Bibliothecam in haereditate repertam sparsim venderet, quo libris in plurium dissipatis manus, nullus esset, qui abs se adnotata colligeret, atque vulgaret: ne ex rebus propere scriptis, maleque a collectore intellectis, studiosi in errorem inducerentur. Ante vero uxorem duxerat Magdalenam Roriam, ex qua susceperat Jacobum filium jam puberem, & ad Reipublicae literariae spem a genitore summa cura educatum. Cum talis fuerit Cujacius, auditoribus tamen

Digitized by Google

men scriptis profuit potius, quam voce: quae non admodum sonora erat, nec satis explicita. In dictando praeterea varius fuit, & anceps, & perturbatus, oratione modo citata; modo remissa; nec raro interrupta: ut pronunciantem auditores neq; stylo, neq; auribus commode consequerentur. Cum enim alte, atque acutum excogitaret nimia intentione animus, a pronunciationis legibus abstrahebatur. Quamobrem cogebantur discipuli eo dictante saepe stylum vertere, atque interdum convenire simul, ut scriptis collatis sententias colligerent integras. Romanarum legum sanctimoniam non modo suis interpretationibus pene divinis, verum etiam incorruptis moribus praestitit. Praeter Duarenum, Donellum, Hottomannum, obtrectatorem habuit & Joannem Robertum Aurelianensem: quem noster lepide vexavit, eumque tum exulceravit maxime, cum literis transpositis nomen illius vertit in haec verba.

Sero in Orbe natus.

Denique, ut sors est nostra, qui vix Cujacio praeceptore digni sumus, infensos habuit minus doctos omnes: quos tamen haud eadem patientia tulit, qua nos foecem hanc literatorum decem jam annos totos ope divina toleramus. Neque enim ille silebat, neque abstinebat ab injuriis iis, quarum nomine ab Hottomanno reprehenditur, qualia sunt *scutica dignus, stultus, mendax, coecus, caliginosus, os durum, & similia*, quibus suos Cujacius hostes incessabat, non propter constantiam hominis nostra minorem: sed forte quia illi, non calumniis, ut isti, & conviciis de trivio arreptis occentabant: sed ingenio po-

Digitized by Google

potissimum certabant, & literis, ut non prorsus docto adversario essent indigni; dissimiles certe sannionibus nostris, minime idoneis ad eruditi ullius hominis iram. Sed hos mittamus livore, otio, & alienis opibus in bonorum contumeliam abundantiores, qui scelerum stupore haud intelligunt, *Injuriam unde exorta est, ad eum plerumque reverti.* Fertur etiam in doctos viros Cujacius iracundius, etsi non provocatus: quale est suum illud de Connano judicium: *Connanus*, inquit, *doctissimus quidem vir, sed non juris. Corrumpit judicium, & tempus perdit, qui illud in illius commentariis ponit.* Nimis profecto aspere, nimis praecise. Mortui Cujacii funus honore nullo caruit. Corpus enim nobilium discipulorum humeris fuit elatum, hominisque virtus funebri oratione a Claudio Marescallo Senatore, ac Regio Consiliario collaudata. Posteritas vero de Cujacio neque tacuit adhuc, neque tacebit, donec Romanae loquentur leges: de quibus tam bene promeruit, quam qui juris prudentiam ab se lateritiam acceptam, auream reddidit: ut de eo Jacobus Gothofredus vir judicio acerrimus pronunciavit. De illo etiam Antonius Oiselius scripsit hanc merito laudem:

Laudes Cujacii.

ὁ ῥᾳλμὸς τοιμῶν βιβλίων κερδαίνει.

Non alia vero laus praestantior, aut Cujacio dignior illa Pithoei: a quo nuncupatur *interpres Romani juris a summis conditoribus primus, & ultimus:* qua sane inscriptione nulla veracior.

CLXXXI. De Barnaba Brissonio.

Vixit eodem aevo Barnabas Brissonius, qui causas diu, summaque gloria patrocinatus, famaque doctrinae ad Henrici III. notitiam adductus, a causis

privatis, ad fisci patrocinium ab Rege fuit vocatus; deinde Regii consilii adsessor, & Parisiensis Praeses denique creatus: susceptique jussu Regis multas, & honorificas legationes: dicebat enim Rex nullum in Orbe Christiano Principem esse, cui Brissonius alter adesset. Mirum autem fuit in hoc viro, ut neque eruditae jurisprudentiae studio a forensi labore, neque hoc ab illa distraheretur. In forensibus enim vacationibus ad severiora studia juris antiqui, tanquam ad laborum levamen confugiebat; quodque aliis curarum summa fuisset, id erat homini laboriosissimo diverticulum. Quo interea tempore omnes jurisprudentiae recessus penetrans Romanum forum propriis obrutum ruinis pandebat, simulque mores veteres ad memoriam hominum revocabat, collectis explicatisque, non vocabulis modo prisci juris, sed formulis etiam verborum solennibus per varios auctorum locos latentibus: quibus distinguendis, non minus quam exponendis opus fuit acumine, solertiaque incredibili. Adeo enim intertextae sunt scriptis veterum, & confusae, ut vix lynceus internosceret, atque discerneret. Illis autem expromtis, veteres mores patent, & ratio cum publica, tum privata Romanorum: quae, velut cortice, formularum continetur involucris: quibus prophana, & Sacra; publica, & privata negotia expediebantur. Vtinam vero sola literarum gloria contentus fuisset, nec se ambitione in popularem flammam calamitosis illis Galliae temporibus conjecisset! Parisinis enim tumultuantibus adversus Regem, cum ipse collegarum exemplo abscessu suo vim declinare potuisset, populari tamen aurae confisus, manere decrevit in ur-

Digitized by Google

urbe: sperabat enim seditionem illam praesentia, & auctoritate sua repressum iri. A qua sententia nullis amicorum admonitionibus deduci potuit. Quamobrem lapsus in manus inimicorum, inque teterrimum carcerem conjectus, vitae miserabilem nactus est exitum: traditusque carnifici extremas contumelias ab insolentissimis, & efferatis hostibus toleravit. Carnifex vero initio ad tantum facinus exhorrescebat, clarissimique praesulis dignitatem adeo reverebatur, ut membris expaveseeret, brachiaque illius, dum necem tentarent, insolito torpore corriperentur. Tandem urgentibus inimicis victaque metu reverentia, vi subactus carnifex celeberrimo viro de infelici trabe suspenso gulam laqueo fregit, abstulitque posteris utilitatem eruditissimi operis, cui absolvendo Brissonius haudquaquam potuit exiguum vitae spatium a belluis illis immanibus exorare.

CLXXXII. DE ALIIS ACERVATIM.

Atque horum sane laboribus, & ingenio excultum jus civile fuit, eorumq; opera Respublica Romana convaluit. Praestiterat vero aliquid & Connanus: neq; contemnenda est industria Balduini, & Revardi, Petri Fabri, & Viglij, & Vultei, & Pacij, & Corasii, aliorumque hisce similium: qui flores potius, quam fructus attulerunt: quod nostrates pragmatici de universo eruditorum jurisconsultorum genere insulse admodum, ne dicam stulte, pronunciarunt. Omnium enim fructuum origo est, qui radices educat.

CLXXXIII. DE MARANO, GOTHOFREDIS, VESEMBECIO, PEREZIO, PANCIROLO, MORNACIO, VINNIO, GROTIO, ANTONIO FABRO, GREGORIO TOLOSANO.

Ex eruditorum vero turba sunt mihi sevocandi, ac nominatim appellandi aliquot, qui proximum a Cujacio, ac majorum gentium Jurisconsultis locum occupant: utpote cum non modo splendida, & jucunda, sed solida maxime atque utilia tum in forum, tum

Digitized by Google

in scholas adduxerint, ex Cujacianis praecipue libris, tanquam e Jurisprudentiae latifundio: unde quo magis effoditur, majora summittuntur. Hi vero sunt in primis Maranus Cujacii discipulus, lucidissimus auctor; Gothofredus senior, qui perpetuis notis ex eruditorum penu depromptis jus civile ambiit, cujus doctrinae varietatem potius laudaverim, quam acumen; Wesembecius praeter forensem professionem eruditus; Antonius Perez in Institutionibus aptus, & commodus, & in Codice uber ac facilis; Guido Pancirolus Italiae gloriae in hac meritoria nostratium Jurisprudentia vindex; Mornacius frugalissimus interpres; Arnoldus Vinnius vir lectissimus, cujus commentariis institutionum omnium ante se opera vincitur, cujusque in notis earundem brevitas mire cum perspicuitate conspirat; Grotius etiam occurrit fax Jurisgentium, nec minor naturalis, quam civilis honestatis interpres, atque praeceptor: Gothofredus junior abstrusa eruditione, selecta que scientia juris, judiciique integritate secundus certe a Cujacio Jurisconsultus; & Gregorius Tolosanus scriptor expeditissimus. Tandem in Antonio Fabro consistam interpretum audacissimo, & pragmaticorum hoste vehementissimo: qui aliis quidem in operibus acumen magis, quam veritatem praestitit: in Codice vero suo usum rerum, & ingenii sui jam maturi reddidit nobis utilitatem: ut meliora sint illius, quae minus acuta.

CLXXXIV. DE QVATVOR SCHOLIS POST RENOVATAM JVRISPRVDENTIAM JVDICIVM.

Nunc quatuor harum discrimina, & instituta Scholarum ex rebus adhuc expositis ad studiosorum utilitatem breviter notabimus, atque distinguemus. Et sane Irneriana Schola renatis recenter legibus tanta

Digitized by Google

tanta religione parebat: ut non modo in administratione rerum civilium, sed etiam in docendi ratione, atque ordine Justiniani praecepto subjiceretur. Et quia Justinianus omnia commentaria, omnesque interpretationes a finibus juris civilis edicto suo ejecerat retentis tantummodo paratitlis, quae alii brevia titulorum argumenta interpretantur, (a) alii breves unius tituli ex alio repletiones; praemissisque interpretationibus κατὰ πόδας, sive quae vestigiis insistunt: Ideo Irneriani Jurisconsulti nihil sibi amplius in jure interpretando permiserunt, praeter breves titulorum aut legum summas, & verborum expositiones quibus obscuriorem legum sensum recludebant. Vnde Azo, qui aliorum summas, & suas uno eodemque opere collegit, visus est excurrisse liberius. Ejus libertatem imitata est Accursiana Schola, duce Accursio Azonis discipulo, qui veterum Irnerianorum notas, & suas legibus adplicando singulis, superiorum interpretationum modum excessit. Verum hi mediam inter Bartolinos, & Irnerianos viam inierunt, ut uberiores quidem Irnerianis essent, modestiores vero Bartolinis. Bartolus enim cum sua familia, quia e Schola saepe discurrunt in forum, & alas utrobique tenduntt, adeo nonnumquam in altum evehuntur, & in quaestionum pelagus abducuntur, ut ipsius aliquando litoris conspectum amittant unde solverunt. Quamobrem Bartolini Jurisconsulti a veterum definitionum explicatione, ad nova ipsi se definienda vertebant, condendoque magis, quam interpretando juri civili vacabant. Vt non tam interpretes, quam (fas mihi sit laude ista hoc loco uti) compares quodammodo veterum juris auctorum evaserint. Itaque tantum in bono, & aequo; justo & injusto tradendo, ac definiendo valuerunt: quantum in historia, veteribusque vocabulis, & moribus caligarunt. Quod nostrum de Bartolina Schola judicium ne videatur ab Italici, nativique soli amore profectum; auctorem proferam peregrinum, & summi ordinis jurisconsultum Hugonem Grotium: quicum hac mihi de re convenire summopere gaudeo. Haec autem ille in prolegomenis: (b) *Secunda classis* (nempe Accursiani, & Bartolini, quos ille con-

(a) *Vid. Gothofr. in C. Theod. in princ. & Menag. amoen. jur. c. 15.*

(b) *De jur. bell. & pac.*

confundit) *Historiae veteris incuriosa omnes Regum populorumque controversias definire voluit ex legibus Romanis assumtis interdum canonibus. Sed his quoque temporum suorum infelicitas impedimento saepe fuit quo minus leges illas intelligerent: solertes alioqui ad indagandam aequi bonique naturam. Quo factum ut saepe optimi sint condendi juris auctores, etiam tum cum conditi juris mali sunt interpretes.* Cujaciana tandem Schola merito existimabitur tranquilla, & serena Jurisprudentiae dies: cujus luce, diffiatis barbariae nubibus, patuit sincerus Romani juris adspectus. Hujus autem Scholae primores, ministri tantum sunt Jurisprudentiae veteris: nova enim, & forensia negotia vix attingunt. Quamobrem hoc a superioribus differunt, quod illi jus vetus perperam ab eis aliquando tractatum, prudenter tamen, & utiliter ad nova negotia perducunt: Hi vero cum interpretis munus obeant optime, aliud, aut contemnant, aut raptim attrectant, ut hanc illis laudem ultro remiserint.

CLXXXV. CONCLVSIO DE INTERPRETVM VSV.

Quapropter sua studia recte instituturus primordia, & elementa juris e Cujaciana Schola petat: ut nihil initio imbibat nisi sincerum, & incorruptum, ac vere Romanum: quae cum in sanguinem verterit, tum potent certis, & obscurioribus in locis ad intelligendi facilitatem Accursium adhibere. Quo in labore cum se probe exercuerit, expenderitque vires suas, Bartolinis utatur interpretibus: ut ad patrocinia causarum scientia munitus accedat, & usu. Ex hoc enim studio ei facile ad subortas quaestiones, & quotidiana negotia rationes, & auctoritates, exemplaque abunde offerrentur. Quibus ubi destituatur, commodum opem poscet *a tractatibus, consiliis, decisionibus, resolutionibus*, & similibus forensium disquisitionum acervis: quibus legum studiosus maxime juvabitur, si eos non pro magistris, sed pro nomenclatoribus, & indicibus memoriae adminiculo adhibuerit, recentioribusque utatur tantum, ut famulis veterum interpretum, eorumque promicondis. Is enim e forensibus consarcinatoribus in hac nundinali Jurisprudentia praestat ceteris, qui plus attulerit alieni: Consulendique sunt recentiores, non ad judicium, cujus ipsimet magnopere indi-

Digitized by Google

indigent; sed ad laborum levamen: ut scilicet per fluctuosam, & salebrosam hanc viam, novorum ductu celerius consequamur antiquos. Eo enim nunc excessit in jure civili copia, molesque scriptorum, ut is esse coeperit utilior, qui magis legendi necessitatem imminuerit. Quam ob causam & nos primordia juris antiqui distracta in tot selectiorum jurisconsultorum volumina, quorum jam numerum studiosi reformidant, tribus contraximus libellis, & faciliorem digessimus ordinem: ut ad temporis compendium ubertatem etiam, & utilitatem longiorum operum adjungeremus. Superest, ut quod promisimus Raphaelis Fabretti, & Francisci Blanchini de lege Regia judicium hic adscribamus.

J: VINCENTIVS GRAVINA
RAPHAELI FABRETTO.
S.

CVm juris civilis origines, quas jampridem nobis explicandas esse susceptas non ignoras, nunc prope absolverimus; nefas visum est de lege regia definire quidquam antequam te consuleremus Romanae antiquitatis oraculum: quamobrem in aedes me Carpinianas contuleram, ut te convenirem. Non enim tibi latet quam variae sint eruditorum sententiae de fragmento illo Capitolino: germanum ne sit, an potius confictum; quod ab aliquo nec prorsus temere contenditur. Quid tu ea de re censeas cognoscere plurimum interest nostra. Cum te namque uno mihi tuto videbor opinari, homine pari eruditione, atque virtute; qui facile patieris, ut nos periculo scribamus tuo: quippe qui non sis veritus in nova, & eleganti tua inscriptionum collectione oblatratores nostros praeclaro, & gravissimo de me testimonio ultro lacessere; quasi te puderet virum prisca probitate, in bonorum censum ab illis maledicentia sua non esse descriptum. Nos vero (vide quem hominem beneficio tuo demerueris?) quamvis illi noxiam tibi remiserint: ubi nodus tamen aliquis erit in hac lege solvendus, molestia nostra eorum vicem te ulciscemur, & rogando, atque consulendo curabimus, ne

nos

nos impune defenderis. Amici tui periculum in hujus legis judicio vides, minuere videbor majestatem, si temere fragmentum rejecero: arguar vero lege Cornelia de falsis, si falsam tabulam asseruero. Omnes igitur opes meae sunt in eruditione, atque humanitate tua, quas, si umquam alias, in hoc maxime discrimine mihi velim adfuturas. Nosti enim quam vigiles, & gratuitos habeam delatores, si quid offendero; cum adhuc tam male meus mihi candor cesserit, & innocentia. Vale. Ex aedibus Carpinianis.

XII. Kal. April. MDCXCIX.

RAPHAEL FABRETTVS
Jo: VINCENTIO GRAVINAE
S. P. D.

EGo quidem receptis a primariis literatorum monumentis bellum indicere non soleo: & propterea legem illam Regiam (quam vocas) apud Gruterum pag. CCXLII. numquam in dubium revocavi, quin esset bona fide conscripta, atque ex formula vetustatem simul ac dignitatem Romani Senatus sapienter rogata. Dubium vero quod apud aliquos innatum esse memoras, Franciscus Blanchinus noster (ingenium viri bene nosti) examinandum ex Tabulae inspectione suscepit, & sinceram esse serio pronunciavit, cui meus calculus libenter accedit. Praeterea quatenus unius, alteriusque dissensus ad rem in controversiam adducendam sufficeret, legem hic Barbarius *de Off. Praet. locum habere putarem, ex qua communis tot majorum gentium literatorum error (ita vocare liceat) jus facere diceretur. Aude igitur meo periculo, postquam meum judicium de hac re sequi placet. Ego enim in tuendo, atque observando periculum quodcumque subire paratus sum, ubi illud imminere certo scirem; nedum ob hanc quam puto inanem disceptationem, juvante nobis tum stylo, qui puram putam genuinamque vetustatem redolet, tum magnificentia inscriptionis in materia, quae omnem fictionis suspicionem excludit. Vale. Ex nostro Museo.*

X. Kal. April. MDCXCIX.

I. VIN-

Digitized by Google

J. VINCENTII GRAVINAE

ORIGINVM JVRIS CIVILIS

LIB. II.

QVI EST

DE

JVRE NATVRALI,

GENTIVM,

ET XII. TABVLARVM;

AD

CLEMENTEM XI.

PONT. MAX.

Digitized by Google

Digitized by Google

SI veteribus in monumentis tuo jussu erutis, atque meliori auspicio restituendis, animi tui magnificentiam, CLEMENS OPTIME, summa cum admiratione contemplantur omnes; multo magis frontem contrahent eruditiores, dum intra se volvent utilitatem, quae in omne genus hominum instauratione studiorum a te laudabiliter susceptam manaverit: Etenim quanto aeternitas mortalitati, anima corpori, divina humanis antecellunt:

Digitized by Google

tanto anteire ceteris operibus tuis oportet ea, quae quotidie conferuntur in incrementum Religionis, & literarum, quae utpote immortales, neque incendiis, aut direptionibus, aut naturae, temporisque injuriis periturae, immortalitatem propriam Principis beneficentiae circumfundentes, & patronum, vindicemque suum gloriae perennitate remunerantes, memoriam, & exempla illius transmittunt ad imitationem posteritatis; ut virtus, quae unius interitu occideret, in omne aevum, inque gentes universas literarum ope multiplicetur. Cumque tantopere gaudeas priscis Romanorum signis, atque monumentis inventis, quae antiquam animorum, & Imperii magnitudinem produnt; miremur si majori munificentia tibi excipiendas censueris veteres Leges, quae illorum sapientiam ad nos referunt, atque justitiam, civilesque virtutes exemplo suo profuturas universis, ac perpetuo respublicas, & regna summa cum populorum felicitate conservaturas! Hanc nos vetustissimam Romanorum prudentiam, & aequitatem in XII. tabul. legibus adhuc viventem hoc secundo libro statuimus ante oculos studioforum; quo sane opere velut imaginem animi tui adumbrasse vide-

Digitized by Google

videbimur. Et quia libro primo quatuor circiter abhinc annis edito Romani juris originem, & progressum exterioribus ab initiis, nempe a monumentis historiarum; & memoriis temporum deduximus: nunc hujus initio fontes recludemus uberiores, & non Romani solum, sed universi gentium juris originem intestinis ex causis protrahemus, ex ipsa scilicet honestate naturae. Quam honestatem non opinione, sed veritate constare ostendemus, ut qui ab illa desciverint, & illicita imperaverint, quidvis potius populis tulisse putemus, quam Leges: quas, ut Cicero ait, neque ingeniis hominum excogitatas, neque scitum aliquod esse populorum apparebit; sed alterum quoddam, quod universum mundum regeret imperandi, prohibendique sapientiam. Quamobrem principem illam, & ultimam Legem, e sapientissimorum sententia definit mentem omnia ratione cogentis, & imperantis Dei. Quibus comprobatis palam erroris coarguentur Physici illi, qui legem inter ea, quae neque vera, neque falsa constituuntur, a natura rejecerunt. Quod te favente aggredimur, CLEMENS JVSTISSIME, cujus e vita merito posteritas exemplum ducet Legum divinarum.

Digitized by Google

Cum igitur acres, ac diuturnae de naturali lege contentiones inter Philosophos jam diu excitatae fuerint, & etiam in dies in hac aetatis nostrae illustri concertatione ingeniorum excitentur, & ferveant; aliis ipsam appetitionem pro lege naturae ponentibus; aliis eam rationi subjugantibus: certe nihil in hac opinionum, & animorum fluctuatione christiano homine felicius est, atque tranquillius in orbe terrarum, qui divino numine hos evolat laqueos, ipsaque voce veritatis ex infinita errantium turba detrahitur. Iis vero nihil profecto miserius, nihil perturbatius, qui vel falsa, vel nulla religione imbuti, aut in fallaci philosophiae genere versati, partim a corrupta divinitatis notione justi, atque injusti regulam petunt, caducas affectiones Deo adplicantes, ejusque justitiam ex humana lege definientes; partim sua sibi vitia pro naturae legibus habent, fas nefasque propriis cupiditatibus aestimantes, ac bonum, & aequum humanis libidinibus expendentes. Quos abjecta duce animorum ratione, quae singulorum cupiditates, justi, atque injusti notione moderatur, assiduis oportet jactari molestiis, cum exclusa curatione, morborum radicem uti propriae naturae portionem amplexentur. Atque hi cum numinis

Digitized by Google

nis auctoritate minime impellantur, scientia pertrahendi sunt ad primaevi juris cognitionem, & naturalibus rationibus eo perducendi: ut quae ratio eos verterit ad justitiam, eadem expeditius deferat ad religionem: si semel imbiberint, nihil esse aliud jus naturale, quam adumbrata quaedam in hominibus divinae lineamenta legis, etsi non perfectam, at inchoatam tamen affectamque ab ipsomet animorum exordio religionem. Quo longius ab eorum opinione recedimus, qui ex institutione Christianorum studium pellunt excluduntque moralis philosophiae, veluti supervacuum, & profanum, ac minime dignum, quod in hac praeceptorum divinitate se offerat. Quasi aliquid religioni detrahatur, si philosophia etiam eamdem ad causam advocetur. Vt enim ea sapientiae decreta, quae nostros excedunt sensus ab auctoritate solius religionis arcessamus: morum tamen regulas, quarum cognitio etiam humanae facultati patet, cur segregemus a consideratione naturae: quae semotis erroribus consuetudinis ipsa per se tendit ad honnestatem? Attollitur enim religione honestas altius; at minime aufertur a conspectu naturae: quae philosophorum adjuta studiis expedit nobis iter: ita ut propius adspiremus ad

chri-

christianam virtutem, si naturalibus etiam rationibus enitamur. Ac sicuti homines longe de re communi generosius, quam de alterius dominatione decertant; quia intelligunt inclusam esse in patriae salute libertatem; ita multo alacrius contra vitia pro virtute pugnaverint, si a philosophia didicerint nihil aliud esse virtutes, nisi productionem, usumque propriae rationis, atque humanae incrementa naturae. Praeterea sponte susceptа libentius, quam imparata geruntur: cum libertatis ex illis, ex his vero servitutis, oriatur opinio. Pro libero autem agit quisquis rationi paret: & pro servo quisquis obtemperat auctoritati. Percellit enim tamquam vox imperantis, animosque sistit auctoritas; at ratio ingressa mentes, & interius leniter illabens flectit paullatim sensus vertitque jucunde voluntates: ut quo plures in comitatu suo rationes adduxerit auctoritas; eo longius ab illius dominatu videatur abesse violentia. Tandem quid importunius, obsecro: quam euntes ultro malle machinis tollere, ac raptim abstrahere tenentes viam? quos alioqui propter christianae pietatis cum naturali honestate convenientiam satis religio incitaverit, sublato signo, quo fuerit intendendum. Neque me quisquam veterum Patrum

Digitized by Google

trum vocibus absterruerit: quorum ceteroqui auctoritatem, ac numen maxime, pro eo ac debeo, vereor venerorque. Nam etsi aliquando videantur illi contra studia philosophorum exardescere: non tamen doctrinam adoriuntur universam, sed illius mores aetatis; in qua philosophi vel falsa cum vera religione commutata, propter veterem tamen consuetudinem adeo primis illis repetebantur, atque revocabantur studiis, ut aliquando auferrentur longius; vel semotis a rerum gubernatione, atque cura numinibus morum regimen, artemque vitae non ab auctoritate divina; sed ab humana tantum ratione, atque a philosophia ducebant. Ceterum qui divinis praeceptis naturales rationes intexuisset, ac moralem philosophorum doctrinam expunctis erroribus in Christianorum scholas advocasset, tantum abest ut reprehenderent; ut etiam exemplo ipsi suo excitarent, atque praeirent. Quid enim refertius philosophorum sensibus, quam veterum scripta, & monumenta Patrum? Quid morali Graecorum philosophia prae illis abundantius? Quis eis impensius religionis nostrae cum naturali honestate consensum dedicat, atque declarat? Hinc non modo christiana institutio philosophiae praeceptis mi-

Digitized by Google

rifice auget: verum etiam insita illa nostrae doctrinae severitas, quam initio animi reformidant, adjumento rationis veluti quadam naturae illecebra ita demulcetur; ut qui e nostratibus a studiis fluxere philosophorum, longe sint humaniores, atque ad lenitudinem proniores iis, qui nulla doctrinae jucunditate, nullaque rationis persuasione, sed sola formidine, atque auctoritate retinentur. Qui plerumque, ut in optimum quodque institutum vitia facile penetrant, simulato divinitatis amore humanitatem adeo deponunt; ut mutantes, & seligentes potius vitia, quam resecantes, non tam studio suae, atque alienae salutis; quam ardore nocendi, atque vexandi austeritatem vitae profiteantur. Itaque sicuti Jurisprudentiae maxime conducibile; ita neque a religione alienum fore duco; si juris fundamenta in ipsa hominis mente locavero, & cum divino jure naturalem justitiae rationem composuero: ut qui christianis institutis adversantur, intelligant etiam cum natura se dimicare.

Quo

Digitized by Google

QVoniam vero confusa quaedam aliquando, nec satis distincta Legis naturalis notio, tum e jurisconsultorum, tum e philosophorum profertur scholis, quae non homines modo, sed & bruta etiam amplectitur, ac pluribus ex partibus obnititur humanae rationi, quae vitanda, & expetenda non fuga, & appetitione naturali, sed boni, & mali definitione discernit; Hinc multi legem naturalem a sola humana ratione, tamquam ab radice sua efferunt, rectumque animi judicium inconsultis naturae affectionibus adeo anteponunt, ut sensus honestati contrarios vitium existiment naturae universae quodammodo aegrotantis, atque ab institutione sua turpiter deflectentis? Contra vero alli absurdum autumant, partem anteferre toti, legemque communem rerum creatarum contrahere ad certae ac peculiaris naturae sensum; & ad rationem humanam res ita expendere universas, ut quod homunculis conveniat, aut repugnet, id infinitatis totius perfectio, aut vitium habeatur. Vnde nullam ponunt boni malive naturam, eique inhaerens jus naturale omnino convellunt, ne honestatis lege per naturam constituta, suis ipsamet legibus natura damnetur: quod eveniret, si virtus una, & vitium eadem natura consisterent: nam lex virtutis a natura veniens damnaret vitium ab eadem natura profectum. Et sane quis mente sua, non aliena utens, definitionem illam, qua jus naturale dicitur, id quod

1.
De Bon, Mali-que, Natura, sive de Justitia et Injustitia Naturali.

Digitized by Google

natura omnia animalia docuit, eo sensu, quo vulgo accipitur, composuerit cum praeceptis honestatis, quae nos abstrahunt ab iis corporis voluptatibus, ad quas natura ipsa etiam invehimur? Aut qua ratione definitio altera; quae jus naturale docet esse dictata rectae rationis, quadraverit in ferinas affectiones, quibus humana etiam natura corripitur, ab omni prorsus ratione deerrantes? Quae affectiones inter se oppositae ab oppositis certe principiis oriuntur, & leges hae dissidentes a naturis fluxere diversis: ut non mirum, si homo duplici natura, mentis, & corporis conditus, duplicibus implicetur legibus e sua cujusque natura, tamquam proprio de fonte manantibus: quae sibi occurrentes, atque inter se pugnantes hominem distrahunt, atque divellunt: eumque modo a sensu corporis ad mentis rationem; ac modo a ratione mentis ad sensum corporis perpetuo sursum, ac deorsum volvunt.

II. DE DUPLICI NATVRAE LEGE.

Nimirum praeter legem universam, cujus participat etiam corpus, & mens, quatenus cum corpore conjungitur, inest in rationali natura lex sibi propria, & peculiaris, alteri quae corpori etiam adhaerescit, saepe repugnans. Quarum alteram promiscuam legem appellamus, alteram vero legem solius mentis. Lex promiscua tam longe lateque discurrit, ut ambitus hujus immensitatem omnia continentem, resque singulas eodem ambitu comprehensas involvat, atque circumeat, ipsumque etiam hauriat hominem, qui communi hac lege irretitur, praeter legem peculiarem

Digitized by Google

rem naturae illius, quae in cogitando verſatur: ut merito legem hanc etiam corpus involentem, legem vocemus naturae communem, aut legem promiſcuam; legem vero ſolius mentis nuncupemus legem naturae peculiaris, aut legem rationalem, quae ab lege promiſcua, utpote communiori, atque potentiori adeo premitur, ut nunquam non ſuperaretur, niſi virtutum auctor Deus animos noſtros numine ſuo attolleret, ac ſuſtineret. Sed ne more ſcholaſticorum voces notionibus vacuas anteponamus, ſubjiciendum eſt oculis aliquod natura notum, quod nos legis promiſcuae nomine comprehendimus. Qua voce nihil ſignificamus aliud, niſi motionem illam ubique pervadentem, omniaque cientem, & agitantem, resque varias aſſiduo producentem ſimul, & interimentem, ex interituque unius alteram ſuſcitantem: ſine qua otioſa, & inertia, conſtipataque forent univerſa.

III. De Lege Rerum Vniverſarum, ſive de Lege promiſcua.

Hanc Deus Opt. Max. indidit etiam infuditque corporibus pro vita, & veluti anima rerum ratione carentium, quae ſicuti a motu ortum ſuum auſpicantur, ita eodem variante vertuntur. Vnde ut ordinem Deus, & vitam rebus certam, interitumque tribueret, motum ipſum certis ordinavit legibus: quarum ſeriem in rerum univerſitatem explicatam, & in ſpecies ſingulas diſtributam legem dicimus naturae communem: quia ex harum legum nexu ita res creatae pendent, ut nihil praeter hunc ordinem, neque intereat, neque maneat, neque oriatur: Hoc enim ordine,

Digitized by Google

vel in re minima perturbato corruerent omnia. Igitur eventus omnes rerum cum universarum, tum singularum, ita hoc ab ordine prodeunt, itaque ad eumdem redeant; ut certarum rerum corruptio in integritatem cedat universitatis hujusce rerum. Consecutio est enim illius ordinis ubique imperantis, ubique vigentis, a quo non maxima modo, sed & minima quaelibet eventa devolvuntur. Hinc etsi res vitientur singulae, natura tamen universa vitium sibi contrahit nullum, etenim ipsae affectiones noxiae rerum singularum emittuntur a lege illa summa, per quam & dissolutis rebus aliae recreantur, eaque ratione communis omnium natura reparatur. Unde si alicubi terra hiscens urbes hauserit, & oppida, vitium quidem illis regionibus adfertur; nihil vero naturae communi detrahitur, quae suis progrediens legibus, dum terras eas discludit, e ruentibus illis molibus, vel expleverit inane aliquid; vel montem alicubi, aut insulam excitaverit. Fera si mortifere vulneretur, tale vitium ex vulnere concipit, ut vitam profundat: verum idem vulnus, quod illius abstulit vitam, vitam producit eorum, qui fera vescuntur: ut intelligamus naturam lege sua interitum cuiquam adferre nunquam, quin tribuat alteri lucem: ut unius vitio in alterius utilitatem converso, cum varietate rerum creatarum universitatem perpetuo tueatur. Unde a communi natura procul absunt vitia, singulisque tantum insident rebus ratione cujusque speciei, quae dissolvitur; non vero aliarum,

Digitized by Google

rum, quae dissolutione illa gignuntur, aut conservantur.

IV. DE LEGE PECVLIARI HVMANAE NATVRAE, SIVE DE LEGE RATIONIS.

Num autem quia singulae res inanimes vitia suscipiunt, ideo cum vitio simul culpam etiam contrahunt? At quam obsecro adscripserimus culpam rebus ratione carentibus, quae motibus, aetatibusque suis naturae universae perpetuo parent; eique reddunt quod acceperunt, neque vim in se habent ullam, qua renitantur, & a communi rerum lege proprio nisu deflectant? Longe tamen aliud contingit in homine, qui motus habet voluntarios, & in quem duo confluxere naturae, a quibus duo item in eum convenere leges. Oportet enim naturam cogitationis alia prorsus lege gaudere, quam natura corporis: cum enim nulla in parte corpus, & cogitatio conveniat, communem ubique nequeunt habere legem. Hinc homo qua corpore constat, fertur lege naturae promiscua; qua vero mente consistit, ducitur lege sola rationis, quae hominis est natura praestantior. Vnde cum lege corporis deflectitur a lege rationis, culpam certe concipit, quia contra propriam peccat, & potiorem sui naturam, cujus lex praecellere debet legi corporis; perinde atque naturae corporeae praestat natura mentis. Quamobrem in hac universitate rerum solus homo est culpae capax; quia solus homo peculiarem accepit naturam seorsum a rebus corporeis aliis, ac solus legem subiit praecipuam naturae mentis congruentem, sejunctamque ab lege communi rerum aliarum: unde

unde secum solus ipse dimicat, cum duabus discrepantibus inter se legibus, horsum illorsum pellatur, solus denique culpam incurrit, quando lege corporis abducitur a lege mentis: quae utpote hominis propria debet ei unice imperare, perinde atque lex corporis naturae corporum dominatur universae. De qua lege tantum est homini ad se derivandum, quantum cum sui potiore natura, nempe cum cogitatione concordet. Qualia sunt nutritio, liberorum susceptio, educatio, justa, & rationi congruens perfunctio sensuum.: tantisper quoad cogitationis natura praestantior in corpore vigeat. Quo respexisse videntur Jurisconsulti, cum haec naturae officia communia nobis cum ceteris animalibus, e naturali lege repetierunt. Non enim, arbitor, ea pro naturali lege hominis habuerunt; nisi quatenus cum ratione conjunguntur; nam quatenus a communi rerum ceterarum natura proficiscuntur, leges quidem sunt naturae universae, non leges hominum naturae peculiaris. Atque ita dictorum repugnantia superius indicata removebitur: & jus quod natura omnia animalia docuit, cum lege conveniet rationis: quae munera corporis nobis communicata cum animantibus obeunda praecipit, tantisper dum animi, corporisque conjunctio conservetur. Vnde quae officia corporis humani ratione soluta non cum propria lege humanae naturae, sed cum lege naturae promiscua conveniunt: ea si ad rationis usum convertentur, partes erunt juris illius, quod in hominem

Digitized by Google

concorditer a corporis, mentisque lege confluxit, quodque procedit ex conjunctione mentis, & corporis: quae si secum ita conspirent, ut mens imperet, corpus obsequatur, ad praescriptum naturalis juris opus exigent commune suum. Hinc vivere secundum naturam, ipsam sapientiam dixerunt esse virtutem traditam nobis ab lege rationis, qua peculiaris hominum, & rerum universa natura conciliantur. Expositis autem iis, quae in animos nostros veniunt ab lege promiscua; nunc explicanda sunt ea, quae ab sola rationis lege proficiscuntur: ita enim intellexerimus, unaque distinxerimus quae mentem corpori conjunctam, quaeve mentem puram seorsum a corpore consequantur. Quod nunquam assequemur, nisi per cognitionem finis bonorum, & malorum, quo vel ad cupiditatem, vel ad fugam commovemur; eas nobis leges attribuentes, quae ducunt ad finem, quo natura tendimus: ea vero extra naturam humanam arcentes, quibus ab eo communi fine distrahimur.

V. De Naturali Bonorum Extremo.

Illum autem communem appellamus finem, quo appetitiones hominum, cupiditatesque feruntur omnes; utpote ad bonorum extremum, atque summum expetendorum, unde quaecumque disconveniunt noxia nobis evadunt; cuique assequendo natae sunt in homine leges rationis, atque ab rationis legibus ortae virtutes. Quamobrem quae affectiones ab extremo illo nos bonorum avertunt, vitia ducimus, & nuncupamus, ideoque a nobis aliena censemus, ita ut virtutum,

vitiorumque ratio ab eo bonorum extremo sit inenunda. Porro quae ab animi, corporisque conjunctione procedunt affectiones, & sensuum functiones unum tamquam commune bonum circumeunt, perreptantque voluptatem, cujus adspectu cientur, inimicamque voluptatis fugiunt, aversanturque molestiam: nec tamen ea, quibus sensuum voluptates procreantur, ponimus inter virtutes: quia jucundum illud e corpore manans in animum haudquaquam est proprium & summum humanae naturae bonum: quale illud est in sola ratione seorsum a corpore locatum, cui subjiciendum est bonum ex corpore, animoque participans, quae voluptas appellatur. Vt enim cuncta hominis debent rationi parere, ita & mistum corporis, animique bonum oportet obtemperare incorrupto, puroque bono rationis a corpore secretae, qualis est animi tranquillitas. Quam ideo extremum in hac vita bonorum constituimus, quia illius tantum causa mens vires omnes exercet, atque facultates experitur suas; illudque nacta continuo a curis omnibus conquiescit. Quidquid enim seorsum a religione, cujus finis longe dominantior est aliis, naturaliter agunt homines, propositam habet voluptatem, si corpore simul, & animo sit obeundem; Si vero sola ratione, tranquillitatem: cujus fons uberrimus est cognitio rerum, atque scientia, quae utpote sensibus exsors, atque ad solam cogitationem pertinens proprium est patrimonium rationis. Sola scientia enim adducimur ad cognitionem illius boni,

Digitized by Google

boni, quod nobis offertur a virtutibus, aufertur a vitiis.

VI. DE VIRTVTVM ORIGINE EX LEGE NATVRAE.

Hominem namque ſummus opifex ita concinnavit, ut ſicuti palatus dulcedine, oculus pulchritudine capitur, ita & animus laetetur utendis, obeundisque virtutibus, utpote noſtrae cognatis, convenientibusque naturae, ſecumque adducentibus, perennem, incorruptamque voluptatem. Quam illecebram rebus omnibus ad vitam, atque ad honeſtatem neceſſariis providentia divina perfudit. Nec vitia umquam haerent animis, niſi mens virtutum ſpecie falleretur: aut extenuatis ejus viribus, corporis traheretur ſenſibus, qui hauriunt etiam e vitiis voluptatem: quam refundentes in mentem, in oblivionem boni praeſtantioris violenter eam adducunt. Voluptates enim a virtutibus ortae juvant hominis naturam; laedunt vero venientes a vitiis: quoniam componunt, ac temperant virtutes animum, pariuntque ſedatis affectionibus omni expertem aegritudine tranquillitatem. At vitia diſtrahendo, ac violenter exagitando excitant e media corporis voluptate perturbationem. Virtus enim non egreditur naturae fines, vitia vero exundantia exterius, ad animum attrahunt morbos, nempe rerum extra ſe poſitarum cupiditates, quae progrediuntur in immenſum. Atqui natura certam nobis praefinivit menſuram voluptatum: cui ſi quid inſuper acceſſerit, non delectatio, ſed pondus animo accedet. Modus autem vo-

Digitized by Google

luptatis nobis a natura deſſum, corporibus expletur, atque parabilibus, quibus cupiditas naturalis, & motus corporis facile ſedatur: jisdemque ſatiaretur, ſibique ipſi placaretur etiam animus, niſi opinione majoris boni, ſtultaque admiratione rerum ſuperfluarum procul a naturalis neceſſitatis finibus in coecum rerum inanium pelagus auferretur.

VII. DE MORBIS NATVRAE RATIONALIS, SIVE DE VITIIS.

Hinc incenſus homo divitiarum, atque deliciarum amore, aſſiduo ſenſu laborat egeſtatis: quia praeſentia nihil reputat, ſed abſentia, quae ſunt infinita: ut ea qui appetierit, pauperie quoque infinita prematur: ambitione vero flagrans ut imperet aliis, adimit ſibi nativam libertatem, tum quia cogitur parere omnibus, quorum ſuffragia captat, antequam imperii potiatur; tum quia potius cogitur eos aſſidue formidare, quibus eſt ipſe formidini: ut vulgaris animus proſpera mutatione fortunae, non finem, ſed novitatem inveniat miſeriarum. Quibus nemo ſe ultro committeret, ſi civilem ingrediens vitam, ante animadverteret modum, & fines, quos ultra citraque neſcit conſiſtere voluptas corporis, animique tranquillitas. Eos autem fines pandit ſola ſcientia, quae, utpote ſocia rationis, mater eſt etiam virtutum: quia ſola ſcientia oſtendit humanam naturam certis capacem eſſe, finitisque voluptatibus, quas ubi cupiditate tranſilierimus in infinitatem delabimur deſideriorum: ut quo ulterius appetendo pergimus; eo longius aberremus ab ea

Digitized by Google

ea meta, ubi natura voluptatem corporis, & animi tranquillitatem hominibus condidit. Qua de cognitione oritur temperantia, quae appetitiones extinguit inanes; & justitia, quae nos abstinet ab alienis; & fortitudo, quae persuasione veri boni vanos adimit metus; ac denique prudentia caput virtutum aliarum, qua retrahimur ad naturae fines, ibique perpetuo continemur. Vnde virtutes per scientiam adipiscentes, & perturbationes immoderatarum effugientes cupiditatum, sola emendatione mentis ad verticem felicitatis evadimus, quo vulgus, aut volvendo assidue saxum per ambitionem, & honorem, aut fugitivas aquas captando per opulentiam, & avaritiam; aut pascendis jecore suo vulturibus per amores, & libidines tota vita misere, ac frustra contendit.

VIII. De Vita Beata Sapientis.

Quid autem eo beatius homine, qui contra calumnias benefactorum conscientia munitur; qui animi securitate adversa contemnit; qui frugalitate dimicat adversus fortunam; cujus vires numquam pervenerint quo naturae benignitas locavit necessaria vitae, quibus purgati pectoris tranquillitas continetur? Quid laetius illo, qui cognitione praeteritorum futuris occurrit, praesentia moderatur; quique redactis in potestatem suam cupidinibus pervolat ubique liber ab imperiis potentiorum: quorum in servitutem nostra nos cupiditas tradit: quae ut honoribus, opibus, & deliciis potiatur, nos mancipat arbitris, atque largitoribus illorum? Cum igitur omnibus expen-

sis nihil deprehendamus nostrae magis convenire naturae, quam virtutes: certe nusquam verius jus naturale hominis, quam in ipsa honestate posuerimus, quae soboles est rationis: quaeque suis praeceptis non solum praestantiorem hominis naturam, nempe animum tuetur; sed etiam corpus, cui honesta vivendi norma plurimum confert. Eademque honestas philosophorum fuit voluntaria, & ingenua religio: qua veluti ansa non paucos eorum Apostoli ad Christianam adduxere legem, ad quam antea mores, & mentes philosophia composuerat. Qui enim propter caducam felicitatem virtutes colunt naturales, longe procliviores profecto fuerint ad divinas, unde perennis fluit, & numquam interitura felicitas.

IX. De Jvribvs Hvmanae Rationis.

Igitur quisque nostrum jure naturae propriae rationi subjicitur: jure naturae paremus virtutibus, tamquam creatis a ratione magistratibus, ut jus dicerent actionibus nostris, atque affectionibus, & sensibus praeessent humanis. Enimvero e sensuum variis perceptionibus, varias homo suscipit affectiones, varios appetitus, varias voluntates, adeo saepe inter se discordes, ut in populo illo affectionum crebrae seditiones oriantur, videanturque uno tempore intra eumdem hominem plures animi oberrare; nisi motus inter se dissidentes revocentur ad rationem, cujus constans est, firmumque consilium, cum eadem semper boni specie teneatur. Vnde sola ratio peculiarem servat cujusque naturam; sola ratio sem-

Digitized by Google

semper hominem praestat eumdem. Sensus vero non solum hominem distrahunt in plures, verum ipsam etiam evertunt humanitatem. An enim eum ducamus hominem, qui sensibus perfungendis extra se semper occupatus omnino sui vivit ignarus? An manere hominem censeamus eumdem, qui semet singulis momentis amittit perenni mutatione mentis, assiduaque renovatione voluntatis? Vnde qui a virtutibus desciverit, earumque jurisdictioni subtraxerit affectiones, & imperium sui ab ratione transtulerit ad sensus, perduellis est, atque hostis humanae naturae, cui legitimum rectorem justosque magistratus ademit; cujusque compositum tranquillumque statum in tumultuosum vertit, atque turbolentum. Sicuti autem ratio redigit in concordiam affectiones; ita etiam & plures homines inter se discrepantes placat, atque componit, inducitque caritatem coelestе simul, ac civile vinculum.

X. DE ORIGINE SOCIETATIS HVMANAE.

Atque initio quidem animos per mutuum amorem communicat ipsa natura commissione corporum, quae per conjugium diversorum evadit conjunctio animorum, atque naturale initium humanae societatis. Commistis enim quodammodo simul cum corpore mentibus, membrorum, & sensuum similitudo generationis ope transmittitur ad prolem, quae imbibit educatione mores parentum. Vnde quia ratio eadem ex unius viri mente ad mulierem, & ad sobolem imitatione permanat; ea communicatione

Digitized by Google

ne familiaris conflatur, atque domestica societas, in qua naturalis occupationis jure, patrisfamilias naturale, ac familiare fundatur Imperium. Vir enim utpote corpore, ac ratione potentior occupat foeminam, jure utriusque naturae, mentis nimirum, & corporis: multoque justius occupat foetum, qui sua ipsius portio est, & maternorum ab se occupatorum viscerum: ut ipsa natura filios tradat in patris potestatem; falsoque docuerit Obesius eos in matris naturali jure, non in patris nasci potestate: utpote cum concipiendo prima eos occuparit. Illud enim homo acutus minime cogitavit, foeminam ipsam jam fuisse jure naturae ante occupatam praestantia corporis mentisque virilis: ut quidquid occupatae cohaeret, eodem jure in potestatem deducatur occupantis. Praeterea cum vir foeminam consilio praestet, aetas autem infirma consilio egeat alieno; sequitur ut proles subjicienda sit consilio praestantiori; nempe virili; quod libro tertio distinctius explicabimus. Occupatio autem primaeva est, ac naturalis adquisitio, qua dominium nobis asseruimus praediorum, aliarumque comprehensibilium, & finitarum rerum, quae communia cum essent, postea propria occupantium evaserunt; quaque utilitatem quotidie capimus incomprehensibilium, & infinitarum; quae cum neque divisionem recipiant, neque mensuram; perpetuo communia omnibus parmanserunt, nec propria fiunt singulorum, nisi quoad corpore adprehenduntur: qualia sunt haec: aër, aqua profluens,

Digitized by Google

fluens, mare, ac propter maris usum ad humana commercia omnibus necessarium, littora, sine quibus mare clauderetur: quia nemo se in altum capesseret, nisi ad littora tutum receptum a ventis, atque tempestatibus haberet.

XI. DE JURE GENTIVM, ET ORIGINE COMMERCIORVM.

Hactenus autem in jure, imperioque naturae versamur; quae mutuo desiderio conjugia conciliavit, & imbecilliorem sexum validiori subjecit, & matrem cum liberis continet sub imperio parentis. Ideoque recte conjugiorum ratio, & liberorum educatio a Jurisconsultis ad primaevum jus naturae relatum invenimus, & ad imperium familiare: quod aliud certe non est, nisi recta parentis ratio, cum muliere, ac liberis communicata. Nam ratio illa, quae non uni familiae, sed pluribus regendis est instituta, cumque pluribus gentibus communicata, peculiari vocabulo jus gentium appellatur; cujus nunc ortum, atque progressionem detegemus. Igitur naturali jure quot familiae, totidem existunt imperia. singulae autem familiae initio seorsum in agris ab se occupatis habitabant; regionibus inter se, locisque disjunctae, ac dissipatae; quales Theseus invenit Athenienses, quos ille primus ex agris coëgit in civitatem. Sed quoniam non omnes rebus omnibus regiones abundant; saepeque quod regio una dat, altera negat, opus fuit mortalibus permutare bona sua: ut quod uni superat, alteri vicissim, cui deerat, adderetur; qua communicatione mutua commodorum, egestas omnium explebatur & regionum exaequabatur disparitas.

Digitized by Google

XII.

De Permvtatione Contractvvm Omnivm Elemento,

Hinc omnium contractuum antiquissima permutatio, quae in venditionis nomen apud veteres transibat, si qua gens unica merce, quae ibi communior esset, alibi rarior, merces alias ab exteris repararet, quod fortasse meditabantur Sabiniani, & Cassiani, cum docuerunt venditionem etiam esse sine nummis. (a) Alioquin falso venditio a Jurisconsultis referretur ad jus gentium, quorum vetustiores utpote rudes nondum norant nummorum usum: quapropter necesse habuerunt mercem aliquam in commune aliarum precium vertere; ut non mirum si vendere, ac permutare promiscue acceptum apud Homerum, aliosque veterum inveniamus. Hinc illud Odis. (b) quo Sabiniani adversus Proculianos contendebant, τὴν ποτὲ Λαέρτης πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσιν. *Quam* (ancillam) *Laërtes emerat possessionibus suis.* Qua sane animadversione nostra facile vetus haec, atque vehemens Sabinianorum, & Proculianorum dissensio dirimetur. Neque enim permutationem quamlibet pro venditione habuerim, neque contenderim umquam venditionem sine pretio constitisse; sed potius existimarim aut initio commerciorum communem aliquam alicujus populi mercem, pro precio rerum aliarum esse constitutam; aut ubi usus posceret inter certos homines ita saepe convenisse, ut pro mutua utilitate modo una, modo alia species in aliarum precium cederet: inter quos cum unus distrahendae rei suae; alius ejusdem comparandae animum haberet; ille venditoris loco erat, iste vero emtoris: ita-

(a) L. 1. ff. de contrahend. empt.

(b) Lib. 1. circa finem.

Digitized by Google

itaque sine nummis facile venditio a permutatione distinguebatur, quam arbitror mentem fuisse Sabianorum: contra quos tamen Imperatorum auctoritate Proculianorum sententia vicit. Hinc Romani, qui re pecuaria erant abundantiores, precii loco pecudes tradebant venditoribus; ideoque patrimonium peculii nomine continetur: postea rudi aere appenso uti coeperunt: donec a Graecis nummos percutere, atque in publico signo precii auctoritatem, & notam, communemque rerum aestimationem ponere didicerunt. Pecuniarum enim nota significat pondus earum, ut contrahentes ponderandi onere liberentur, per impressam in nummo publicam fidem. Argentum vero, & aurum, propterea quod essent ad usum expeditiora, inventa fuerunt pro communi materia permutationis. Est enim nummus commune permutationis elementum, communisque terminus, ad quem omnis permutatio trahitur. Nam ubi res cum rebus aliis permutata devenit ad pecuniam, ibi omnis continuo commutatio consistit. Nec modo antiquissima, sed & mater, & semen permutatio est contractuum fere universorum. Nam praeter permutationem rei cum re, quae peculiari permutationis nomine venit, in aliis itidem contractibus fere omnibus sive nominatis, sive innominatis permutatio continetur. Etenim in reliquis innominatis, vel opera cum opera, vel opera cum re, vel res cum opera permutatur: qualia sunt pacta illa *facio ut facias, facio ut des, do ut facias.* In contractibus autem nominatis, vel permutatur pecunia cum re,

Digitized by Google

unde venditio; vel pecunia cum pecunia, unde graeco vocabulo collybum, vulgo cambium, vel quantitas cum ejusdem generis quantitate, unde mutuum; vel usus rei cum pecunia, & mercede, unde locatio; vel usus rei cum gratia utentis, unde commodatum; vel ipsa res, aut cum gratia tantum, aut cum praecedentibus meritis accipientis, unde donatio, sive gratuita, sive remuneratoria: ut contractus fere omnes facile ad unam permutationem revocentur: quia commercia inter homines peperit, vel inopia rerum, quarum erat apud alios copia; vel egestas operis alieni: unde rerum, & operum diversorum commutatione communibus necessitatibus fuit occurrendum. Frequentia vero commerciorum, atque permutationum, sensim inter homines benevolentiam peperit, qua conciliati coeperunt propriam quisque cum aliena diligentia, operaque commune ad lucrum, damnumve, mercium communicationem conjungere, unde societates negotiorum: quibus exercendis, ubi alterius fidei periculum fecissent, res aut socio, aut amico facile credebant in insidiarum, rapinarumque periculo, unde depositum: aut eidem, si mors imminneret, ita donabant, ut danti si mortem effugeret, redderentur, unde donationes causa mortis: atque ad eorum exemplum testamenta; quae si solvantur solennitatibus juris civilis, & ad simplicitatem juris gentium redigantur, non alio distant a donationibus causa mortis; nisi quod hic insit spes aliqua vitae; ibi vero tantum consideratio mortis intervenit; cum tamen iidem effectus utrinq; procedant: ut & id etiam

Digitized by Google

iam habeant commune, quod teſtamenta quoque recidant in permutationem; nam ſicuti donando, ita teſtando rem cum ſuperſtitis gratia, ejusdemque manes erga noſtros pietate commutamus. Vix enim ullam inter homines beneficentiam undique gratuitam invenerimus.

XIII. DE JURE PACIS

Igitur progredientibus commerciis plurimisque familiis in eadem jura coëuntibus, communemque commodorum, & incommodorum ſibi ducentibus regulam, quae ſibi pariter mala defenderet, bona contribueret; unam omnes eamdemque illa ex inſtitutione conflatam ſuscepere mentem: quae ſicuti certas ante familias regebat ſeparatim; ita plures earum deinceps conjunctim adminiſtravit. Vnde recte a Platone lex appellatur diſtributio mentis. Eaque mens ratio eſt communis commodi, & norma univerſae utilitatis, publicaeque tutela ſalutis, commerciorum altrix, praeſes atque cuſtos humanarum ſocietatum, quam juſtitiam appellamus. Cujus cognatam humanae naturae notitiam in ſublimioribus ingeniis ex ſe promicantem, in humilioribus exſuscitarunt quotidiana exempla utilitatum; quas capiebant qui ad ejus praecepta vitam inſtituerant. Quos mutua inter ſe pace gaudere, atque animorum conjunctione cavere inſidias, injuriasque feliciter propulſare videbant. Quae notities quocumque incideret oblata ſpe paris utilitatis, atque quietis ad eamdem vivendi rationem animos accendebat. Ita ut ſenſim juſtitia ex animis, vel ſua ſponte, vel aliorum imitatione

Digitized by Google

coorta in universum genus manarit humanum. Vnde quidquid non certis non tantum familiis, certisve societatibus, sed gentibus conveniret universis jus gentium fuit appellatum: quo nimirum gentibus omnibus commodum utilitasque proceditur. Cujus exordia juris sibi adserebant Athenienses, quos primos ferunt hanc ex animis notitiam exculpsisse, jusque gentium finitimis traditum dimisisse ad mortales ceteros una cum rei agrariae legibus; ut corporis, animique opes una omnibus regio procrearit. Hinc Lucretius: *Primae frugiferos foetus mortalibus aegris dididerunt quomdam praeclaro nomine Athenae, et recreaverunt vitam, legesque rogarunt*, Verum Aegyptii hanc sibi contra vindicant laudem, & quovis pignore contendunt Osirim suum cum uxore Isíde terras peragrantem agrorum cultum, & commune jus mortalibus aperuisse.

XIV. De Jvre Belli.

At si qua gens communionem juris, & foedus humanae societatis laceraret, ac frangeret; quieteque viventibus insidiaretur; tum ea tamquam hostis humanitatis justo bello a finitimis petebatur. Nam sicuti domina humanae naturae mens affectiones jure coërceret ab se discordes; ita & gentium ratio, cui nostrum omnium regimen mens humana mandavit, merito armis coërcuerit eos, qui ferinis moribus, aut nondum exutis, aut improbe repetitis communem hominum sollicitant pacem, naturalemque statum humanae rationis evertunt. Atque ut horum furor non modo ad belli gerendi tempus; verum etiam inposterum,

Digitized by Google

tum, ac ſi fieri queat, perpetuo comprimatur; invenit ratio ſervitutem, qua victi a victoribus multentur: ut victores captorum vitae propter propriam utilitatem facilius parcerent; victi vero ſi mortem effugerent, amiſſionem libertatis a bellis pertimeſcerent: itaque a mutuis injuriis temperarent; communisque pax non mortis tantum, ſed etiam ignominioſae vitae formidine muniretur. Vnde quamvis rationis lex, quae mater eſt juris gentium, nihil magis abhorreat, quam violentiam, nihilque majori ſtudio promoveat quam libertatem; tamen Jurisconſulti bella & ſervitutes ad jus gentium retulerunt; quia ſine hoc ſatellitio, nequit ratio contra feritatem ſtatum aliter tueri ſuum; nec licet, ſine brevi temporis violentia pacem retinere diuturnam; aut perpetuam libertatem ſine paucorum ſervitute conſervare. Qua de ratione omnia belli pacisque jura profluxerunt. Et quoniam omne bellum jure gentium temporarium eſt, perpetuaeque pacis cauſa movetur; ab eodem jure deſcendit ſanctitas; immunitasque legatorum, quos nefas eſt verbo, aut re violare: cum ſint interpretes humanae ſocietatis, & inſtrumenta pariundae pacis, ad quam per eorum perſonam reditus patet: ut qui ſuis injuriis ea inſtrumenta diſſolverit, hoſtem ſe praebeat humanitatis; cum homines a naturali ſtatu rationis, qui pace coaleſcit, ad feritatem, quae bellis exultat, quantum in ſe eſt, perpetuo traducat. Eadem de cauſa etiam in bello, ipſoque ardore pugnae, cum ratio muta videtur, & exanimis: ne tamen

omnis

omnis ad pacem via praecludatur, foedera inter homines data utrumque, acceptaque fide servantur: certaeque leges uti sponsores, ac vades futurae pacis, militum regunt iras, & micantibus gladiis praesunt: adeo ut nihil videatur inhumanius voce illius, qui leges inter arma silere pronunciavit. Etenim ut ex ante probatis patet, in hominis animo ferinum, & rationabile secum assidue certant: ferinum vero natura oportet rationabili parere. Unde jus est homini ferinum, si rebellaverit, undecumque pellere sive ab animo suo, sive uxoris, sive liberorum, sive totius familiae, sive universae societatis; ubi plures familiae in ejusdem juris communionem convenerunt.

XV. De Civili Potestate.

Hinc poenae inventae, & multae, quae militia domestica sunt, & arma pacis ad subigendam, ac perdomandam sui populi feritatem comparata. Cumque ille sit status naturalis hominis, qui ex rationis instituitur norma; status autem ferinus, utpote rationi contrarius, naturae adversetur humanae; certe nihil tam est hominis, quam producere quoad quisque potest rationabilem vitam, & non a sua tantum, sed ab aliena etiam societate avellere feritatem, a qua mala, & pericula in populos imminent humaniores. Quamobrem recte instituta societas justam semper habet belli causam adversus ferinos alterius mores: ut sicuti feritatem populi sui capitalibus animadversionibus, quae sunt bella domestica perdomat, ita justis praeliis, quae armata sunt animadversiones, & armata judicia vindicet immanitatem finitimorum; (a) tum ut populo suo pacem pariat firmiorem, quod docet

(b) Grot. de jure belli lib. 3. c. 25. n. 1. & n. 11. & 12.

Digitized by Google

docet & Isocrates; tum ut strenuam navet operam rationi, cujus recte institutas societates, & ad muniendam eam, & ad propagandam oportet esse ministras: cum ab ipsa ratione, quae naturae dominatur humanae, dominium acceperint barbarorum: qui sapientibus eodem jure subjiciuntur, quo subest feritas rationi, cui veluti medico aegrotum, salubre fuerit parere feritatem.

XVI. DE JUSTITIA ROMANORUM.

Hinc Romanorum unice, atque undequaque justissimum fuit imperium, quippe fundatum in vertice rationis humanae: hoc est in Atticis legibus ex uberiori Graecae sapientiae fonte manantibus: & propaganda humanitate in universum terrarum orbem utilissime dilatatum. Humanitatis enim hostes tantum Romani ducebant suos: unde, praeter provocantes, non alios bello urgebant, quam foedifragos, quibus victis, ut ait Sallustius, nihil eripiebant praeter injuriae licentiam; (a) nec servitute premebant, nisi qui rationis legibus repugnarent; & civili vitae immanem vivendi ritum anteponerent. Graecos vero, cultosque alios populos propriis vivere sinebant legibus, nec servitium, sed armorum ab iis, & consiliorum societatem sibi poscebant: ut imperio proferendo, viribus, & opibus eorum ad universalem juris gentium communionem, extensionemque rationabilis vitae, atque ad humani generis emendationem uterentur. Vt qui pudori ducunt imperio paruisse Romanorum, asserant sibi ultro barbariem, atque opinionem ab se deprecentur humanitatis.

(a) Grot. lib. 3. cap. 15. n. 11. & 12.

Digitized by Google

XVII. De Jvre Sapientis in ceteros.

Quamobrem sapientes, qui suam, & aliorum norunt pacare feritatem, a qua rationem prae ceteris illi habent expeditam, suo sibi consilio regendos susceperunt eos, qui animum quodammodo in potestate non tenent, quique magis alienarum opum, quam propriae tranquillitatis desiderio capiuntur; & a cupiditatibus, & voluptatibus, quibus indulgent, suo, & aliorum detrimento in maxima pericula conjiciuntur. Quoniam igitur usu compertum fuit, & ratione praevisum homines, si quisque sibi quod cupiebat, auferrent, mutuis caedibus interituros: propterea sapientia, sive adulta ratio sua cuique rerum portione tributa, eos contraxit in civitatem, adegitque ad mutuam commodorum, & incommodorum participationem exemplo privatarum societatum: nihil est enim aliud civitas, quam publica multorum ad communem utilitatem, ac vitae bonorumque tutamen instituta societas: quae perpetuis publicarum pactionum vinculis, nempe legibus continetur. Quibus firmandis, atque constituendis suam quisque voluntatem contribuunt, propriasque in medium conferunt pro communi securitate vires. Atque his e voluntatibus, & viribus in unum confluentibus, publica voluntas conflatur, summaque potestas: quarum altera dicta lex est, sive communis ratio, vel civilis sapientia, & publica philosophia; altera imperium, sive vis, & potestas universorum: eaque non sapientibus, sua quibus ratio lex est, & imperium, sed iis sunt posita coër-

cen-

Digitized by Google

cendis, ad quorum animos componendos ratio non valet: ut quae perturbatio propria ratione non reprimitur, potestate, & ratione publica, & alia majori perturbatione, mortis nimirum, poenarumque metu, compescatur. Etenim ad importunos morbos medicinam adhibemus saepe tristiorem, & ubi vulnus fomentis non levatur, ferrum tandem, & ignem admovemus.

XVIII. DE ORIGINE IMPERII, ET JURISDICTIONIS.

Hinc ex placida, & inermi, armata prodiit, & imperiosa sapientia: cujus vi libertas nostra minime praecidituri, quoniam ea potestas extitit e confusis omnium viribus: & lex universorum complexa voluntates, rationem singulorum, & potestatem in se conditas perpetuo conservat. Vnde qui lege involvitur non aliena vi, sed sua voluntate, suaque imperii portione gubernatur. Quocirca omnium interest vigere leges, utpote radices publicae salutis, qua unusquisque intelligit contineri suam. Vbi enim homines convenerunt in civitatem, portio fit suae quisque reipublicae, cujus commodum privatorum criminibus rescissum, eorumdem est poena sarciendum: ut exemplo alieni supplicii a publica salute, qua singulos tuetur, novorum criminum pericula propulsentur. Ideo conditis legibus, & imperio constituto, rei administrandae ratio quaerenda fuit: unde publica potestas, vel in multitudine constitit, vel ad optimates ascendit; vel consedit in principe, vel tributis communi consensu partibus per singulos ordines permeavit. Quae potestas ad communem utilitatem publica voluntate instituta, si publicae salutis detrimento, & singulorum

injuria, vel ad unius, vel ad paucorum utilitatem detorqueatur, ipso jure ad primaevum revolvitur statum. Abest enim a tyrannide consensus universorum, sine quo nullum ratum est, & justum imperium. Vnde quod commodo civium fieri possit, licebit sane rempublicam a praedone repetere: ne cunctorum opes, & salus, paucorum aut unius cupiditatibus vel libidinibus devoveatur. Etenim res est sacrosancta libertas, & divini juris: quippe humanae a Deo implicata naturae: ut eam tentare scelus sit, impium circumvenire, occupare nefarium. Et contra, publicae utilitatis causa, jus est principibus, atque potentioribus legum vim armis, & auctoritate restituere, si justam libertatem effusiori licentia multitudo corruperit.

XIX. De Conversione Rerum.

Etenim utcumque ab initio reipublicae status optime fundetur; propter humani tamen animi volubilitatem procedentibus temporibus vertitur, ut aut pereundum ei sit, aut forte, vel consilio alieno ad integritatem pristinam revertendum. Civilia etenim exempta non sunt a conditione rerum naturalium, quae secum una res creatas alias perpetua vicissitudine volvunt: ita ut in earum conversione, velut in tabula volvendarum aetatum, motuum etiam civilium rationem intueamur: cum illa vi divina, quae ubique penetrat, totum & partes versentur in orbem, ac motu obeunte circumferantur: ex quo alia intereunt, alia nascuntur, integra semper manente natura: cui nihil perit suarum dissolutione partium, neque novi

novi quidquam novarum ortu rerum accedit: quia res, vel a primordiis ab initio in natura conditis, vel e ruderibus rerum antea dissolutarum oriuntur. Vnde motus circumfluens, & rerum immensitatem, orbesque minores, divina certaque lege versans, postquam circuitione sua species extulerit, & excitarit innumeras, orbesque suos absolverit: remeans tandem eodem similes reducit vultus, omnemque quodammodo replicat rerum seriem, atque convertit. Hinc novae intercidunt formae, ac veterum imagines reviviscunt: fluunt enim, & refluunt omnia, quoad finis appetat rebus initio a Deo optimo max. constitutus. Qui autem civilia cum naturalibus composuerit, sentiet omnia iisdem ire gradibus: etenim hominum animi rebus implicantur externis: & humanae affectiones, quibus civilia negotia involvuntur, nunquam conquiescunt: sed modo adversis contractae, modo inflatae secundis, & jactatae frequenter incertis, res sibi subjectas pari secum agitatione, ac motu perpetuo versant.

XX. DE MOTIBVS CIVILIBVS.

Animus nimirum humanus cupiditate, ac fuga tamquam calcaribus, & frenis impellitur, & coërcetur. Cupiditatem spes comitatur, fugam antevenit metus; ut unde animus metu non reflectitur, eo spe, atque cupiditate vehatur, si quid ibi sit appetendorum. Porro cupiditas imminet antepartis, quoad certo jure caremus, aut recentem egestatis memoriam conservamus: at cum ea nobis confirmavimus, aut egestatis memo-

Digitized by Google

moriam deposuimus; confestim nostra negligimus, & appetere incipimus aliena. Hinc jacentes in malis, eorum depulsionem in bonis ponimus; ubi e malis emerserimus, continuo majoris boni desiderio torquemur. Quo motu civilia, & humana omnia circumferuntur. Qui enim legibus, & hominibus parent, dum externarum injuriarum, aut recentium seditionum recordantur, nihil ducunt quiete, ac securitate illa beatius: & qui recens est a privato princeps, sat habet opibus, & honoribus anteire ceteris. Hinc homines vel pestibus, diluviis, incendiisque superstites, vel dissipati fuga, vel seditione, ac fame jactati, si a fortiori, & prudentiori cogantur in civitatem, tranquillo statu fruuntur, & aequabili jure, quoniam cupiditas rerum novarum a recenti memoria malorum excluditur. At proles principis illius, nescia periculorum, erigit animum altius, incipitque spectare potentiam, opulentiamque majorem, conversaque ad injurias, & rapinas amittit populi voluntatem, violentiaque sua multitudinem adeo exulcerat, ut primores civitatis nacti occasionem publici odii, adnitentibus ceteris gubernacula civitatis arripiant. Et dum populus favet iis, quorum opera libertatem repetiit, imperium a tyrannide devolvitur ad optimates. Quorum filii fastidio quodam rerum secundarum, longaque dominatione tumescentes, omniaque sibi attrahentes, contemnunt populum, & dum inopes a divitibus, imbecilles a validioribus, ac simplices ab astutioribus premuntur, fit regi-

regimen paucorum, quod fuerat optimatum. Vnde multitudo praesentibus injuriis exasperata, & memoria dominationis illius, qui ante optimates regebat, exterrita, regimen sibi prae se fumit, communique omnium consilio res moderatur. Defluente vero memoria malorum, & sublatis e vita prudentioribus illis, & senioribus, posteri periculorum ignari, spreta juris aequalitate, inter se de potentia, honoribusque contendunt, suffragia multitudinis largitionibus, donisque captantes, atque ab avita modestia, & sobrietate ad compotationes, epulasque traducentes plebem, quae gulae lasciviaeque dedita suffragium, gratiamque suam a meritis transfert ad opes. At cum potentiores illi satiandae plebi sua patrimonia exhauserint: postremo cum universa factione sua convertuntur ad praedam; unde factionibus, & seditionibus respublica laceratur: ut alicui ex principibus factionum sit occumbendum: ex quibus qui superaverit remotis impedimentis occupat omnia. Itaque respublica, quae ab uno venerat ad plures, a pluribus denique refertur ad unum, quas vicissitudines initio libri tertii distinctius explicabimus, idque evenit propter satietatem praesentium, & absentium cupiditatem: ac propter oblivionem malorum veterum, atque ignorationem imminentium periculorum. Hinc sensim status quilibet civitatis inclinat, ac semper in deterius ruit: unde Horatius:

Aetas

Aetas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Quamvis enim arceatur vis externa, tamen ut ferrum rubigine, lignum blattis, & tineis exeditur: ita respublicae intestinis malorum seminibus, & cognatis vitiis denique subruuntur. Fundatae sunt enim in moribus hominum, qui vitium ab origine sua contraxerunt: ut non mirum si opus quodlibet humanum concipiat morbum auctoris sui: quod agnovisse videntur Persarum primores apud Herodotum, (a) cum de abolenda monarchia consultarent; ajunt enim ἐγγίνεται μὲν γάρ οἱ (ἀνθρώπῳ) ὕβρις ὑπὸ τῶν παρεόντων ἀγαθῶν φθόνος δὲ ἐξ ἀρχῆθεν ἐνεμφύεται ἀνθρώπῳ.

(a) *Lib. 3. pag. 220.*

XXI. De Variarvm Regionvm Legibvs, et earvm Origine.

Suprema vero potestas, sive in optimatibus, sive in principe, sive pro sua cujusque portione consistat in omnibus, explicatur per magistratus, & judices, adhibitis in consilium Jurisconsultis, qui sunt legum voces, & juris custodes, atque justitiae sacerdotes. Hanc autem universam rationem publicae tranquillitatis prudentissimi legum latores, ut populorum natura ferebat, formarunt, atque flexerunt, & ad suos cujusque regionis, & temporis mores derivarunt. Hinc quamvis unam omnibus honestatis informationem natura dedisset, vultu tamen, ac specie minime apud omnes exprimitur eadem, ac diversae populorum, & discrepantes sunt inter se leges; quoniam non iisdem ex fontibus suam omnes ducunt utilitatem: cumque unum sit opus uni-

Digitized by Google

universorum, singularum tamen urbium regimen pro temporum, & morum varietate distinguitur. Sane Judaeis, quem sibi populum Deus olim habuit eximium, lex divinis promta fuit oraculis, eorumque regimen ipsius divinitatis voce constitutum: unde recte Josephus Judaeorum rempublicam Θεοκρατίαν, sive divinum regimen appellavit. Aliarum gentium, & Romanorum leges, ad quas descendemus, ex humano profluxere consilio. Omnium autem principem leges dedisse ferunt (a) Ceterem in majorum Deorum numerum, quos Cabiros vocabant, ab AEgyptiis relatam; quorum simulacra Deorum nemini, nisi sacerdotibus, adeunda, Cambyses post longam ejus superstitionis derisionem incendit (b). Ea sacra Erictheus AEgyptius, Athenas, ubi magna erat rei frumentariae penuria, comparato frumento transtulit, (c) eoque beneficio meruit, ut regnum ei deferretur, ac in Eleusi sacrum Cereri solenne institueretur. Sunt qui legum institutionem tribuant Onomacrito, de quo haec ab Aristotele traduntur (d): Περὶ ὧν τινες καὶ συμβαίνειν ὡς Ὀνομακρίτου μὲν γενομένου πρώτου δεινοῦ περὶ νομοθεσίαν. Alii primas leges ducunt a Rhadamanto (e) Lyciae rege, hoc nomen adepto, quod apud Rhodum ab Ilienſibus fuerit institutus: isque ob insigne studium justitiae, quo in vita tenebatur, fingitur apud inferos mortuorum culpas aestimare. Persis Zoroastrum leges tradidisse complures existimarunt, ac eum esse censuerunt antiquissimum. Cum autem de illius

(a) Plin. *hist. lib. 7. cap. 56.*

(b) Herodot. *lib. 3.*

(c) Diod. Sicul. *lib. 5.*

(d) *Politic. lib. 2.*

(e) Plin. *lib. 7. cap. 56.*

lius aetate summopere contenderetur; ac a Xantho Lydio sexcentum annos (a) a Zoroastro ad Xersem, ab Hermodoro Platonico annorum quinque millia fluxisse a Zoroastro ad excidium Trojae crederetur; duo ab aliquibus positi fuere Zoroastri, cum testimonia scriptorum frequentiora sint de illo Astronomiae peritissimo, quem Persae recentiores Hystaspis Darii regis patris aequalem faciunt: a quo Hystaspe Magorum doctrinam enatam esse Darius filius in patris monumento inscribendum curavit. Ceterum Apulejus Zoroastrum constituit sub imperio Cambysis, cujus inter captivos Pythagoras, ut idem Apulejus tradit, doctores habuit Persarum Magos, ac praecipue Zoroastrum. AEgyptii ab utroque Mercurio leges acceperunt; ab eo scilicet, de quo (b) Cicero tradit *AEgyptios non leges modo, sed & literas accepisse*, quem Theut appellabant, quemque posteriores rerum AEgyptiarum scriptores antiquissimum faciunt, (c) & ab eo quem Moori regi successisse Marshamus ex syncello colligit. Atque ille cum prioris Mercurii artes coluit, & confirmavit, libris que quadraginta duobus humana, divinaque omnia comprehendit; tum vel priores restituit leges, vel condidit novas. (d) Atque huic vulgo adsignatur commentitius, ac male sartus ille Pimander. Porro ante pastorum colluviem, quae se in AEgyptum profudit, jus in tribus majoribus regionis illius urbibus reddebatur Thebis scilicet Memphi, & Heliopoli, quam a pastorum dominatione liberatam, Amosis, qui re-

(a) Diog. Laërt. *procem.*

(b) *de nat. Deorum lib. 3.*

(c) Marsham. *saecul. 2.*

(d) Clemens Alex. Strom. *lib. 6.*

Digitized by Google

regum AEgyptiorum primus Heliopoli praefuit, legibus munivit, & tribunal constituit ex triginta judicibus, quorum denos civitatum singulae dabant, de quibus unus ceteris, & auctoritate in consiliis, & gratia apud regem, & dignitatis insignibus praecellebat: etenim e collo catena suspensam aurea gerebat veritatis imaginem gemmis ornatam, (a) cunctisque judicibus in consilio leges omnes octo descriptae libris proponebantur. Horum leges, & instituta Pythagoras transtulit ad Crotoniatas. Hinc e magna Graecia, ubi divinae ille locavit, ac humanae fundamenta sapientiae facta sunt civilis doctrinae, jurisque divortia, legesque ab ejus discipulis ad finitimos populos traductae fuerunt e Pythagorica schola: quorum celeberrimi sunt duo Charondas, (quem plerique Thuriis leges tulisse volunt,) & Zaleucus, qui Locrorum regimen constituit: &, ambo sanxerunt, ut qui leges proponerent novas, capite plecterentur; nisi legibus suis universorum civium utilitati consulerent, ac Zaleuco non mortuo tantum, sed & vivo, atque videnti cives mactarunt victimas, & oraculi jussu divinos honores habuerunt; sicuti Scythae Zamolxi eorum legislatori, Pythagorae servo, qui dominum in AEgypti peregrinatione se uutus, quos inde abripuit ritus, & instituta transtulit ad suos. Tarentinis Architas leges condidit, Parmenides, & Zeno Eleatis. His consimiles legislatores prodierunt Eudoxus, a quo Gnidii, Andromadus Rheginus, a quo Chalcidenses, qui sunt in Thra-

(a) Diod. Siculus. lib. 1. p. 48

Digitized by Google

cia. Verum legumlatorum omnium celeberrimi, & prudentissimi fuere Phoroneus Inachi filius, Graecorum regum antiquissimus, a quo exuti feritate, & in urbem coacti, & legibus fuerunt instituti, atque educati: Minos, Lycurgus, & cum Dracone Solon. Minos, (Gnossium intelligo, non eum, qui Apolloniae regnavit, ut ex Platone Strabo, & Valerius Max. colligunt,) nono quoque anno Jovis antrum subire solebat, unde prodiens decreta, & leges in eo secessu conditas Jovis nomine proponebat; unde Homero ἐννέωρος διὸς μεγάλα ὀαριστὴς dicitur, & Platoni in Minori: Φοιτῆσαι εἰς τὸ ἄντρον τοῦ Διός. Lycurgus in Cretam profectus Minoris instituta cognovit, & eorum multa in suas transtulit leges, quas Lacedaemoniis promulgavit, ac ne suum ei numen deesset, eas Apollini adsignavit. Quas leges utpote non tam ad urbanitatem, quam ad militum ferociam institutas, Plato, & Aristoteles agrestes censuerunt, & asperas. Athenae vero, qua ex urbe omnis fluxit humanitas, & morum, atque sermonis elegantia, post ejectos reges, diuturnis jactatae seditionibus, nec dum firmis radicibus in populari statu constitutae, ac praeter paucas, quas tulerant reges nondum certis legibus illigatae accepernt eas a Dracone, qui auctoritate magis, quam legibus suis civibus imperavit. Siquidem jus ab eo conditum propter nimiam severitatem ad feritatem deflectebat ac minime congruebat humanae imbecillitati naturae, quam ille voluisse videtur extinguere, cum vel minima crimina maximis exaequa-

aequaret. Quas leges ipsa severitas relaxavit. Cum etenim vel leviter errantibus poenam capitis minarentur, levibus autem erroribus vel sapientissimi sint obnoxii; nemo tuebatur id, quod omnibus erat aeque formidandum: ideo per se concidit, quod neque populi, neque ullius magistratus auctoritate fulciebatur. Quippe malum Draco non tam ex magnitudine facinoris, quam ex vitiato peccantium animo aestimabat, ac ex omni vitio quodlibet maleficium, oblata facultate, putabat erupturum, quae fuit ratio Stoicorum. Quaerenti autem cuidam, cur omnibus delictis capitale supplicium statuisset, respondit: se delictorum vel minimum morte dignum judicare; ad maxima vero nullam poenam invenire morte majorem - τὰ μὲν μικρὰ ἀδικήματα θανάτῳ ἄξια νομίζειν· τοῖς δὲ μεγάλοις οὐκ ἔχειν μείζονα ζημίαν. Hinc & otium poena obstrinxit exemplo forsan AEgyptiorum, a quibus Solonem hanc transtulisse leges in suas, Herodotus tradit: nempe ut singuli suum vivendi genus apud magistratus profiterentur; cum legem Pollux *de otiosis* Draconi tribuat, qui ante Solonem leges tulit, ac a Solone otii tertio damnatum infamiae puniri scribat. Certe Solon Areopago negotium dedit, ut viderent quod quisque vivendi genus instituisset, & in eos, quos otiosos offendissent, animadverterent. Theophrastus vero τὸν τῆς ἀργίας νόμον *legem de otiosis* Pisistrato adsignat. Ceterum propter earum severitatem Draconis leges natae dicebantur a sanguine. Quas tandem novis conditis

ditis legibus abrogavit Solon, postquam ab Athenienſibus archon non ſorte, ſed ſponte fuit conſtitutus. Isque, cum rempublicam (a) accepiſſet inteſtino morbo laborantem, & adhuc veterum ſeditionum reliquiis periclitantem, relictis magiſtratibus penes divites, in quibus antea conſtiterant, cenſum civium egit, ordines deſcripſit, & pro tributa ſibi a populo poteſtate magiſtratus, conciones, judicia, curias, numero, tempore, munereque diſtinxit, juraque cum privata, tum publica ſuis legibus definivit, & Senatum Areopageticum graviſſimum illum, & pervetuſtum conſtituit ex iis, qui annuum magiſtratum geſſerant, atque novem Archontibus, qui antea ſunumi judices erant, nihil reliquit, praeter examen reorum. (b) Senatum praeterea decretis ante comitia populi faciendis conſtituit e quatuor tribuum centenis, ut plebem ob remiſſum aes alienum ferocientem comprimeret. Vtque Ariſtotelis teſtimonio concludam, *Solonem*, ait ille, *Senatum, & magiſtratuum electionem priſtinam minime ſuſtuliſſe; ſed omnibus judicandi poteſtate tributa, populi tenuiſſe voluntatem.* Itaque miſtum regimen inſtituit, quod deinde converſum eſt ad popularem ſtatum. Solon autem ſuas a Draconis legibus non re ſolum, ſed vocabulo quoque diſcrevit: appellatae namque ſunt Draconis leges θεσμοὶ, ſive ſanctiones (c) vel ut ab aliis exponitur inſtituta; Solonis vero νόμοι, ſive leges. Eamdem rempublicam poſtea Piſiſtratidarum tyrannide diſſolutam, iis expulſis, & novis additis legi-

(a) Plutarch. in Solon.

(b) Suid. verbo ἄξονες

(c) Aelian. Var. hiſt. lib. 8. cap. 10.

Digitized by Google

legibus composuit Clisthenes, & secundum hunc leges aliae conditae sunt Aristophane, Diocle, aliisque rogantibus; aliae a Demetrio Phaleraeo, cum rerum potiretur Athenis. Primis autem legum Atticarum auctoribus adjicit Suidas Aeschylum, Thaletem. Ex Athenienſium autem legibus magnam partem manavit jus Romanorum, in quo versamur; quamvis non translatio, sed suo proprio, ac peculiari jure Vrbs fuerit usa sub regibus, a quibus de sacris, & de publico, privatoque jure latae sunt leges: nempe a Romulo, Numa & servio Tullio. Quorum primus naturae jus extulit, ac educationis liberorum, matrimonii & parentum jura stabilivit; alter jus gentium expressit, ac de homicidiis, de bonae fidei contractibus, de sepultura leges aliquot promulgavit, praeter ritus, & caeremonias, & sacrorum religionem, quae fere omnis ab ejus institutione profluxit; postremus majorem operam ad jus civile contulit, & de contractibus, ac delictis quinquaginta rogavit leges: (a) item, & de foenore, de nexis, & de aere alieno. Quae omnia in unum volumen contulit Sext. Papyr. unde jus Papyrianum, de quo librum conscripsisse Granium Flaccum auctor est Paullus jurisconsultus (b). Quod jus exactis regibus exolevit. Immo lege Terentia fuisse abrogatum Hottomannus (c) ex Pomponio scribit. Josephus vero scaliger putat leges regias minime fuisse sublatas, sed conjectas in tres priores XII. Tab. in quam conjecturam auctoritate tuetur Livii. (d) *Foedera*, (inquit,) & *leges*

(a) Dion. Halicarn. *lib. 4.*

(b) *l. 144. ff. de verb. signif.*

(c) *obs. l. 1. c. 1.*

(d) *Lib. 6.*

Digitized by Google

leges (erant aereae XII. Tabulae & quaedam regiae leges,) conquiri, quae comparerent jusserunt. Hinc Caroli Sigonii judicium probo, qui L. Bruto trib. ceterum ferente, censet eas tantum sublatas, quae ad regiam dominationem stabiliendam pertinebant.

XXII. FRAGMENTA ALIQVOT LEGVM REGIARVM, SIVE JURIS PAPYRIANI.

Sane regias inter leges ab eruditis multa Romanae disciplinae capita collocantur, quae potius ad mores pertinent, e regum exemplo ductos: eorumque auctoritate institutos, quam ad leges: veluti rerum agendarum initium ex auspiciis captum, discretio senatus a plebe, rejectio inanium fabularum, quae de Diis vulgo ferebantur, & similia per Balduinum in legum formam redacta, quae merito praetermittenda censemus; Nam ex illis, quae ad jurisprudentiam scitu necessaria fuerint, loco suo disposuimus: quae vero ex integro sunt conficta relatu indigna reputamus, non minus enim meo judicio profuerit excussisse falsa quam extuliisse vera. Quarum igitur legum regiarum, praeter eas, quas in XII. Tab. contulimus, certiora vestigia supersunt, haec sunt, quae modo subjiciemus. Primum locum dabimus legi, quae injurias filiorum erga parentes vindicat, quaeque jubet, ut puer, qui parentem, aut nurus quae socerum verberasset, sacer sit, sive devoveatur Diis parentum, ut iis tamquam hostia mactari possit, cujus legis haec sunt verba ex emendatione Scaligeri: (a)

(a) *apud* Festum *in verbo* plorassit.

Sei

Sei parentem puer verberit, aſt oloë plorassit, puer diveis parentum sacer esto.

Sei mitus sacra diveis parentum esto.

Sei) veteres scribebant pro *si* graeca diphthongo, ut sit *i* pinguius.

Verberit) pro *verberet*, ut *edim, edis, edit* pro *edam, edas, edat* antique.

Oloë) una *l olli, illi*, de quibus antiquis dicendi generibus passim libro praesenti.

Haec autem lex adscribitur vel Romulo a pluribus, vel Tatio, vel Servio; sequens adscribitur Numae, quae vetat hominem fulmine ictum attolli humo, jubetque, ut defossa terra ibidem, ubi cecidit sine rogo, sine ullo funere condatur: quo spectat Plinius. (a) Neque ulli ea membra colligere licebat praeterquam Aruspicibus: ut indicat Seneca, (b) cum neminem, ne regem quidem tutum a fulminibus dicat, atque ideo scribat: *Ecquis regum erit tutus, cujus non membra Aruspices colligant?* Legem autem, quae apud Festum (c) invenitur ita restituit Scaliger:

(a) *Lib. 2. c. 54.*

(b) *Lib. 1. de de clemens.*

(c) *in verbo occisum.*

Sei hominem fulmin Jobis occisit, em supra genua tollito: homo sei fulmine occisus esit, ei justa nulla fieri oporteto.

Fulmin) pro *fulmen*; sed ego malim cum Lipsio *fulminis*, qui apud veteres rectus erat casus; olim enim in tertia declinatione eadem erat

primi, & secundi casus terminatio in is. Eum autem olim pro *eum*, ut fusius infra.

Jobis) pro *Jovis* sumta ob affinem sonum B pro *V*. Alia lex adscribitur Numae de homicidiis, quae recensetur inter leges XII. Tabul.

Alia lex fuit de mulieribus, quae miscentur alienis viris, quas antiqui pellices appellabant, quasque conjugalibus aliorum cubilibus arcebat Numa jubens, ut quae hoc in se probrum admisisset crinibus demissis, quod luctus erat, atque moestitiae signum, caederet Junoni agnum foeminam: etenim *agnus* utrumque olim genus complectebatur, usus autem fuit Numa in ea lege tropica locutione, fortasse ut actus inhonestus, honesta verborum figura tegeretur, cumque vetare voluerit, ne foemina viri alieni concubitum appeteret, scripsit, *ne aram Junonis tangeret*: ut optime meo judicio Baevaidius (a) interpretatur; per aram enim Junonis maritalem lectum significari propius vero apparet. Haec igitur legis verba traduntur a Festo: (b)

(a) de antiq. prudent. c. 1.

(b) Verbo pellices.

Pellex aram Junonis ne tangito; si tanget Junoni crinibus demissis agnum foeminam caedito.

quem sensum a Raevardo erutum tribuere huic legi videtur ipse Festus cum ait: *Antiqui eam proprie pellicem nominabant, quae uxorem habenti nubebat*; cui generi mulierum etiam poena constituta est a Numa hac lege; (c) nec alite

(c) Gell. l. 4. l. 3. l. 144. ff. V. S.

vide-

videtur hanc legem accepisse Cujacius. (a) Habemus & Numae legem militarem de spoliis, quae ipsemet, belli dux hostium duci a se caeso detraxerit, quae *opima spolia* veteres appellabant, cujusmodi pauca admodum ex veteri memoria proferuntur. Quam appellationem Varro tribuebat etiam spoliis hostium duci detractis a manipulari milite, ut Festus testatur. Statuit autem lex templum, quo inferri debebant optima spolia, & sacrificia, quae Diis offerri ob eam causam oportebat, & praemium, quod victor ex ea caede merebatur. Itaque prima spolia destinat Jovi Feretrio, imperatque hostias majores, nempe bovem, qui Jovi Deorum maximo a veteribus immolabatur; & victori ducenta aeris attribuit. Secunda spolia Marti destinat cum solitaurilibus, quo verbo simul significantur tauri, arietes, verres, cum integro corpore, hoc est cum tota lana, non tonsi non castrati: etenim ut ex Martiale colligit Joh. Scaliger ad Fest. in verbo *solitaurilia*, verres, aries, taurus, cum admovebantur arae mola mactati, priusquam corio exuerentur, castrabantur. *Sollum* enim olea lingua significabat *solidum totum*. (b) Quoniam autem majora erant taurus, minora aries, aut verres; Lex utraque sive majora, sive minora quis voluerit, immolari permittit. Tertia spolia destinat Jano Quirino, simul cum agno mare victoriique praemium constituit centum aeris, quae sententia comprehenditur hisce antiquae legis verbis ab eruditis aliis, & postremo a Scaligero restitutis: (c)

(a) *l. 144. ff. eod.*

(b) *Festus in verbo solitaurilia, ubi Scalig. & Jul. ejus pater de causis linguae lat. lib. 4. c. 89.*

(c) *in Fest. verb. optima.*

Quojus auſpicio claſſe procinctâ opima ſpolia capiuntur Jovei Feretrio bovem caedito, quæi cepit aeris ducenta darier oporteto.

Secunda ſpolia in Martis aram in campo ſolitaurilia utra voluerit caedito. Tertia ſpolia Jano Quirino agnum marem caedito centum quaei ceperit ex aere dato.

Sequitur ejusdem regis lex ad ſacrificia pertinens, & quoniam is voluit, ut crebro, & abunde Diis ſacrificaretur & ſolennia convivia celebrarentur in eorum honorem; removet a ſacris id, quod gravi ſumtu comparabatur, cujusque rara eſſe poterat oblatio, veluti piſces ſine ſquamis, qui maritimis in regionibus rariores multo ſunt ſquamoſis, quibus capiundis mare latiſſime patet. Ideo vetuit piſces ſine ſquama Diis polluceri, quod Varro explicat *porrigi*, ſive pro libaminibus Divis offerri. Verbum enim erat proprium mercatorum, quando mercium primitias Diis offerrebant. Vnde *pollu&tum* dicebatur convivium in Deorum honorem paratum: quod quia extruebatur magnifice; hinc *pollu&tum*, *pollu&e*, *pollucibiliter*, & *pollucibile* verba erant magnificentiae, & Largitatis. (*a*) Piſces autem ſquamoſos omnes offerri per legem licuit praeter ſcarum, ob raritatem, de qua Horatius (*b*) eſt teſtis.

(a) Voſſ. etymo. verbo pollucto.

(b) Serm. 2. Sat. 2.

Hec

Digitized by Google

Haec ſcari, aut poterit peregrina juvare lagois
& alibi:
Non me lucrina moverint conchilia
Magisve rhombus, aut ſcari,
Si quos eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare.

Atque is legis ſenſus patet ex Caſſio Hemina, cujus verba extant apud Plinium (a) ſimul cum lege ipſa ita per Scaligerum reſtituta. (b)

(a) *Lib. 32. c. 2.*
(b) *ad Feſtum in verb.* pollucere.

Piſces quei ſquamoſei non ſunt, nei polluceto, ſquamoſos omneis praeter Scarum polluceto.

Parſimoniae quoque ſtudio lege ſua Numa vetuit, ne in funeribus rogus vino reſpergeretur.

Vino rogum ne reſpergito: de qua inferius. Idem Numa, qui diſciplina ſacrorum, & Deorum cultu munivit rem publicam, agros etiam religione circumdedit; & metu Deorum Terminalium, firmiori nempe ſepe cinxit, quorum in cuſtodia fines agrorum eſſe cenſebantur: ideo juſſit, ut qui terminum exaraſſet, ſive transtuliſſet, quo fines agrorum conturbarentur, ſacer eſſet Diis Terminalibus, ſive ea conditione eſſet, ut impune ſimul cum ſuis bobus poſſet occidi, tamquam victima Diis caedenda Terminalibus, cujus legis haec verba retulit Feſtus: (c)

(c) *Verbo termino ubi Scal.*

Quei terminom exaraſſit, ipſus, & boveis ſacrei ſunto.

Refertur etiam ad leges regias illa, de qua meminit Marcellus: (d) ne mulier, quae praegnans mortua eſſet,

(d) *l. 2. ff. de mortuo inferendo.*

esset, humaretur, antequam ejus excinderetur partus.

XXIII. DE LEGIBUS XII. TABUL.

Verum quia instituta vetera, & quae de regio jure supererant, regendis, tractandisque negotiis recens in dies emergentibus minime sufficiebant; adeo ut res civiles potius arbitrii aequitate, quam certis ubique juris praeceptis definiretur; opus fuit augendi juris novarumque legum consilium inire. Nam crescente in dies numero civium, exundante negotiorum copia, & vi, atque injuria pro natura multitudinis aestuante; prudentiores nova morborum semina, novis opprimenda remediis censuerunt. Propterea, ut libro primo retulimus, missi tres legati fuerunt petitum leges, quas partim ex Athenienſibus, & Lacedaemoniis, partim ex Magnae Greciae urbibus civili Pythagoreorum philoſophia inſtituris, atque fundatis retulerunt. Ea tum enim Italiae pars pro naturali feracitate ingeniorum & ob illorum temporum culturam ceteris praeſtabat nationibus. Quo jure adducto, condendis inde Romanis legibus creati fuere, cum ſumma poteſtate, absque provocatione decem lii conſulares viri, quorum in nominibus diſcrepant ſcriptores, quosque nos ex Dionyſio, cui magis fidimus, referemus. Fuerunt autem Appius Claudius, T. Genutius, P. Sextius, T. Romilius, C. Julius, T. Veturius, & P. Horatius. Quibus cum acceſsiſſent iidem illi tres, qui Legati fuerant, P. Poſthumius, ſex. Sulpitius, A. Manlius, & decem virorum numerum compleſſent, evenit, ut Pomponius ſcriberet Decemviros fuiſſe in Graeciam

am missos: non ut numerum legatorum denarium, sed ut dignitatem decemviralem tribus hisce postea tributam significaret. Qui cum inter Decemviros fuissent, Decemviri vulgo a posteris appellabantur: quasi diceret legatos fuisse eos, qui postea fuere Decemviri. Quod alii minime animadvertentes, cum Pomponium vereantur, accusationem vertunt in Tribonianum, cui & legem hanc totam Pomponii aetate certe dignissimam adsignant, propter aliquos, in quos offendunt locos: quasi nemo falli queat, aut fallere nisi Tribonianus; qui morbus est familiaris omnium in jure criticorum, minime alioqui reputantium adeo incunabula rerum plena esse caliginis, ut tertio quoque verbo, cum eo deventum fuerit, inter se pugnent historiae. Decemviri autem illi, quamvis Romanae, ac civilis prudentiae satis compotes; quia tamen e graecis literis, & institutis leges erant eruendae, adhibuerunt in consilium Hermodorum Ephesium in Italia tum temporis exulantem, qui Romanis ejus legationis auctor fuerat: quemque plurimum ei negotio contribuisse, atque aliquas etiam leges Romanorum condidisse accepimus a Strabone. (a) Quo pertinet omen illud Heraclii, qui ad Hermodorum scribens, speciem sibi ait oblatam in somnis orbis terrarum universi vesterabundi, & ad illius leges, Persarum more, compositis ad osculum labiis procumbentis:

(a) lib. 14. Plin. lib. 4. cap. 5.

Ὅταν ἐδόκουν τοῖς σοῖς νόμοις τὰ πάντα πάσης, τῆς οἰκουμένης διάδηματα κρατοῦντες, κατὰ τὸ

ἔθος

τῶν Περσῶν ἐπλεόντας τὸ σῶμα πέρσικον αὐτὸς.

His autem tabulis publice propositis, facta unicuique objiciendi, & corrigendi potestate, posteaque omnium consensu probatis, ut corpus integrum Romani juris absolveretur, duas Decemviri adjecerunt, factoque S.Cto, captis auspiciis, accitis, Pontificibus, & Auguribus, Comitiis centuriatis, leges universi sciverunt. Quod jus ad omnium notitiam, & utilitatem aeneis incisum tabulis fuit, & in foro jussu populi collocatum. Mos hic incidendarum legum descendit a Corybantibus, qui columnis insculpere leges docuerunt, ut refert Theopompus. Solon (a) in ligneis incidit tabulis, quas ἄξονας, καὶ κύρβεις appellarunt: cum ante tabularum usum ediscerent populi leges, & frequenti cantu eas memoriae mandarent. Quamvis autem Pomponius XII. tabulas eboreas (quae lectio est florentini codicis,) sive, ut fortasse legendum est, roboreas fuisse scripserit; tamen id de iis accipiendum est tabulis, quae populo emendandae, non de iis, quae in perpetuum observandae propositae fuerunt, quae erant aereae; nisi vel Triboniano culpam tribuamus, vel Pomponium adversus omnium veterum auctoritatem locutum existimemus, id autem jus cum propter miram verborum proprietatem, atque brevitatem sane concinnam, tum propter summam aequitatem, atque prudentiam, rerumque pondus, & majestatem, atque omnium Philosophorum doctrinam gravitate superare putaba-

(a) *Vide* Petit. *ad LL. Attic. in princip.*

Digitized by Google

tabatur. Hae leges ordine vario locantur a recentioribus. Alii enim Hotthomannum secuti explicationem earum tribus summis capitibus concluserunt. Ac primo de jure sacro, deinde de jure publico, postremo de jure privato tractarunt. Alii, quos inter egregie Jacobus Gothofredus, antiquitatis vestigia prosequentes conjectura sua pristinum nobis XII. tabul. ordinem reddere studuerunt. Neutram nos harum divisionem repudiabimus; sed utrasque ad diversum scribendi consilium conferemus. Quo enim jus omne hoc priscum breviter, ac perspicue simul expediamus ex ordine materiarum, arte, ac ratione progredientes, ad eas revocabimus singulas leges, dum illas explicamus, atque Hotthomanni ordinem servabimus: ad extremum vero Gothofredi tabulas ex ordine ab eo ad vetus exemplar ex conjectura restitutum subjiciemus. Germana enim, & vera legum harum fragmenta producere in animum induximus: neglectis iis, quae potius ex interpretum ingenio, quam ex veterum fide monumentorum extiterunt. Ideo earum, quae mutilae supersunt, sententias adferemus: nec tamen omittemus exponere verba illa vetera, quae ad nos pervenerunt, quaeque Gothofredus, & eruditi interpretes alii distinxerunt a commentitiis, quae adjecta fuerant: ut e veris una, & supposititiis integer sensus earum colligeretur. Nam quas e Ciceronis libris de legibus in XII. tabul. retulerunt; non veras arbitramur, sed a Cicerone confictas exemplo legum Platonicarum:

Digitized by Google

quamvis multas legum decemviralium sententias propter aequitatem, quam continebant, ex intima philosophia ductam Cic. suis legibus comprehenderit.

XXIV. DE SCRIPTORIBVS AD HAS LEGES PRISCI; ET VARIIS HVJVS JVRIS APPELLATIONIBVS.

Scripsere autem ad has leges e veteribus Jurisconsultis sex AElius, (a) & M. Porcius Cato J. C. & Servius Sulpicius, quem XII. tabul. interpretem prodit Festus, & Antistius Labeo, de cujus commentariis mentio est apud Gellium, (b) & denique Cajus, cujus fragmenta e commentariis ad leges XII. tabularum in lectione Digestorum occurrunt. (c) Pluribus autem Appellationibus harum legum praestantia significatur. Eas enim Cicero (d) XII. simpliciter vocat, & Horatius *Tabulas peccare vetantes*, (e) & auctor ad Herennium *leges*, & alibi Horatius (f) *leges sanctas*, & Arnob. *scita decemviralia*, & Prudentius (g) *bis sex tabulas*, & Gellius (h) *legem decemviralem*, & J. Ctis nostris, atque Imperatoribus (i) dicuntur *jus vetus*, *jus priscum*, & Festo *Decemviri*, Ciceroni *majores*. Item J. Ctis (k) *veteres*, & *lex antiqua*, *jus antiquum*, *jus civile*, *jus antiquissimum*. Quas appellationes collegimus, ne notae ignorentur, quibus a veteribus jus XII. tabularum indicatur, quibusque & nos ubi occurret in cursu nostrae tractationis forsan utemur. Leges autem universas ad duo praecipue capita revocabimus: ad privatum scilicet jus, & ad publicum, sub quo & sacrum continetur. Et ab Hotthomanni ordine tantisper deflectentes, primo privatum, deinde publicum evolvemus. Ac veterem, & solennem juris

(a) *l. 2. §. 38. ff. de orig. juris.*
(b) *Lib. 1. cap. 12. lib. 7. cap. 15.*
(c) *Veluti L. ß sallustius cum seq. ff. de V. S.*
(d) *lib. 2. de legib.*
(e) *2. ep. 1.*
(f) *2. Satyr. 2.*
(g) *lib. 2. adv. Symach.*
(h) *lib. 20. cap. 1*
(i) *l. 1. ff. de petit. hered. l. unic. C. Theodos. de usu rei judic.*
(k) *l. 53. ff. V. S. l. 2. ff. de orig. jur. l. 29. §. 3. ff. de lib. & posth. §. 9. Instit. de hered. quae ab intest. deferuntur. novel. 22. cap. 3.*

Digitized by Google

juris conditorum divisionem amplectentes, primo juris privati, deinde juris publici seriem deducemus.

XXV. De Jure Patrio.

A jure autem patrio exordiamur: quod summi quodammodo est imperii simulacrum. Parenti sane in liberos potestatem tribuit ipsa natura. Etenim necessitudinis vinculo, & communione sanguinis filius cum patre, tamquam eventus cum suis initiis nectitur. Primordia enim filiorum in parentibus insunt: quorum filii sunt veluti ramus, quia parentum sanguine concipiuntur, ejusdemque aluntur opibus, & cura educantur. AEtas enim prima, ut AEschilus dicebat, alienae mentis indiget, ut educetur. Quamobrem potestas patria, uti rationabilis naturae dictatum, in mores omnium cultiorum gentium permanavit, constituitque inter homines veluti quoddam naturale regnum, quod apud Persas, & apud majores nostros transierat in tyrannidem. Refert enim Aristoteles (a) Persas usos fuisse liberis tamquam servis. Talisque liberorum erga patrem amor erat, & obsequium ut gloriarentur neminem fuisse repertum, qui patrem sponte occidisset: ac si qui forte tale facinus admisisset, spurium, aut suppositititium fuisse compertum. (b) Athenienſibus, etsi non quidlibet permitteretur in filios, tamen licebat eos abdicare, sive abalienare a se, ac familia sua, causa cognita, & crimine apud judices probato. (c) Moribus quoque receptum apud eos fuit vendere filios: quod temperavit Solon prohibens filiam, aut sororem, nisi in

(a) *lib. ethic. 8. cap. 10.*

(b) Herodot. *lib. 1. pag. 65.* Stobaeus *serm. 42.* Brisson. *de regn. Persic. lib. 2 pag. 198.*

(c) Demosth. *in* Bootum Lucian. *in abdicato.* Petit. *ad leg. Attic. lib. 1. tit. 4. §. 158.*

Digitized by Google

stupro deprehensam venundari. (a) Arbitrium etiam patris erat exponere infantem filium, quod colligimus ab exemplis comicorum eum morem respicientibus. (b) Et cum alendae prolis copiam non haberent, eam vendere fas erat etiam ex veteri Thebanorum lege ad alios populos post fortasse producta. (c) Veteres etiam Gallos refert Caesar in uxores, liberosque, vitae necisque potestatem habuisse. (d) Non dissimilis patestas fuit in filios Romanorum; apud quos, cum antea moribus exorientis Romae, barbaris illis quidem, & atrocibus coaluisset, deinde migravit in leges Romuli: proptereaque minime pugnat Vlpianus, qui eam adscribit moribus, cum Papiniano, (e) atque aliis, qui eamdem a legibus deducunt regiis: qua in dissentione componenda tantopere laboratur. Non est novum enim, ut mores adducantur in leges, quo aeternam accipiant firmitatem. Haec autem regia lex de potestate parentum translata fuit a Decemviris in quintam tabulam, (f) ut Dionysius refert, qui omnem hanc potestatem in ista dispertit, nempe *ut liceat parentibus loris caedere filios, carcere coërcere, in agros ad opera rustica vinctos amandare, venundare, denique interficere.* Eos vero abdicare, ac negare filios Romanis minime licebat: (g) sed tantum jubere, ut e conspectu patris abirent, ac discedentes a domo paterna jus in paterna bona minime amittebant; nisi exheredarentur. His armata juribus patria potestas, merito propria Romanorum, & civilis modo juris portio habebatur; cum vix apud alios hunc

(a) Plutarch. *in* Solon. *pag. 91.* Petit. *ibid. pag. 159.*

(b) Terent. *in* Heautont. *act. 4. sc. 1. &* Aristoph. *in ranis* Petit. *ibid. p. 144.*

(c) AElianus *lib. 2. hist.* Grot. *de jure bell. lib. 2. cap. 5.*

(d) *de bello Gallic. lib. 6. pag. 257. in edit. cum notis varior.*

(e) *apud auct. collat. legum Mosaic.*

(f) Dionys. *lib. 2. pag. 97.*

(g) *l. 9. C. de patria potest.*

Digitized by Google

hunc auctoritatis apicem attigisset: apud Romanos enim familiaris quodammodo erat magistratus in patre constitutus, cum jure gladii; propter quam auctoritatem a jure civili acceptam, patria potestas a JCtis propria dicitur civium Romanorum, nec enim eam obtinebat quis, nisi civitatem Romanam impetraret, quam si amitteret, potestatem patriam haud quaquam retinebat: quales erant ii, quibus aqua, & igni interdicebatur. Hinc jus patris a Livio (a) *paterna majestas* appellatur. Patri enim licebat in filios idem, quod in servos: qui hoc meliori conditione, quam filii erant, quod servus una tantum, filius vero nonnisi terna manumissione libertatem nanciscerétur. Liberatus vero filius hoc praestabat liberatis servis, quod hi libertini manebant, filius vero naturalem praeferebat ingenuitatem: quae tanti erat, ut vendendo filio nunquam perimeretur, sed tegeretur potius: ita ut manumissus filius eam, quam in se conditam habebat, veluti abruptis vinculis explicaret. Hinc ait Constantinus *non posse parentes eripere filiis libertatem.* (b) Quo igitur aliquando filius e potestate patris exiret, lex jussit, uti terna venditione liber esset: nec manumissus tertio ab emptore in potestatem patris denuo recideret; ut reciderat semel & iterum antea manumissus. Ne vero filio spes libertatis tamdiu protraheretur, ternaeque venditiones, & manumissiones ei essent expectandae, rationem veteres excogitarunt, qua & legis in speciem conservaretur auctoritas, & morae illae libertatis praecide-

(a) *lib. quarto.*

(b) *lib. 10. C. de patr. potest.*

Digitized by Google

eiderentur. (a) Itaque per simulatas venditiones ter filius a patre tradebatur emtori, uti ternas post venditiones liberaretur: hisque tribus venditionibus ad veritatis imaginem adhibitis, filius tertia denique manumissione assequebatur irrevocabilem libertatem. Hic autem actus dicebatur emancipatio; emtor vero pater fiduciarius appellabatur: quia filium ea fiducia naturali a patre accipiebat, ut manumitteret. Filia vero, & nepotes unica venditione, ac manumissione ad libertatem perveniebant. (b) Legem vero fertur tulisse Numa, (c) ne liceret patri vendere filium, cui uxorem ducere permisisset. Absurdum enim, arbitror, putavit fore, ut mulier nupta, se inopinante, atque invita servitutem subiret, in quam suus conjux per venditionem a patre traderetur, curavitque ne per hanc viam conjugia distraherentur, (d) sive ut eleganter ait J. Ctus *bene concordantia matrimonia jure Patriae potestatis turbentur*. Verum hanc paterni juris atrocitatem Romani remittere coeperunt post quam cognitio humaniorum studiorum, cultiorumque nationum usus rubiginem pristinam e moribus eorum excussit. Raro enim, ac parce admodum deinceps hac suprema potestate in filios utebantur: ut ad terrorem potius liberorum, quam ad liberam ejus exercitionem superfuisse videatur: cum Brutus ad Atticum scribat: *Dominum ne parentem quidem majores nostri voluerunt esse*. Ac Paulli J. Cti aetate, ne opinione

(a) *Instit. quib. mod. jus patr. potest. sol. §. praeterea.* Cajus *lib. 1. tit. 16. Instit. in §. item per emancip.* Vlp. *in fragm. tit. 10. in princ.*

(b) Vlp. *in fragm. tit. 10. in princ.*

(c) Dionys. *lib. 1.* Plutarch. *in Numa.*

(d) *l. 1. §. ult. ff. de lib. exhib.*

Digitized by Google

ne quidem hominum jus vitae, necisque in filios permanebat, cum scribat, (a) *licet filios exheredare, quos & occidere licebat.* Unde Adrianus in insulam deportavit eum, qui filium novercae adultum interfecerat, (b) atque adjecit J. Ctus *patriam potestatem in pietate debere, non atrocitate consistere.* Vnde recentioribus temporibus licebat sane patri filium castigare, sed si majori animadversione indigeret, illum tradere magistratui cogebatur afficiendum ea poena, qua ipsemet pater censuisset. (c) Ceterum Ciceronis etiam aevo ferociebat in filios patria potestas: narrat enim Sallustius, & Valerius Fulvium Senatoris filium retractum ex itinere, jussu patris occisum, quod adversus patriam inter Catilinarios conjurasset; (d) nec desunt apud Senecam, & alios alia recentioris aetatis exempla. (e) Exercebant enim parentes in filios domestica judicia, consultis plerumque necessariis, vel principibus, vel Senatoribus, autoribus, aut magistratibus: ut ante Adrianum, vel ut alii existimant Diocletianum, temporatum quidem jus necandi filios fuerit; funditus vero minime sublatum, sed meo judicio jam cessaverat ante Diocletianum; cum ante illum etiam venditio filiorum interdicta fuisset: ut ex suae constitutionis verbis intelligitur. (f) Verum quia parentes ob inopiam filios exponebant, & commovendae misericordiae praetereuntibus misere objiciebant; potestatem parentibus egenis filios ven-

(a) *leg. 11. ff. de lib. & posth.*

(b) *l. Divus 5. ff. ad l. Pomp. de parricid.*

(c) *l. 3. C. de patria potest.*

(d) Sallust. *in* Catil. *cap. 39.* Valer Max. *lib. 5 cap. 8. n. 5.*

(e) Senec. *de Clem. lib. 1. cap. 15. & 14.* Dio. *lib. 37.* Suetonius *in* Claud.

(f) *l. 8. C. de patrit. qui fil. distrax.*

Digitized by Google

vendendi fecit Constantinus, ut emtoris dominio subesſent, donec reddito precio aliove mancipio, vel a patre, vel alio quovis liberaretur. (a) Sed jam leges ipsas XII. tabularum, quibus patria potestas comprehenditur producamus, quales Jacobus restituit Gothofredus.

(a) *l. 2. C. de patr. qui fil. distrax. & C. de infantib. exposit. ubi* Cujac.

Endo liberis justis, jus vitae, necis, venumdandique potestas patri esto.

Si pater filium ter venumduit, filius a patre liber esto.

Endo) veteres dicebant pro *in*, & Duit pro *dederit*. *Justi* autem filii sunt legitimi, sive susceptι ex justis nuptiis: *justum* enim dicitur quidquid a lege habet auctoritatem.

XXVI. De Jvre Tvtorvm.

Potestas haec minime per mortem patris extinguitur; sed eo decedente aliquatenus producitur, vel ex testamento patris ipsius, vel imperio legis ad tuendum filium superstitem, qui se per aetatem defendere nequeat. Eaque patriae potestatis imago, quae post parentis mortem supereſt, tutela nuncupatur. Quae legibus plurimum gentium, ac praecipue Athenienſium institυta migravit etiam in Romanas, ante conditas XII. tabulas. Etenim Aneus Marcius Lucium Tarquinium filiis tutorem dedit. Haec deinde potestas redacta in eam XII. tabularum fuit, qua testandi facultas permittebatur. At si nullum patris testamentum extitisset, vel

Digitized by Google

vel in eo tutelae mentio nulla fuisset, lex patris vicem subibat, & tutelam ad eos agnatos deferebat, qui legitimam ad successionem vocarentur. AEquum enim Decemviri censuerunt, ut ad quos lucrum successionis pervenire poterat, ad eosdem onus tutelae dirigeretur; ideoque successionem cum tutela conjunxerunt: maxime quia major bonorum custodia speraretur ab iis, ad quos possent aliquando eadem bona transire. Quae cogitatio tanti apud Solonem non fuit, ut objicere vitam pupilli voluerit insidiis eorum, qui eo mortuo ad illius bona vocabantur: forte quia non eadem, quae apud Romanos, erat apud Athenienses morum honestas: ideo removit consanguineos, & agnatos a cura pupillorum, ob eam ipsam rationem, quia legitimi essent successores. Hinc Archontibus negotium dabatur inveniendi cui pupillum regendum darent. (a) Eodemque consilio, & Charondas paternis consanguineis successionem tradidit, & bonorum administrationem; maternis vero pueri educationem, ut omne periculum sublata spe successionis a vita pupillorum amoveretur, (b) & bona cautius administrarentur ab iis, ad quos possent aliquando deferri. Plato vero utrosque conjunxit proximos scilicet ex parte patris duos; & ex parte matris totidem; ut invicem sese observarent, atque ita alteri ab alteris pupillum tutum praestarent: quibus adjecit unum ex defuncti amicis, qui tamquam arbiter praeesset omnibus. Atque ita securitatem pupilli cum tutorum successione copulavit;

(a) Pollux. l. 8. Petit. ad leg. Attic. l. 6. tit. 7.

(b) Diodor. Sicul. Biblioth. l. 12 pap. 81. Balduin. c. 38. ad leg. XII. tabul.

lavit; Romanorum, quos ignorabat, & Charondae simul prudentiam amplexus. (a) Quamvis autem Alcibiades tutores habuerit propinquos, nempe Periclem, & Ariphontem, (b) nescimus tamen an ex lege dati fuerint; neque vero arbitror agnatos omnes a tutela remotos, sed eos tantum, qui proximiores essent ad successionem: ut necesse non sit assentiri Balduino, qui hoc ab exemplo legem hanc Romanorum ad Atticas revocavit. (c) Et quoniam familiarum conservandarum causa leges XII. tabul. seclusis cognatis, sive conjunctis ex materno latere ad hereditatem vocabant agnatos, sive conjunctos ex latere paterno; (d) ideo agnatis primo loco tutela defertur, deinde gentilibus, ad quos olim post agnatos, ut infra demonstrabimus, legitima hereditas devolvebatur; (e) qui autem gentiles fuerint respondit ut explicemus. Initio condendae Vrbis tantum patricii gentiles habebant, cum ii tantum potuissent ostendere genus suum, utpote certo e patre descendentes, plebei vero minime, utpote patre incerto, e fugitivis, exulibus terraeque filiis raptim, ac temere collecti; Vnde tantum eorum filii gentiles habere coeperunt parentum nomina capientes; hinc apud Ciceronem *gentiles a Scaevola definiuntur ii, qui eodem inter se nomine sunt, quorum nemo servitutem servivit, nec capite diminutus sit.* Hinc apud Livium Decii haec adversus patricios, *Semper ista audita sunt eadem vos solos gentem habere.* (f) Gens igitur, sive genus nomine significabatur; praenomine vero notabatur homo ille,

(a) *lib. II. de legib.*
(b) Plutarch. *in Alcibiad.*
(c) Balduin. *ad leg. XII. Tab. cap. 38.*
(d) *Instit. Tit. de SCto Tertull. in princ. & de legit. agn. succes. §. ceterum l. pronunciatio. 195. ff. V. S.*
(e) Vlp. *apud Collat. leg. Mosaic. tit. ult.*
(f) *Vide* Sigon *de antiq. jur. civium Rom. lib. p. c. 7. Haec Scaevolae verba ex topic. Cic.*

Digitized by Google

ille, qui ea de gente oriretur; veluti in hac appelatione *Lucius Cornelius Scipio*. *Cornelius* nomen est gentis, ex qua plures familiae fluxerunt, nempe *Scipio*, *Lentulus*, *Dolabella*, qui quia gentiles erant, & ab una gente Cornelia proficiscentes; Cornelium omnes nomen gentilitium praeferebant. *Lucius* autem nomen erat proprium hominis, hinc agnatorum jus, & gentilitium. Agnatorum jure potiebantur ii, qui eadem de familia proficiscerentur, veluti Scipiones omnes; jure vero gentilitio gaudebant omnes *Corneliae* gentis familiae, nempe *Scipiones*, *Lentuli*, Dolabellae. Vnde tutela legitima *Lentulorum* primo ad Lentulos alios veniebat; postea vero deficientibus lentulis ad alios ex gente Cornelia, puta vel ad Dolabellas, vel Scipiones, vel alios ex aliis familiis, qui essent pupillo proximiores. Sunt igitur gentiles cognomines, ejusdem nempe nominis tantum, non familiae: propterea Marcus Tullius in libris de legibus gentilem se fert Tullii regis: idemque quos Plato vocat ὁμωνύμους gentiles interpretatur. (a) De libertorum vero tutela, quamvis nihil XII. Tabul. verbis caveatur; tamen fida earum interpretatio detulit eam ad patronos, qui & ad liberti vocantur legitimam hereditatem. Tutela igitur potestas est, quae ad pupilli bona, & praecipue ad personam dirigitur, cui proxima est potestas alia tenuior, quae ad bona tantum extenditur. Vnde non tutela, sed curatio dicitur, & patrimonio praeficitur non moribus qualis est cura minorum XXV. annis, quae de praetoris

ita legit Gothofredus *lib. de XII. Tab. p. 205.* Gentiles sunt, qui ab ingenuis oriundi sunt, quorum majorum nemo servitutem servivit, qui capite non sunt minuti.

(a) *Vide* Cujac. *l. saepe 53. ff. V. S. sive ad l. 59.* Paulli *ad edict.*

toris edicto processit. Est etiam cura alia furiosorum, & prodigorum, quae de XII. Tabul. legibus proficiscitur ad exemplum institutа juris Attici, ex quo licebat filio patrem senio desipientem in judicium vocare, ut non modo ab re familiari amoveretur, verum etiam desipere convictus in vincula duceretur. Quod judicium summa cum gloria declinavit Sophocles, cum allato ad judices Oedipo Colonaeo, quem recens absolverat, ostendit non se, qui confecta aetate adeo cogitando valeret, sed filios, qui eum accusaverant mentis errore jactari. Prodidigi quoque luxurioše viventes nempe asoti, atticis legibus judicio subjiciebantur, eoque nomine damnabantur infamia, ut foro, & concionibus averterentur. (*b*) At Romae ante XII. Tabul. utrumque genus hominum furiosi scilicet, & prodigi traditi agnatorum, & gentilium custodiae bonorum administratione privabantur (*c*) non tam lege, quam moribus, qui deinde in decemvirales leges concesserunt. Hinc in libris juris modo moribus, modo XII. Tabul. legibus hoc adscribitur: (*d*) quia vero tam furiosus, quam prodigus ob inopiam consilii rem suam deterunt atque diffunditant; sub uno eodemque XII. Tabul. capite ob concinnam earum brevitatem utramque interdictionem comprehensam cum Jacobo Gothofredo existimamus, (*e*) De furiosis autem lex XII. Tabul. nominatim cavit, quia furor, ut ait Cicero, est mentis ad omnia coecitas, ac major quam insania, quae insania minor est furore, quia tueri potest offici-

(a) Cic. *de senectute.*

(b) Athenae. Deipnosoph. *lib. 4* Aeshil. *in Timach.*

(c) Cic. *lib. 3. Tuscul. quaest. & lib. 2. de invent.* Herenn. *Inst. de Curat. §. furios.*

(d) *l. 1. ff. de curat. furios.* Cujac. *lib. 3. sent. Paul. tit. 4.*

(e) *in notis ad hoc caput XII. tab. §. furiosi aut prodigus.*

Digitized by Google

officiorum mediocritatem, atque communem, & usitatum vitae cultum; major vero quam stultitia: unde Terentius

His homines prorsus ex stultis inanos facit.

Itaque furiosi, cujus mentis usus est interceptus, contractus nullus jure civili probatur, etsi nondum subierit agnatorum, & gentilium tutelam; quo enim omne gestum a tempore furoris irritetur, furorem probasse sufficiet. (a) Furor autem omnium oculis aestimatur. Quamobrem qui eo corripitur administrationem amittit ipso jure, & potest sub ipsius filii, si filium habeat sobrium, curationi subjici. (b) Prodigus contra recte contrahit, antequam sententia magistratus a suorum bonorum commercio arceatur. Mentis enim prodigus habet usum; sed eo peccat, quod animi rationem appetitioni submittit. Ideo administrationem non ipso jure, sed interdictione magistratus amittit. Hinc Julianus ait (c) *eos, quibus per Praetorem bonis interdictum est.* Praetor autem auctoritatem ex legis potestate sumtam hac formula exercebat: (d)

(a) *glos. & DD. in l. 15. cui. 6. ff. d. V. obl.*

(b) *l. bis qui ff. ea. ff. de tutel.*

(c) *l.* Julianus, *ff. de curat. fur.*

(d) Paul. *lib. 3. sent. tit. X ubi* Cujac. *qui ita formulam hanc restituit.*

Quando tua bona paterna avitaque nequitia tua disperdis, liberosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem tibi ea re commercioque interdico.

Qua formula interdicti, agnatorum, aut gentilium curae tradebantur, unde proverbium in homines stultos

Digitized by Google

Ad agnatos, & gentiles, (a)

(a) Varro *lib. 1. de re ruſt. cap. 2.* Columel. *lib. X. cap. 3.* Horat. *ſermon. lib. 2. ſat. 3.*

Vt autem ad tutelas redeamus: iidem Decemviri, qui pupilli vitam, & bona tutoribus concredidérunt, opem quoque tulerunt pupillis adverſus perfidiam illorum, prodita e legibus actione tutelae, qua etiam duplum repetitur ejus, quod tutores é rebus pupilli ſubtraxerint. (b) Quod judicium turpe a Ciceroñe vocatur: quia fraude detecta minuitur tutorum exiſtimatio. (c) Apud Athenienſes etiam frequentia erant judicia contra tutorum fraudes, (d) quas elapſo quinquennio vindicare amplius non licebat. Nec tantum diſtractio bonorum revocabatur; ſed & dolus tutoris fraudulenter tutelam gerentis ex legibus decemviralibus coërcebatur (e) per accuſationem ſuſpecti tutoris: qui toto ejus judicii tempore adeo arcebatur a re pupilli, ut adminiſtratione illius interdicta, neque utiliter cum eo contraheretur. (f) Quod itidem venit ab Athenienſibus, qui ſuſpectum tutorem etiam judicio ſubjiciebant: & patrimonium illius pupillo tamquam jure quodam tacitae hypothecae obligabant: (g) ut elicitur ex Demoſthene contra Onetorem. (h) Haec autem capita ex verbis apud varios auctores diſſipatis inter ceteros egregie concinnavit, & quantum conjectura dedit, candide reſtituit Jacobus Gothofredus, eaque hic noſtro more ſubjungimus.

(b) Gothofr. *tab. 7.*

(c) *lib. 1. de orat. & pro Caecin. & pro Proſc. Comoed.*

(d) Demoſth. *orat. contra Aphob. contra Onetorem. contra* Nauſimach. & Pſeudomartyr.

(e) *l. 5. in princ. ff. de ſuſpect. tutor, vel. curat. & Inſt. eod. §. 2.* Cic. *de offic. 3.*

(f) *Inſtit. ibid. §. 3.*

(g) Scholiaſt. Ariſtoph. *in reſp.*

(h) Marcil. *ad leg. XII. tab. cap. 31.*

Si paterfamilias inteſtato moritur, cui,

Digitized by Google

cui impubes ſuus heres eſcit: agnatus proximior tutelam nancitor.

Si furioſus, aut prodigus exiſtat, aſt ei cuſtos nec escit, agnatorum gentiliumque in eo, pecuniare ejus poteſtas eſto.

Si tutor dolo malo gerat vituperato: quandoque finita tutela eſcit, duplione luito.

Eſcit) veteres dicebant pro *erit* Lucretius enim ait-

Inter ſummam minimamque quid eſcit?

Et alio loco XII. tabul. vitium eſcit. Scaliger ad Feſtum in *nec*, vult *eſit*, etſi non improbet *eſcit*. Priſci autem pro *ſum* dicebant *eſum* retentenа in ceteris *E:* ut tradit Varro. (a) Hinc adhuc litera *e* reſidet in aliquibus hujus verbi perſonis, atque temporibus.

(a) *lib. 8. de ling. lat.*

Nancitor) *nancior* vetuſtum eſt ex *nancio*, ut ex oratione Gracchi pro ſe; unde Priſcianus haec verba promſit. *Si nanciam populi deſiderium comprobabo reipublicae commoda* & in foederre latino apud Feſtum:

Pecuniam quis nancitor habeto. Et ſi quid pignoris nancitor ſibi habeto. Ex quo verbo linquitur *nactus ſum. Nancior* enim, & *nacio* ſine *n* ſcribi tradit Priſcianus ex Probo, Capro, Pollione:

Digitized by Google

ne: de quo verbo factum est postea *nanciscor*, ut a *paco paciscor*.

Nec) His XII. tabularum verbis Festus probat *nec* pro *non* apud veteres poni, quod est frequens apud Plautum. Hinc illa *nec recte loqui*, pro maledicere, & *nefrendes porci*: qui fabas comedere non valent, & *nequeo* pro *non queo*: & *funera nefunera portarentur* apud Cato tullum. Vnde Cicero. (a) *Senatori, qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto.*

(a) *lib. 3. de legibus.*

Agnatorum gentiliumque) Conjunctio hic vim dispergendi habet Paullo teste: qui ex hoc probat conjunctiones in jure saepe potestatem habere disjungendi: sicuti & disjuncta pro conjunctis accipiuntur. Non enim gentiles cum agnatis una vocantur, sed post agnatos. Horum autem capitum sensus clarioribus verbis expediamus: *Si paterfamilias intestato decedat, cui suus heres extabit impubes, agnatus proximus tutor hujus sui heredis esto.*

Si quis furiosus, aut prodigus esse incipiet, neque is curatorem habeat, agnatorum, iisque deficientibus gentilium curae tam ipse, quam ejus bona committuntor.

Si tutor tutelam dolo malo gerat suspectum eum facere cuivis liceto: si quid de rebus pupilli furatus fuerit; cum finita fuerit tutela, duplum praestato.

XXVII. DE JVRE PATRONATVS.

Patriae potestati, atque tutelae, quae quasi productio est patriae potestatis proxima est auctoritas

Digitized by Google

ritas patronorum. Patroni autem dicuntur quasi patres, ut a matre matrona. Non enim de libertorum, verum de civium patronis agimus institutis a Romulo, qui summa reipublicae patribus, nempe patriciis tradita, concredit etiam eis plebem, ut eam tuerentur ab injuriis potentiorum, adversus quos patrum auxilio jus plebei suum obtinerent; (a) ipsi vero suos patronos officiis, & muneribus colerent, unde dicti *clientes*, quasi colientes, sive *colentes*, quod patronos colerent, vel a κλέω *celebro, honoro*, quod patronos honorarent. Quamobrem patronorum erat clientem in judicio defendere, de jure suo admonere, tueri absentem nihilominus, quam praesentem, eique ubicumque opus fuerit adesse; clientum vero patronos, quos sibi quisque cooptassent, pecunia juvare, vel ad elocandam filiam, vel ad captivum filium redimendum, vel ad aes alienum luendum, vel ad multam solvendam: eidemque omnia officia exhibere. Quae mutua obligatio tanta necessitudine, ac fide adstringebatur, ut M. Cato locum patrono dederit secundum patrem. (b) Vnde nefas erat patrono adversus clientem, clienti adversus patronum dicere testimonium: ac si alter ab altero susceptis inimicitiis, aut institutis adversus alterum accusationibus distraheretur, proditor habebatur, (c) execratusque divis, Diisque inferis devotus cujusvis arbitrio dimittebatur occidendus, quod jus redactum fuit in leges XII. tabularum, quarum caput adfert Servius in illud Virgilii (d)

(a) Gell. *lib. 5. cap. 13.* Plutarch. *in Rom.* Dionys. *lib. 2. antiq.*

(b) Gell. *loc. citato.*

(c) Dionys. *lib. 2.* & Raevard. *ad leg. XII. tab. cap. 4.*

(d) *lib. 6. Aeneid. vers. 609.*

Digitized by Google

eoque continetur, ut qui clientem fraudasset, vel ut veteres loquebantur *fraudem frausus esset*, (a) sive praevaricando, ut interpretantur aliqui; sive alio modo decipiendo, is sacer esset, sive Orco victima desponderetur: ut liceret cuilibet eum infero Jovi mactare (b) ex his verbis legis:

(a) Plaut. *in e-stin.* Liv. *lib. 23.*

(b) Fest. *in verb.* sacer *ubi* Scalig. & Macrob. *lib. 3. cap. 3.* Livius *lib. 3.* Dionys. Horat. *ibi* intestabilis, & sacer esto.

Patronus si clienti fraudem faxit sacer esto.

XXVIII. DE JVRE CONJVGVM, ET CONNVBIORVM.

Sed jam ad potestatem virorum in uxores, & ad conjunctiones personarum, quas adhuc seperatim consideravimus, sive ad matrimonia progrediamur, de quibus legem Decemviri condiderunt, qua patribus cum plebeis connubia interdicebantur: ne plebei cum patribus per matrimonia umquam convenirent. Quod fuit consilium, ut puto, Appii Claudii, (c) cujus in caput vertit acerbitas legis. Appius enim accensus plebeia virgine, cum omni spe connubii careret, fraudibus ante pudicitiam puellae tentavit; postea vi, & injuriis, quibus parens illius Virginius exulceratus puellam ferro transfixit, ut vita illam simul, & ignominia eximeret. De privata vero contumelia orta repente indignatio publica, intolerabile jam Decemvirorum convellit imperium. (d) Alia etiam ratione vetita erant connubia inter patricios, & plebeios, nimirum ne auspicia turbarentur; etenim nuptiae sine auspiciis minime celebrabantur: auspicia vero nulla patres communia cum plebeis habebant. Quod sane inter eos discri-

(c) Dionys. *lib. 10. in fine.*

(d) Livius, Dionys. *lib. 11.*

Digitized by Google

discrimen in crebras, & periculosas discordias erumpebat, donec instante finitimorum bello, & tribunis plebis dilectum impedientibus, unus ex eis turbulentissimus Canuleius seditiosis concionibus pervicit, ut ea lex abrogaretur, & ex plebiscito promiscuus conjugiorum usus inter patres, plebeiosque permitteretur. (a) Erat & lex, qua usucapio instituebatur uxorum: (b) nam si ea vir annum integrum pro uxore uteretur, in viri manum, ac potestatem veniebat: nisi trinoctium intra id tempus ab eo mulier abfuisset: etenim tum interrumpebatur usucapio: quae interruptio veteribus usurpatio dicebatur. (c) Haec autem proprie dicebatur uxor: quae non transibat in mariti familiam; nec jure XII. tabul. ad illius hereditatem vocabatur: unde longe differebat a matrefamilias, sive conjuge illa, quae non usu, sed solennitatibus nuptialibus in potestatem, & familiam viri transierat, ideoque ad successionem etiam illius, tamquam agnata veniebat, de qua in S. Cto Tertulliano. Has excipiunt aliae leges, ex regiis fere legibus in XII. tabul. a Decemviris adductae, ut plerique credunt, repugnante Cujacio, (d) quibus atrocior maritorum in mulieres potestas constituitur, qualis est illa, quae uxoris probrum, sive adulterium permittit maritо vindicandum, sive convocatis propinquis, & cognatis ad poenam ex eorum sententia more majorum imponendam, si vir mulieris flagitium aliquo argumenso comperisset, sive sine consilio, tantum ex arbitrio mariti, cui ad caedem usque

(a) Livius *lib. 4. cap. 6.*
(b) Gell. *lib. 3. cap. 2.*
(c) Sigon. *de jure civ. Roman. lib. 1. cap. 9.* Petrus Faber. Hottheman, Raevard. *ad leg. XII. tabul. cap. 21.*
(d) *Obser. lib. 18. cap. 38.*

Digitized by Google

uxoris licebat excurrere, si cum ipso adultero eam deprehendisset, justoque dolori suo, atque irae, in re calida indulsisset; de quo ad legem Juliam de adulteriis latius. Quo autem castitas facilius servaretur vini usus foeminis interdicebatur, fax enim libidinis vinum, neque ad eam quidquam temulentia pronius: utpote quae corpus agitet, & lucem orationis, qua petulantia coërcetur obumbret. (a) Quamobrem longe ante Romulum foeminis vini usus interdicebatur. Ferunt enim Faunam Fauni fororem eamdem, & conjugem, quod vinum praeter morem regium bibisset, a viro dum caederetur, inter virgas vitam liquisse. Criminis autem hujus apud veteres maritus vindex idem constituebatur, & judex. Etenim Egnatii Mecennii uxor, quod vinum bibisset, occisa fuit a marito impune: haud aegre id patiente Romulo. (b) Et matrona quaedam, quod e loculis cellae vinariae claves abstulisset fame necata fuit a suis. Ac ne quo pacto foeminae vini potum celarent Cato severus earum adversarius, censuit mulieres propinquis osculum ferre: ut fraudem odore proderent. Quamobrem vini potus inter justas repudii causas numerabatur.

(a) Dionys. lib. 2. Cic. 4. de rep. apud Nonium.

(b) Plin. Lib. 14. cap. 13. ubi plura id genus exempla.

XXIX. DE DIVORTIIS.

Porro legibus XII. tabul. fuit & de divortiis cautum, non de forma repudii, quam concepere prudentes e sententia legis, contra id quod aliqui tradiderunt. (c) Divortendi vero facultas non e Romuli solum legibus; (d) verum etiam ex Attico jure nascitur: ut jus divortiorum Decemviri duplici de fonte deduxerint. Apud Athenien-

(c) Goth. ad tab. 6. in fin. in not.

(d) Plutarch. in Romulo Dionys. lib. 2.

Digitized by Google

nienſes autem uxori pariter, atque viro libera erat nuptiarum diſſolutio, dummodo Archontem adirent, tum ut ei diſſidii rationem probarent; tum, credo, ut ſi levioribus cauſis diſtraherentur animi, auctoritate, atque conſilio magiſtratus, in gratiam redirent. Memorabile autem eſt illud Alcibiadis, qui uxorem apud Archontem de divortio ſuo agentem, virique injurias, & maritalis thori contemtum conquaerentem, e medio foro raptam transtulit domum, eamque conjugalibus delenimentis placatam a ſententia dimovit. (a) Vir autem ἀποπέμπειν, dicebatur, quia domum olim deductam poſtea exigebat: uxor vero ἀπολείπειν, quia deſerebat virum, & unde diſceſſerat remigrabat: hinc ἀποπομπή, & ἀπόλειψις. Apud Romanos vero dirimendarum nuptiarum facultatem initio ſolius viri fuiſſe haud prorſus temere quis exiſtimaverit, qui mos etiam erat Hebraeorum: (b) mulieres enim apud Romanos uti mancipium habebantur, & longe majorem quam viri pudicitiam, & fidem praeſtare cogebantur. (c) Verum ut virorum initio tota fuerit libertas in divortiis, jus tamen civile deinde mutavit. Nec enim aut vir uxorem dimittere, aut uxor maritum deſerere poterat niſi certis ex cauſis, quas partim XII. tab. partim ex moribus collectas, partim recenter conſtitutas enumerat, atque definit Theodoſius, & Valentinianus. (d) Aliquando vero, & ſine cauſa matrimonia diſſolvebantur, ſi conjuges ambo conſentirent: ac tum dicebatur matrimonium dirimi *bona gratia*. (e) Quod

(a) Plutarch. in Alcibiad.

(b) Deuter. cap. 24.

(c) Cato apud Gell. lib. 10. cap. 23.

(d) l. conſenſu C. de repud. l. 43 ff. ad l. Jul. de adult. Cicero philippic. 2.

(e) l. ſi conſtante C. de repud.

(a) *Novel. 117. cap. 10.*

(b) *ad novel. 22. & 117.*

(c) Plutarch. *in Romul. in fin.* Valer. *lib. 2. cap. 1.* Gell. *lib. 4. cap. 3.* Dionys. *lib. 2.*

sustilit Justinianus, (*a*) qui ambobus etiam discedere volentibus causas adjungendas constituit: quas sive ex veteri, sive ex novo Justiniani jure venientes exponit Cujacius luculenter. (*b*) Quamvis autem antiquiores dimittendae uxoris potestatem haberent; tamen lege pudoris & nuptialium sacrorum religione, atque auspiciorum auctoritate, diu ejus facultatis usu abstinuerunt, initiumque factum a Sp. Carvilio Ruga, qui sterilitatis causa uxorem repudiavit. (*c*) Deinceps tanta morum dissolutio nata est, ut quotannis prope uxores mutarent virum, atque annos frequentius a maritorum, quam a Consulum serie numerarent. Sed jam reliquias legum nuptialium e doctorum virorum conjectura promamus.

Patribus cum plebeis connubi jus nec esto.

Mulieris, quae annum matrimonii ergo apud virum remansit, ni trinoctium ab eo usurpandi ergo abesit, usus esto.

Si mulieri repudium mittere volet causam dicito harumce unam.

Vsurpandi) hoc est usucapionis interrumpendae.

Abesit) hoc est aberit.

Vsus esto) hoc est usu capta esto, sive uxor esto.

A nu-

Digitized by Google

A nuptiis ad partum servato naturae ordine progrediamur. Refert enim plurimum cognoscere liquido, quonam ex concubitu sit partus conceptus, ne adultera proles legibus resistentibus patrimonium occupet alienum. Ideo leges tempus praefinierunt, unde dijudicaretur, an partus marito mortuo natus, ex eo conceptus fuerit; an ex concubitu alieno, cujus turpitudinem mulier soluti jam conjugii auctoritate velaverit? Legitimum igitur pariendi tempus Decemviri non ultra decem lunarium mensium spatium extenderunt: forte quia jus versatur in iis, quae plerumque contingunt, ὂπὶ πλείσον ut Theophrastus loquitur: (a) non in iis, quae ἐκ παραλόγου id est inopinato eveniunt. Sed ubi hominum existimatio vertitur, insolitos etiam casus oportebat respexisse Decemviros: quos credo fefellit vulgaris eo quoque tempore medicorum opinio ubique pervagata, cujus multi auctorem faciunt Hippocratem, qui mihi potius in contrariam videtur opinionem abire, nam in libro περὶ ὀκτάμηνου conjungit (b) partum undecim, cum partu decem mensium; atque ostendit, oportere saepe mulierem undecimum mensem attingere, ut ad ultimum circuitum perveniat: & ejusdem Hippocratis Gellius haec verba producit, γίνεται δ' ἐν τούτοις, καὶ πλείω καὶ ἐλάσσω, καὶ ὅλου κατὰ μέρος; καὶ ἐλαχίστῳ ἢ καὶ πλείω πλείονων, καὶ ἐλάσσω ἐλασσόνων. (c) Hinc orta est & alia definitio ad pariendi tempus collata. cum enim decem mensium spatio partus maturitas constituatur; lugendi conjugis tempus fuit

XXX. DE PARTV XI. MENSIVM.

(a) l. 3. ff. de legibus.

(b) n. 5. & 6.

(c) Gell. lib. 3. cap. 16.

Digitized by Google

fuit eodem fere ſpatio concluſum: at ante decimum exactum menſem nubere alteri non licuerit. (a) Vnde Ovidius in faſtis.

(a) Hotthom. ad leg. XII. tab. pag. 422. l. 2. C. de ſecund. nupt.

Quod ſatis eſt utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno ſtatuit tempore eſſe ſatis;
Poſt totidem menſes in funere conjugis uxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Hinc vulgaris illa de poſtumis inſtituendis apud veteres formula: *Qui poſt mortem meam in decem menſibus proximis natus erit.* Verum experiendo compertum eſt breve admodum leges conſtituiſſe tempus ad naturae licentiam: quae ab opinione noſtra ſaepe, ab Ordine vero ſuo nunquam aberrans, ultra cognitionis noſtrae fines non raro vagatur. Quamobrem Ariſtoteles, & Diocles philoſophus, & M. Varro ad undecimum usque menſem pariendi tempus produxerunt: & Adrianus conſultis philoſophis foeminam pudicam, quae XL. menſe pepererat ab ignominia eripuit, ac legitimum talem partum eſſe decrevit, cui ſententiae comprobandae noſtris temporibus perutilem diſſertationem ſolidioris philoſophiae luce perfuſam, & poſtea Romani fori auctoritate munitam conſcripſit interpres naturae ſolertiſſimus Joannes Maria Lanciſius. Lucius autem Papyrius Praetor tempus hoc longius traxit: bonorum enim poſſeſſionem dedit ei, quem decimo tertio menſe mater ediderat Plinio teſte, (b) quo loco, quem corruptiſſimum, Cujacius (c) in

(b) lib. 7. cap. 5.
(c) Notul. 39.

in veteribus codicibus refert legi *pro XIII. X. menſibus*: quo ſenſu nihil Plinius diverſum attuliſſet a vulgari opinione: cum tamen oſtendat ibi velle ſe aliquid praeter communem naſcendi formam literis tradere. Frigeſcet igitur Plinii locus, niſi ex vulgaribus codicibus XIII. menſes legamus fuiſſe a Praetore toleratos; quam ejus indulgentiam erga mulierem, & prolem non prorſus temere ſuſpectam habuit Balduinus. Decretum autem illud Adriani, haud ſcio an in morem, & in diſciplinam ceſſerit Jurisconſultorum: qui quaeſtionem hanc e ſola XII. tabularum auctoritate definierunt: unde Paullus (*a*) *Septimo menſe natus matri prodeſt. Ratio enim Pythagoraei numeri hoc videtur admittere, ut aut ſeptimo pleno, aut decimo menſe partus maturior videatur*, a quibus diſceſſit Juſtinianus. (*b*) Niſi decretum Adriani de undecimo menſe non exacto, ſed incoepto accipiamus, atque ita nullam diſcrepantiam inter Adrianum, & Jurisconſultos, & jus deinde receptum inveniremus: neque novi quidquam Gellius protuliſſet: Siquidem non negaverint hi ſub initium undecimi menſis partum eſſe legitimum, ut notat Cujacius eodem Paulli loco.

(a) *ſent. lib. 4. tit. 9.*

(b) *Novel. 39. cap. 2. Alciat. paradox. lib. 3. cap. 3.*

Si quis ei in X. menſibus proximis poſtumus natus eſcit juſtus eſto.

Juſtus) hoc eſt legitimus, ut *juſtae nuptiae*, *liberi juſti*, & alia complura.

XXXI. De Partu Monstroso.

Aliquando partus non ſunt integri, ſed monſtroſi. Atque hi, vetuſtiſſima Roli lege a

Digitized by Google

Decemviris in XII. tabulas relata, si deformitate sint insignes, necandi statim sunt a parentibus. (a) Cujus etiam legis Cicero meminit lib. 3. de leg. ubi pro *legatus* legerim *necatus*. Hinc illud Ennii apud Nonium in *auscultare: mihi auscultate, pueros necari jube* atque illud Tibulli: (b)

Prodigia indomitis mersa sub aequoribus.

An autem partus monstrosus esset, id Romulus non parentibus proprio in suos amore corruptis, sed quinque viris e Vicinia judicandum tradidit. Non continuo enim partus monstrosus reputatur, quod aliquid ab humana figura discrepet, veluti si officia humanorum membrorum ampliaverit, uti sunt sedigiti, qui senos digitos habent in manu. Monstrum vero est, quod contra formam humani generis converso more procreatur. Quod monstrum furit appellatum, quia monstret mala futura, sitque triste omen: ut *ostentum* ab *ostendo*, *portentum* a *portendo*: (d) nisi ut Stilo putat apud Festum venerit a *monendo* quasi *monestrum*: unde postea monstrum *e* litera exclusa. Hoc autem discrimen Cornelius Fronto inter monstrum, & ostentum ponit, quod ostentum praeter consuetudinem, at monstrum praeter naturam oboriatur. (e) Talis autem partus matri ad lucrum nihil prodest, cum pro filio non habeatur: velut in S. C. Tertulliano ubi de lucro contenditur, (f) at prodest ad excludendam poenam legis Papiae satis odiosae, ubi de poena declinanda certatur: erat enim hac lege turpe, atque damnosum non habere liberos: ideo humanitatis

(a) Dion. *l. 2.*

(b) *l. 2. leg. 2.*

(c) *L. non sunt ff. de statu hominum.*

(d) *Nonius.*

(e) *Vide* Voss. *etymolog.*

(f) Paul. *4. sent. §. mulier. ubi* Cujac. *tit. 9.*

Digitized by Google

tatis causa nomen filii latius accipitur pro foetu quolibet. (a) Androgynos etiam Romani veteres abominabantur; ex humanitate tamen Jurisconsultorum conservabantur: recentiores vero eos, quos veteres prodigia reputabant, mutatis moribus in deliciis habuerunt. Sed legem ipsam, ut restitui conjectura potuit, subjiciamus.

(a) Vlp. leg. quaeret. V. S.

Pater insignem ad deformitatem puerum cito necato.

Insignem) insignis dicitur aliquo signo turpiter notatus: veluti membro mutilo, aut alia figura quam humana. Plautus (b)

(b) milit. act. 3. scaen. prima

Tum ne uxor mihi insignitos pueros pariat postea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pactum.

& Lucret. *Insignis varis cruribus.*

Quas hactenus explicavimus leges ad statum pertinent personarum; deinceps occurrunt eae, quibus civilia negotia diriguntur, quas ordine suo expediemus, incipientes a rebus litigiosis, hoc est in judicium deductis: quarum nomine venit non tantum res mobilis, & immobilis, verum etiam nomen debitoris, & ambiguum chirographum. (c) Res igitur litigiosi vitio affectae vetuit lex XII. Tabul. ne Numinibus traderentur, sive in sacrum dicarentur; neve hac fraude spes ejus recuperandae domino desineret, callidusve adversarius invidiam sacrorum auctoritatem adducens, religionem detorqueat in damnum aliorum. Res enim semel consecrata, nunquam a Pontificibus resecrabatur, sive religione solvebatur, ideo quia semel religione obligatam perpetuo dominus amittebat,

XXXII. DE REBVS LITIGIOSIS.

(c) L. 3. C. de litig. Cujac. parat. ibid.

Digitized by Google

jussere Decemviri, ut qui rem litigiosam in sacrum dedicasset, ejus rei nomine duplum adversario redderet: ut hoc veluti solatium amissae rei dominus haberet. Et quamvis lege non pateret duplum illud adversario ne, an fisco cederet; benignius tamen visum est, & humanius adversario deferre pro solatio, quod potentiori adversario traditus fuerit. (a) Hanc autem legem ita Gothofredus ex conjectura contexuit.

(a) l. ult. ff. de litig.

Si qui rem de qua stlis siet in sacrum dedicassit duplione decidito.

Stlis) dicebant veteres pro lis: stlocum pro *loco*: deinde linguae cultus, & urbanitas literarum asperitatem elisit. Vide Festum verbo *stlata*.

XXXIII. De Servitutibus Praediorum.

Sed de his satis. Pergamus nunc ad servitutes, quarum aliae praediorum rusticorum sunt, aliae urbanorum: de quibus fuisse primo loco in XII. tab. cautum significat ordo a Cajo institutionibus, & in Digestis a Justiniano institutus: quos ab ordine prisco quam minimum recedere voluisse crediderim. E veteribus autem fragmentis lex eruitur, quae spatium inter vicinas aedes duorum pedum cum semisse praescribebat aedificantibus: ut non modo transitus circumeuntibus panderetur, sed incendium etiam a proximis aedibus, eo intervallo averteretur; (b) unde lex ita restituitur.

(b) Brisson. *lib.* 1. *antiq. c.* 1. & 3. Cujac. *obser. lib.* 1, *cap.* 4.

Ambitus parietis sextertius pes esto.

Ambitus) quasi circuitus, est enim *ambire* proprie *circumire*, *am* enim veteribus significabat *circum* a graeco ἀμφὶ, unde *ambitus honorum* propterea

pterea quod ita eorum petitione ſupplicando circumirent. *(a) Sextertius* valet duos aſſes cum ſemiſſe: unde duo pedes, & ſemis dicitur pes ſextertius in lege XII. tabul. ut Voluſius Martianus de aſſe ſcribit. (b) Ruſticorum autem praediorum ſervitutes contrahentium arbitrium, & voluntas moderatur: quo vero pacta non pervenerunt, eo leges extenduntur. Atque ex legibus XII. tabul. tantum definitam habemus, atque praeſcriptam viae latitudinem: quam octo pedum in porrectum, hoc eſt in directum, ſive qua recta tenditur eſſe voluerunt, (c) ſexdecim in amfractum, ſive in flexu propter commodum ducendi vehiculi, quod in anguſtiori ſpatio verti non poteſt: niſi viae nomen laxius, & praeter XII. tabul. ſenſum accipiamus cum Aelio Gallo, (d) ut non modo ſpatium ducendi vehiculi, ſed & ſemita, & iter eodem viae vocabulo veniat, ampliori tamen ſignificatione. Qui autem lege ſervitutis alteri debet viam, curare oportet, ut ea perpetuo munita ſit ad vehiculi commoditatem, (e) quod ſi neglexerit, tum ex legibus XII. tabularum jus domino tribuitur vehiculi ducendi per fundum ſervientem quacumque velit. Quae facultas quamvis ex legibus XII. tabul. ſit infinita: tamen interpretatione prudentum ita temperatur, ut ſi via commode pateat alia ex parte ſine detrimento fundi ſervientis; tum parcendum ſit vineis, villis, & ſatis: eaque via ſemel electa impoſterum teneatur. Sed etiam latius extenditur ſenſus legis, quo non tantum de fundo ſerviente, ſed de fundis omnibus viae continentibus accipiatur: ut ſi domini viam non muniant,

(a) Feſtus *in verbo ambitus* Varro *lib. 4. de ling. lat. l. Imperatores ff. de ſervitut. urban. praed.*

(b) Hotthom. *in leg. XII. tab. ad hanc leg.* Bril. *loco cit.* & Gujac. *ad. obſervat.*

(c) *l. 8. de ſervit. ruſt. praed.*

(d) *l. paries. 157. ff. V. S.*

(e) Cic. *orat. pro Caecin.*

Digitized by Google

cuivis liceat per agros eorum, qua commodum est, sive cum vehiculo, sive cum jumento transire. Ea verba legis ut a novis redduntur interpretibus:

Via in porrectum VIII. pedum, in amfracto XVI. pedum esto.

Si via per amsagetes immunita escit, qua volet jumentum ducito.

(a) *Lib. 6. de Ling. lat.*

Amfracto) Varro: (a) *Amfractum est ab origine flexum duplici, dictum ab ambitu, & frangendo; ab eo leges jubent in directo pedum octo esse, in amfracto sexdecim id est in flexu.*

Amsagetes) dicuntur agri sibi eadem in via occurrentes, sive quorum affinis seges viam attingit: unde Festus *Amsagetes dicuntur, quorum affinis seges viam attingit.* Sensus autem legis est: *Si via ab his, qui vicina praedia possident, munita non sit, jumentum agere quisquis velit jus esto.*

XXXIV. De aqva pluvia arcenda.

Cavit etiam lex XII. Tabul. ne quis opere manufacto aquam pluviam excipiens cursum illius dirigat in alienum praedium, quod inde deterius reddatur: unde orta est aquae pluviae arcendae actio; quam VVessembecius perperam refert ad Praetoris edictum, cum initium duxerit a XII. tabul. cujus haec verba profert ex Labeone Pomponius (b) *si aqua pluvia nocet.* Non vindicat autem haec actio damnum ortum ab aqua profluente per ductum naturalem, sed per manufactum, (c) unde non sua sponte, vel natura loci, sed opera hominis ducitur. Sive quis igitur aquam ab naturali cursu alieno damno deflexe-

(b) *L. Labeo. 21. ff. de statu liber.*

(c) Cic. *in topic. l. 1. ff. de aqua & ac; pluvia arcend.*

Digitized by Google

xerit, sive comprimendo citatiorem eam reddiderit, aut nova immittenda uberiorem; etiamsi damnum adhuc non sit acceptum; (a) tamen quia imminet, coërceretur hac actione, qua vel opere restituto avertitur aqua; vel tanti dominus, quanti restitui opus interfit, condemnatur: cogiturque damnum post contestatam litem allatum sarcire: & de eo quod post sententiam afferri poterit, damni infecti cavere. (b) Similem quoque actionem proditam legibus XII. Tabul. Vlpianus refert, (c) qua si rivus aquaeductus per publicum locum privato nocebit, ei de damno cavetur, quod accipitur de opere privato, quo aqua per publicum locum ducitur: sive de aquaeductu privato: nam nihil de publico XII. tab. leges constituere, cum illius usum Romani non norint ante annum CDXLII. A. V. C. uti Frontinus initio de aquaeductibus refert. Regionum autem varietas variam utilitatis rationem inducens leges parit saepe contrarias. Quamobrem in Africae regionibus aestuosis, ubi aquae inopia laboratur, actio datur adversus eum, qui aquam pluviam coërcet, nec sinit eam ad fundum alterius tendere: (d) Hujus autem legis ex XII. tab. apud Pomponium verba supersunt admodum pauca: sententia vero colligitur integra ex Cic. topicis aliisque locis juris civilis.

(a) *l. Vicinus 24. eod. §. 2.*

(b) Cujac. *parat. ff. de aqua & aqua pluv. arcend.*

(c) *l. 5. ff. ne quid in loco pub.*

(d) Aggenus *l. 2.*

Si aqua pluvia manu nocet. Praetor arcendae aquae arbitros tres addicito; noxaeque domino cavetor.

(e) *L. Labeo 21. ff. de statu liber.* Paul. *5 ff. ne quid in loco pub. fiat.*

Nocet) sensum habet, quem grammatici vocant potentialem: id est si nocere poterit Pomponius. (e) Non

XXXV. DE ARBORIBVS CAEDENDIS.

Non ſolum aquis; verum & arborum ramis praeter modum diffluentibus, ac latiorem umbram projicientibus vicino agro nocemus: intercipitur enim ſolis aeſtus, quo terra maxime fovetur, & ſemen ad ortum excitatur. Ideo XII. tabulae prodiderunt actionem adverſus dominum arboris latius effuſae, quo ramos ejus pedes quindecim altius a terra coërceat, (a) eorumque luxuriem vicino agro impendentem compeſcat, quod ſublucare, ut mox explicabimus, dicebatur. At ſi dominus ramos circumcidere noluerit, lex domino invito poteſtatem circumcidendi permittit ei, cujus fundo nocetur. Quam ſententiam legis Praetor ſuo quoque comprehendit edicto, quo lex eadem porrecta fuit ad arbores impendentes in aedes, quibus nihil XII. tabul. legibus cavebatur, (c) juſſit enim Praetor, ut niſi dominus arborum ab aedium domino monitus paruerit, vel circumcidendo arborem, vel radicitus, ut aedium incolumitas exigit, evellendo, quod collucare dicebatur; tum aedium domino liceat exciſa ab ſtirpe arbore damnum pellere. Item Pomponius ait in eodem titulo agi poſſe leg. XII. tabul. de tollenda arbore, ſi ex alterius fundo in vicinum agrum vento inclinata fuerit. Sed jam legis reliquias ſubjiciamus.

(a) *l. 1. §. 8. ff. de arbor. caeden.* Paul. *lib. ſent. 5. tit. 6. §. arbor quae*

(b) *toto tit. ff. de arbor. caed.*

Si arbor in vicinum fundum impendet XV. pedes altius ſublucator.

hoc eſt, *ſi arbor e vicini fundo in vicinum impendeat, arboris illius rami XV. pedes altius circumcidantur.*

Sublucare) eſt compeſcere luxuriem ramorum: quaſi ſubtus lucem mittere. Collucare quid

Digitized by Google

quid sit dubitari potest. Vel enim significat superiores ramos lumini officientes succidere, vel ipsam ex stirpe arborem excindere, quod verius puto (a)

(a) Cujac. ad Paul. sent. lib. 5. tit. 6. §. arbor.

Si glans ex alicujus fundo proximum in agrum deciderit, facultatem fecerunt leges XII. tab. domino arboris colligendi glandem suam ex alieno solo, quae lex translata fuit in Praetoris edictum. (b) Non sola vero glans quaerna, vel iligna his verbis domino colligenda permittitur, sed fructus quilibet: fructus enim omnes glandis appellatione veniunt; (c) ut apud graecos ἀκρόδρυα extremitates arborum appellantur ἀρχαίως sive prisci, ut Scholiastes Aristophanis in equitibus, πᾶν δένδρον δρῦν ἐκάλουν, *omnem arborem quercum appellabant.* Hinc veteri latinorum lingua, quae propius accedit ad morem graecorum, fructus omnes glandis appellatione continebantur. Ex quo, aliisque civilis juris exemplis intelligitur quanti referat callere latinae linguae originem, & proprietatem: ut non mirum, si ea magis apud jurisconsultos, quam apud oratores omnibus temporibus floruisset: jurisconsultos enim adigebat muneris necessitas; oratores vero artis ornamentum, quod simul cum auribus multitudinis mutabatur; lex autem haec fuit.

XXXVI. DE GLANDE LEGENDA.

(b) l. 1. ff. de glande legenda.

(c) l. 236. §. 1. ff. V. S.

Si glans in emem caduca fiet, domino legere jus esto.

emem) enim pro *eumdem* dicebant veteres. (d)

(d) Festus verbo emem.

Digitized by Google

XXXVII. DE INTERSTITIO SEPIS.

Inter confines autem fundos liberum esse transitum oportuit, qua sine agrorum incommodo ire, agere, aratrum circumvertere (a) liceret: quod confinium appellatur, si via publica non interveniat. Confinio autem quinque pedum spatium Decemviri statuerunt: cujus praefinitionem spatii, quam praescriptionem etiam appellatam invenimus, (b) sumserunt e Solonis legibus, qui singula notarat, atque distinxerat intervalla sepium, maceriarum, & arborum. Quem locum quia Cajus retulerat in commentarios ad leges XII. tabul. (c) multi crediderunt integram Solonis sententiam omnibus ex partibus fuisse XII. tabul. legibus comprehensam: cum ex monumentis, quae supersunt, praefinitionem solam quinque pedum colligamus: & a Cajo habeamus exemplum tantum Solonis Decemviros fuisse secutos. Statuerat autem Solon, ne qui sepem foderet, (d) excederet praescriptos fundi terminos: ac voluit ut parietem si extrueret, pedem ille relinqueret spatii; si domum pedes duos, si sepulchrum, aut scrobem foderet, quantum profunditatis habuerit, tantum spatii relinqueret; si puteum sex pedum latitudinem. Oleam vero, aut ficum, ut ne in alieno radices agerent, novem pedes e vicini fundo distare voluit; ceteras arbores quinque: quod spatium est XII. tabul. legibus praefinitum, & ab omni usucapione prorsus exemtum. Scio displicuisse Salmasio (e) veterem versionem verborum Solonis, quae τὴν αἰμασιὰν reddit *sepem*; cum ille interpretetur maceri-

(a) *l. 4. §. penult. cum l. seq. ff. fin. regund. l. 3. §. ult. ff. de ag. rerum dom.* Varro *de ling. lat. lib. 4.*

(b) *l. quinque pedum C. fin. reg.*

(c) *l. ult. ff. fin. regund.*

(d) Plutarch. *in* Solone *pag.* 91. Cujac. *ad l. ult. ff. fin. regund.*

(e) *observ. ad jus Rom.*

Digitized by Google

ceriem: utraque tamen interpretatio veterum auctoritate defenditur. Illa Suidam habet auctorem, & Orionem, & Theocriti Scholiastem; haec Herodotum, & Demosthenem, & Hesychium, & alios quos collegit Mensagius, (a) qui Salmasii opinionem propugnat adversus Heraldum Salmasio infestum. Verum ne alicui veterum, praecipue vero Eustachio Homeri gravissimo interpreti vocabuli hujus ἰ ignorantiam adscribamus', qui vetustiori aevo tradit sepes agrorum spinis, & ramis fuisse contextas; αἰμασίαν acceperim uti genus lignea simul, & lapidea septa complectens. Sed ut ad propositum redeamus, duplex erat agrorum controversia, finalis nempe spatii, & locorum finale; spatium quinque pedum praescriptione, sive praefinitione constabat ex lege XII. tabularum omni usucapione liberum, ut in controversiam nunquam veniret. Locorum vero spatium id erat, quod quinque pedes excedebat, quod enim supra quinque pedes extendebatur, id adducebatur in controversiam apud judicem, sive arbitrium finium regundorum; eaque controversia locorum appellabatur. (b) Quam distinctionem inveneris in celeberrima lege, brevissima simul, & obscurissima *quinque pedum* C. Just. & Theod. fin. regund. Cujus explicationem ab omnibus interpretibus quidem laborioſe, ab eruditioribus tamen Alciato duce felicius tentatam, petere utilius licebit a Jacobo Gothofredo. Nolo enim hic ego, vel eamdem cantilenam canere, vel ut

(a) *Amanit. jur. civil. cap. 28.*

(b) *Vide Frontinum, & Cujac. obser. 10. cap. 2.*

Digitized by Google

nova proferam ineptire: cum & Petrus Abaxlardus, qui ſenſum undecumque germanum ſe prolaturum gloriabatur, hac tamen ſuper lege obmutuerit. (a) Itaque ſuper confinium, ſive ſuper quinque pedes vicinis fundis ad iter, ac tranſitum interjectos, nulla ex XII. tab. uſucapio cadebat, quod hisce fortaſſe legis verbis comprehendebatur.

(a) *Vide gloſ. in l. quinque pedum. C. fin. regun. & ibi* Dionyſ. Goth. & Alciatus.

Intra quinque pedes uſus auctoritas nec eſto.

Vſus auctoritas) hoc eſt jus uſucapionis, quam loquendi rationem pandemus infra, cum de uſucapione tractabimus: nunc de regendis finibus videamus.

XXXVIII. FINIVM REGVNDORVM.

Si quando contentio inter vicinos fundos oriretur de finibus, aut obſcuratis, aut turbatis; vel de ſpatio locorum, & modo agrorum, quod tertium in limitibus controverſiarum genus Frontinus appellat, (b) ibi leges XII. tabul. juſſerunt, ut tres arbitri darentur regendis, hoc eſt dirigendis finibus, (c) apponendisque terminis, & agris definiendis, ut colligitur ex his Cic. verbis: (d) *Nec ex Mamilia lege ſinguli: ſed ex XII. tab. tres arbitri fines regemus.* Ita locum hunc eruditis omnibus adprobantibus reſtituit Cujacius. (e) Acceſſit enim deinde lex Mamilia, quae ex XII. tab. quinque, aut ſex pedes inter confines fundos conſtituens ſingulis arbitris contenta fuit in finium controverſiis. Quam legem tulit C. Mamilius Trib. plebis is, qui belli Jugurthini tem-

(b) Cujac. *obſ. lib. 10. cap. 2.*

(c) Boëtius *in topic.* Cic.

(d) *lib. 2. de legibus.*

(e) *obſer. 5. cap. 21.*

Digitized by Google

tempore rogationem ad populum tulit (a) in eos, quos Jugurtha pecunia corrupiſſet. Isque propter legem de limitibus latam, *Limitanei* cognomen tulit: quod Manutius in nummo etiam argenteo obſervavit, in quo erat C. Manilii Limetan. ut perperam Jacobus Gothofredus *Maniliam* legat. Lex autem ita ex veteribus reliquis concinnatur.

(a) Salluſt. *in bello* Jugur.

Si jurgant affines, finibus regundis Praetor arbitros tres addicito.

Jurgant) jurgium, & *lis* hoc diſcrepant: quod *jurgium* contentio eſt juris inter benevolos & propinquos exorta, unde *jurgatio* quaſi *juris actio* apud Feſtum, & *jurgare* ab jure deducit Varro. (b) Lis vero eſt animorum concertatio vehementior ex ira, & odio inter inimicos exardeſcens: ut non immerito Cic. cum alibi ſaepe, tum in libris de republica apud *Nonium* in verbo *jurgium* non rerum tantum; ſed & verborum dilectum in legibus XII. tabularum admiretur. Itaque nulla nobis lis eſſe poteſt cum eo, quem in poteſtate habemus.

(b) *lib. 6. de ling. lat.*

Affines) ſive vicinos, qui praedia vicina poſſideant: affines enim dicuntur tam qui ſanguine, quam qui praediis conjunguntur, ut tradit Feſtus, & gloſ. verbo *αγχίτερμων.*

XXXIX. DE VSVCAPIONIBVS.

Nunc ad uſucapionem transeamus, quam ſuis legibus in rebus mobilibus etiam amplexus eſt Plato: (c) ut a jure Attico fluxiſſe ſuſpicemur,

(c) *lib. XII de legibus.*

Digitized by Google

quo ille fortasse respexit: etsi hujus juris ex atticis aut aliarum gentium legibus monumentum supersit nullum: ut merito jus hoc proprium civium Romanorum reputemus, a quibus peculiari ratione cultum fuit, atque constitutum: unde nulla hujus juris communio peregrinis, quibus nihil ex civium Romanorum bonis usucapere licebat: ut patet ex lege XII. tab. quam ad nos Cicero transmisit, (a) quamque inferius producemus. Igitur jure civili dominium sola capione, sive tantum capiendo nanciscimur: capimus autem rem, vel manu, sive ab alio traditam; vel usu, nempe possessam ab initio bona fide. Vnde duplex oritur adquirendi dominii ratio ex jure civili, mancipium, & usucapio. Mancipium dicitur quasi manu capio per traditionem; usucapio vero quasi capio per usum, sive per possessionem. Quae usucapio introducta fuit, ne dominia in incerto diu manerent, & simul ut rerum domini verentes juris civilis potestatem, quae dominium ab iis tacite ad diversos possessores transferebat, cautius res custodirent, atque tuerentur suas: ac denique ut certo tempore litium facultas perimeretur. Quamobrem Decemviri statueruut, ut mobiles quidem res anno; fundus vero biennio usucaperetur: hoc est redigeretur in dominium illius, qui rem illam anno, aut fundum biennio bona fide possederit. Fundi autem nomine quaelibet res immobilis, & etiam aedes comprehenduntur: non quia manifesta vocabuli proprietas eas etiam complectatur; sed quia vis, & ratio

(a) lib. 1. de offic.

Digitized by Google

ratio legis etiam ad aedes extenditur: ut colligitur ex his Ciceronis verbis: (a) *At utimur eodem jure usucapionis in aedibus, quae in lege non appellantur*, & alibi: (b) *Aſt in lege aedes non appellantur: & ſunt ceterarum rerum omnium, quarum annuus eſt uſus? Valet aequitas, quae paribus in cauſis paria jura deſiderat.* Fundi autem appellatio ad rem omnem porrigitur, quae ſolo tenetur. (c) Et quia tempore inſtitutae uſucapionis Romanorum ditio nondum exceſſerat Italiam: res italicae ſub uſucapionem ceciderunt, eaeque res mancipi dicebantur, quia proprietatem privati etiam nanciſcebantur illarum: rerum vero provincialium, quia tributa pendebant populo Romano, ſolus populus proprietatem adquirebat, privati tantum poſſeſſionem: unde nec mancipi mancupabantur, & tantum rerum mancipi, ſive italicarum erat uſucapio; non vero rerum, nec mancipi, ſive provincialium. Sed quoniam Juſtinianus hanc differentiam ſuſtulit, (d) coactus quoque fuit aliis etiam in articulis a veteri jure diſcedere. Cum enim uſucapionem extendiſſet etiam ad praedia provincialia, quae ſita procul erant; viſum fuit inhumanum ſetinere intervalla temporum eadem in diverſitate regionum. Vnde propter locorum longinquitatem, tempora quoque produxit uſucapionis, & annuum ſpatium, quod erat uſucapiendis mobilibus conſtitutum, ad triennium protraxit; tempora vero ad uſucapionem immobilium juſſit eſſe decem annos inter praeſentes; viginti vero inter abſentes.

(a) *orat. pro Caecin.*
(b) *in topic.*
(c) *l. quaeſtio. ff. V. S.*
(d) *inſtit. de uſucap. & C. de uſucap. transform.*

Sed

Sed quid ad hunc Vlpiani locum respondebimus? ubi scribit: (a) *Vsucapione dominia adipiscimur, tam mancipi rerum, quam non mancipi.* Ergo & ante Justinianum usucapionis jus ad res etiam provinciales excurrebat. Hanc difficultatem neque Balduinus, neque alii ante Cujacium animadverterunt; qui ut eam solveret, locum hunc accepit de rebus mobilibus tantum ac se moventibus: quae docet etiam ante Justinianum usucapioni patuisse. (b) Sed neque peregrinis, ut diximus, jus usucapiendi dabatur, neque permittebatur cuiquam rei furtivae usucapio: quippe quae initium capere non potest nisi a bona fide. Quamobrem ex legibus XII. tabul. adversus hostem, sive peregrinum aeterna est auctoritas, hoc est salvum semper, & integrum est rei dominium, ita aut nunquam peregrinus possit rem usucapere civis Romani, quia cum peregrinis non est commanio juris civilis: item rei quoque furtivae aeterna est auctoritas, nempe nemo fur dominium rei furtivae adquirit, propter malam fidem, ut & subjectis duarum legum fragmentis apparebit.

(a) Inst. lib. cap. 19.

(b) Paraf. Ff enarr. ad C. de usucap. transfer.

Vsus auctoritas fundi biennium; ceterarum rerum annuus usus esto.

Furtivae rei aeterna auctoritas esto: adversus hostem aeterna auctoritas esto.

Vsus) significat possessionem.

Aucto-

Digitized by Google

Auctoritas) significat dominium, ut sit dominium ex possessione quaesitum. Hinc Harmenopolus κυρίοτης διὰ χρήσεως; unde genitivum hic esse arbitror *usus* contra ceterorum sententiam: hoc sensu ut dominium rerum immobilium biennio; mobilium, seque moventium anno ex continua possessione adquiratur.

Hostem) scilicet peregrinum, quo vocabulo veteres Romani satis humaniter etiam perduellem appellarunt; postea vero amisit significationem *peregrini* vox haec, & eam perduellis retinuit, quam ab origine non habuerat; unde Ennius de Scipione Africano:

Hic est ille situs cui nemo civi neque hostis
Quivit pro factis reddere opere pretium.

& Plautus: *si status conditus cum hoste intercedit dies*, & Cicero de offic. 1. itaque sensus est nullo tempore peregrinus rem civium Romanorum usucapit.

XXXX. DE TESTAMENTIS.

Ac superiora quidem inter viventes vertuntur: nunc ad ea veniamus, quae a morte proficiscuntur aliena; nempe ad jura testamentorum. Cujus vocabuli originem, qui a testatione mentis trahunt, ii Servi Sulpicii (a) auctoritatem, cui alioqui nemo sanus non tribuerit plurimum, manifestae veritati anteponunt. Is enim hanc primum nominis rationem protulit. Unde non inurbane Valla, Gellio auctore, jocatur: quasi & fragmentum fractionem mentis, & lo-

(a) Gell. lib. 4. cap. 12.

Digitized by Google

mentum, lotionem mentis, & calceamentum calceationem mentis dicere possimus. Revera igitur non est ex pluribus compositum vocabulum; sed potius natum a verbo *testor*, tamquam *testamen*, unde *testamentum*: ut a *munio munimen*, postea *munimentum*, & a *doceo documen documentum*. Quamobrem recte Cujacius (*a*) arbitratur jurisconsultos morem Stoicorum secutos eam commentos non raro fuisse originem, quae rei naturae conveniret: ratione scita potius & concinna, quam vera. Sed jam a nomine ad rem ipsam veniamus. Testamentorum jus quamvis apud omnes fere gentes celebretur, quia tamen certis ritibus, ac solennibus formulis, e quibus ultimae voluntatis auctoritas pendebat, a Romanis munitum fuit, atque fundatum; propterea dicitur esse profectum a jure civili, ac primo ex moribus: qualia fuere testamenta, quae dicuntur in procinctu, quae a tempore Coriolani Plutarchus ducit. (*b*) Eorumdem postea facultas, ac ratio instituta fuit ex legibus XII. tab; quae latissimam patrifamilias potestatem super re sua testandi permiserunt, longeque pleniorem, quam tribuerat suis legibus Solon, quem etiam in hac testamentaria re Decemviri condendis legibus imitabantur. (*c*) Ante Solonem enim non licebat Athenienſibus res proprias morientis auferre successoribus legitimis: At Solon, qui testandi facultatem primus detulit, non tamen omnem, sed eam tantum voluntatem decedentis probavit, quae a testatore sine liberis decedente incolumi, ac prorsus tum a morbo, tum

(a) *lib. 11. observ. cap. 37.*

(b) *in Coriolano.*

(c) Plutarch. in Solon. *vide* Petit. *ad leg. Attic.* Demosth. *pro Coron.*

Digitized by Google

tum a medicamentis, tum a vinculis, tum a muliebribus blanditiis libero prodiret. Plena vero potestas testamentis ex legibus XII. tab. accessit: nam exceptis iis, qui poenae nomine redduntur intestabiles, & qui administratione rei suae lege privantur; (a) liberum fuit, exclusis etiam liberis, hereditatem, & bona sua testamento relinquere. (b) Huic tam amplae testandi facultati modum posuerant aliquem latae deinceps leges, nempe Voconia, Furia, AElia, quae sequenti libro erunt explicandae. Quamobrem legem ipsam jam adferamus.

(a) *l. in cui lege ff. de test. & qui test. fac.*
(b) *Instit. de leg. Falcid. in princ.*

Paterfamilias uti legassit super pecunias, tutelaevae suae rei ita jus esto.

Legassit) legare apud Decemviros non modo singulas res testamento relictas, sed & omne testamentarium negotium complectebatur, & ipsam heredis institutionem. Etenim *legare* significat *statuere*, *decernere*. Unde Livius libro primo *Regnum vetustae Sylviae gentis legat*; (c) *legassit* autem est ab antiqua scribendi ratione pro *legarit* posito *s.* pro *r*, ut *esit* pro *erit*.

(c) *l. verbi. 120. ff. V. S.*

Super pecuniae) ita legitur in Pandectis Florentinis (d) posito secundo pro sexto casu more Graecorum, ut observavit Cujacius, (e) qui antiquam hanc lectionem primus variis in locis juris restituit; aliaque more Graecorum usurpata notavit, Antonius etiam Augustinus, & Brissonius. Porro *pecuniae* significatio hic ad

(d) *l. saepe. 55. ff. V. S.*
(e) *super l. 28. 29. ff. d. V. S.*

Digitized by Google

(a) *l. pecuniae verbum, & pecuniae nomine ff. V. S.*

omnia extenditur; non tantum scilicet ad pecuniam numeratam, sed ad mobilia etiam, & immobilia, & ad jura omnia. (a)

XXXXI. DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO.

Occurrunt nunc successiones ab intestato, quibus locum in XII. tabulis fuisse post leges de testamento ex Vlpiano colligitur. (b) Intestatus autem dicitur non is tantum, qui sine testamento moritur, sed & is, cujus testamentum destituitur: immo intestatus non a mortis, sed a destituti testamenti tempore perhibetur: unde proximorum nomine veniunt non ii proximi, qui testatore decedente fuerunt, sed qui tempore destituti testamenti reperiuntur. (c) Igitur ad intestati hereditatem lex XII. tab. primo vocabat suos, deinde agnatos, postremo gentiles. Sui dicuntur filii, aut nepotes, qui ab ipsa quodammodo natura instituuntur heredes, atque vivente adhuc patre rerum paternarum domini nascuntur: eoque mortuo tales non fiunt, sed fuisse detegunt tur. (d) Patefit enim dominium eorum, quod patria potestate obumbrabatur. Vnde primum filiis locum in successione omnium gentium jura tribuerunt: eosque Jurisconsulti heredes etiam necessarios appellarunt, quia cum nascantur heredes, nequeunt se tales negare si velint. Ideo beneficio Praetoris opus eis fuit, ut possent hereditate paterna, quam sibi damnosam suspicarentur, abstinere. Non solum autem filii, aut nepotes jam nati suorum nomine comprehenduntur; sed etiam postumi, qui, nisi pater decessisset, in ipsius potestate nati essent. (e) Filiorum etiam nomine veni-

(b) *l. 1. ff. si tab. sest. nul. ext. ab.*

(c) *l. post consanguineos. §. 6. ff. de suis & legit. & §. proximus. Instit. de legit. agnat. succes.*

(d) *§. 2. Instit. de hered. qualit. & diff.*

(e) *l. 4. C. de suis, & legit. & §. 2. Instit. de hered. quae ab intest. defer.*

Digitized by Google

veniunt filiae: ac naturalis ratio suasit Decemviris, ut sine sexus discretione par jus in successione suorum, & agnatorum masculis, ac foeminis ex agnatione tribuerent: (a) quamvis id sequentibus temporibus mutaverit, variis editis legibus libro sequenti explicandis, quae foeminis facultatem succedendi minuerunt. At agnatorum nomine consanguinei primo veniunt, etsi peculiari quoque nomine notentur, quales sunt frater, & soror ex eodem patre, qui cum proprie consanguinei appellentur, lege XII. tabul. generali agnatorum nomine comprehenduntur. Consanguinei autem proxime [post] suos vocantur (b) deinde ceteri; etsi decimo gradu sint agnati ex ordine, atque gradus praerogativa. Ac tanti fecerunt agnationem Decemviri, ut eos, qui agnati non essent, a legitima hereditate submoverint: unde neque mater, & filius invicem succedebant: quia quamvis a matre, ac patre oriatur agnatio, mater tamen agnatione non continetur. Neque vero matri suus heres filius agnascebatur, quia mulieres filios in potestate non habent: ideoque neque ex eo capite filius matri succedere poterat. (c) Quam juris asperitatem postea lenivit S. C. Tertullianum, de quo libro sequenti. Post agnatos, gentiles vocabantur, sive qui eadem de gente essent, non ex eadem familia. Quorum jus postea cessavit: unde nihil hic explicandum supereſt praeter id, quod supra de tutelis exposuimus. Ceterum ex lege XII. tabul. hereditas inter paris gradus agnatos in capita dividebatur. (d) quod ex abdito sensu legum potius, quam ab ipsis verbis

(a) *Instit. de legit. agnat. succ. §. 3. l. penult. & ult. C. de legit. hered.* Paul. *4. sent. 8. §. 3.*

(b) *l. 2. ff. de suis, & legit. §. 1. instit. de legit. agnat. succes.*

(c) *Instit. de S. C. Tertul.*

(d) *l. 2. §. 2. ff. de suis, & legit.* Vlp. *Instit. tit. 26. §. 4.*

Digitized by Google

deductum existimaverim, cum nihil expresse cautum inveniatur. Verum si cum patruo concurrant filii mortui fratris: ii non suo proprio jure veniunt, sed patris defuncti, cujus locum ingrediuntur: ideo non singuli aequalem cum patruo partem; sed simul omnes eam portionem hereditatis auferent, quam pater eorum, si viveret, habuisset, cujus mortui jus filii repraesentant: quae successio dicitur in stirpes; quia non per singula capita aequaliter, sed ratione gradus, quem praeferunt, hereditas avi inter filium, & nepotes ex mortuo filio dividitur. Illud vero ad antiquitatis cognitionem scitu dignum arbitror, quod Gellius ex Labeone retulit: (a) *virginem Vestalem neque heredem esse cuiquam intestato, neque intestatae quemquam: sed bona ejus in publicum redigi.* Jam vero ipsa legis verba proferamus.

(a) *lib. 1. cap. 12.*

Ast si intestato moritur, cui suus heres nec escit, agnatus proximus familiam habeto. Si agnatus nec escit gentilis familiam nancitor.

Ad hujus legis interpretationem satis meminisse fuerit *escit* significare *erit*:

Familiam accipi pro *hereditate*, & *nancitor* exponendum esse nanciscitor. Sequitur lex de libertis intestato morientibus, (b) qui si suum heredem non habeant, heredem ex legibus XII. tab. habebunt patronum, vel patroni liberos in capita hereditate divisa, & gradibus remotioribus excluſis; (c) itaque si filius patroni supererit nepotes

(b) Vlp. *Instit. tit. 29.* & Justin. *Instit. de succes. libert. in prine.*

(c) *l. 23. §. 1. ff. de bon. libert.*

Digitized by Google

potes ex filio mortuo removentur. Cum autem lege XII. tabul: libertus teſtamento poſſet excludere patronum; Praetor legis aſperitatem correxit, edictoque ſuo patronum vocavit ad dimidium bonorum, ſi libertus teſtamento facto nullum ſibi ex naturalibus liberis ſucceſſorem reliquiſſet; aut ſi ab inteſtato decedens uxorem, quae in manum convenerat, vel adoptivum filium habuiſſet: nam aeque pro dimidia parte ad bonorum poſſeſſionem patronus veniebat. (a) Legis autem verba haec propemodum fuere.

(a) Vlp. *ibid.*

Si libertus inteſtato moritur, cui ſuus heres nec extabit, aſt patronus, patronique liberi eſcint, ex ea familia in eam familiam proximo pecunia adducitor.

Adducitor) hoc eſt addicitor, vel additor.

XXXXII. DE DIVISIONE HEREDITATIS.

Mortuo teſtatore, pluribusque relictis heredibus contrahitur ſtatim inter eos tacita ſocietas, & naſcitur communio juris: adeo ut in ſingulos, & in univerſos, defuncti jura omnia transeant, rerumque dominium, & actiones, atque obligationes ejusdem. Vt autem ſucceſſio ad exitum perducatur, neceſſaria fuit jurium & bonorum inter heredes diviſio, quae vel a jure ipſo, vel a magiſtratus arbitrio procedit. (b) Dividuntur ipſo jure actiones, & obligationes, ut ſinguli heredes per XII. tabul. obligationibus hereditariis, & creditoribus defuncti pro hereditaria portione teneantur: & ſimul actiones pro eadem portione adver-

(b) *l. 25. §. 8. & §. 13. ff. fam. erciſc. l. 1. C. de except. l. 1. C. ſi certum petatur.*

Digitized by Google

adversus hereditarios debitores nanciscantur ex leg. XII. tab. ex quibus quia tantum heredes creditoribus hereditariis subjiciuntur, ideo prudentes ducti verbis, & sententia legis legatarios his oneribus exemerunt: uti tamen legata nonnisi aere alieno deducto praestentur. (a) Alia divisio ceterarum rerum, & bonorum inducitur per arbitrum familiae erciscundae, sive hereditatis dividendae. (b) Nam leges XII. tabul. praecidendis discordiarum radicibus, quae communione prodeunt, instituerunt, ut si heredes in ea manere nolint, arbitrum peterent a magistratu, qui suas portiones ex testamento singulis attribuat: unde actio prodiit familiae erciscundae. Cujus legis capita in duas ab Hotthomanno distracta leges; in unam Gothofredus junior coëgit, meo judicio, rectissime, propter brevitatis studium, quod ubique Decemviros tenuit. Sunt autem haec:

(a) *l. creditores 7. & ult. C. de hereditar. action. & l. 10. C. jur. delib.*

(b) *l. 1. ff. fam. erciscund. & l. 2. C. eodem.*

Nomina inter heredes pro portionibus hereditariis ercta cita sunto. Caeterarum familiae rerum ercto non cito si volent: erctum citum faciunto. Praetor ad erctum ciendum arbitros tris dato: sive

Defuncto creditore, vel debitore, ejus heredes pro portionibus hereditariis convenire, & conveniri tantum possunt: ipsoque jure inter eos obligatio dividitur. At ceterarum rerum, si volent, heredes divisionem faciunto: ad eam divisionem Praetor tres arbitros dato.

Ercta cita) magna est de harum vocum ori-

Digitized by Google

origine, ac significatione dissensio. Festus enim verbo *erctum*, putat *erctum* a *coërcendo* dictum; *citum* a *ciendo*, *ciere* autem Donatus ad VIII. AEneid. explicat *dividere*, unde *citum divisum* ex illo Virgilii.

- - - citae Metium in diversa quadrigae
Distulerant.

Vnde Jacobus Gothofredus *erctum*, sive *coërcitum* accipit pro *indiviso*. Mihi olim placuit deducere ab ἐρκίζειν, sive ἕρκιον, quod est quasi septum, ut significet *septum dividere*. Sed cum veteres habuerint *horctum*, quod est *bonum*, suspicor *o* in *e*, ut saepe mutata, natum esse *herctum*; *citum* autem a *cio*, quod est divido, a veteri χίω, unde χίζω divido. Inde composita est vox *erciscere*, quasi *erctum*, sive *bona dividere*.

XLIII. DE STATVLIBERIS.

Fuisse creditur & in XII. tabul. legem de statuliberis: cujus cum nullae ad nos reliquiae pervenerint, satis fuerit sententiam illius ex Hotthomanno depromere, qui eam ex variis juris auctoribus collegit. Continebat autem ea lex, ut quando testator servum aliquem, cum is certam heredi pecuniam dabit, liberum esse jussisset; si cum heres abalienaret; tamen si emtori eam pecuniam servus daret, liber esset, (a) quamobrem legem eam Gothofredus ita concipit.

(a) *L. statu l. 28. ff. de statu lib.* Vlp. *Instit. tit. 2. de Statul.*

Statuliber emtori dando liber esto.

XLIV. DE MANCIPATIONIBVS.

Nunc a testamentis ad contractus transeamus, & primo ad eos, qui mancipatione, ac nexu ini-

Digitized by Google

finibanter, quae verba satis patebunt, si in memoriam redeamus eorum, quae attulimus de usucapionibus agentes, uberiorem vero notitiam in actibus solennibus inferius explicandis adferemus. Ad id autem, quod habemus in manu, satis fuerit nosse mancipationis nomine venire venditionem earum rerum, quarum in dominio nostro proprietatem habemus, quae res mancipi nuncupantur, ut mobilia sunt, & praedia italica: non autem provincialia praedia, quae tantum possessiones appellantur, quod possessio tantum eorum apud privatos, dominium vero maneat apud Pop. Rom.

(a) Boët. *in topic. Cic.* 3.

(a) Nexus vero erat legitima dominii ex jure civili transferendi ratio, sine qua nihil in dominium transire poterat alicujus. Emtor enim, qui sine nexu, hoc est non adhibito libripende & quinque testibus, rem acceperat; percipiebat quidem rei venditae utilitatem ex consensu venditoris; minime tamen rei dominium adquirebat. Ideo venditor ille, quia dominium ex jure Quiritium retineret, Quiritarius dominus; emtor vero bonitarius appellabatur, quod venditorum bonorum utilitatem potius, quam dominium assequeretur. Vnde mancipatio, quae venditio est nexu contracta, inter nexus genera refertur: cum alii quoque contractus & etiam testamenta ubi eaedem solennitates adhibebantur, nexus quoque nomine veniant. Res vero, quae mancipi non essent, sub nexum non cadebant, ideo dominium eorum transferebatur per cessionem in jure; de qua in actibus legitimis. Nunc Decemvirorum sensus in ven-

Digitized by Google

venditionibus rerum mancipi, ceterisque contractibus formam juris civilis habentibus, sive in mancipationibus, & nexibus omnibus inquiramus. Igitur Decemviri, ut fraudem omnem a contractibus averterent, quaecumque contractus verbis comprehenderentur praestanda jusserunt, (a) sive ut lex ait *quae lingua essent nuncupata*, idque cum in venditionibus, tum in contractibus aliis, qui omnes clauduntur verbis illis: *si nexum faciet mancipiumque*. Quam in contractibus fidem postea JCti non minori studio exegerunt jubentes, ut non modo quod expressum, sed & quod suppressum esset, praestaretur: (b) fallit enim emtorem venditor non modo, si plus de re vendita promittat, quam re vera in est; verum etiam si reticeat vitium in ea latens: utroque modo enim res pluris, quam est digna, aestimatur. Vtinam hoc insideret casuistis nostris! Prudentum vero auctoritatem, qua vitiorum reticentia damnabatur, munivit etiam Aedilis edicto suo, quo contrahentium fallaciis occurrit, ut late in titulo Digestorum *de aedilitio edicto*. Nec sciens modo, sed etiam ignorans venditor vitium rei, quod reticuit, praestabit actione ex emto, quanto minoris erat venditurus si vitium indicasset; si reticuerit sciens damna praestabit omnia, quae ex venditione illa emtor traxerit. (c) Non tamen venditor tenebitur, si rem vitio carentem verbis extulerit; commendationem enim rei suae suggerit ipsa natura. Si vero patefacto vitio venditor inficietur, dupli poenam ex XII. tab. lege subibit. (d) En legis verba:

(a) Festus *verbo nuncupata*. Varro 5. *de Ling. Lat.* c. 7. Cic. *de orat.* 1. & *pro* Caecin. & 3. *de off.*

(b) Cic. *de of.* fic. 3.

(c) L. *Julianus ff. de act. emt.*

(d) Cic. *de of.* fic. 3.

Digitized by Google

Quom nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupassit, ita jus esto; si inficias ierit duplione damnator.

Nexum) *nexus* nomine veniunt contractus omnes, in quibus more veteri, de quo inferius, libripens, & quinque testes adhibebantur, ut quod ex jure gentium procedebat, juris civilis formam indueret, actionemque pareret inter cives Romanos.

Mancipiumque) mancipium facere, est abalienare rem mancipi, & dominium in alios transferre per nexum, sive solennia Juris civilis.

Nuncupassit) nuncupare significat nominare: (*a*) hinc scriptae pecuniae, ut ille refert, in legibus nuncupatae dicebantur. (*b*) Superiori lege consulitur emtori, ne in fraudem inducatur. Sequitur alia, qua Decemviri prospexerunt venditori, ne rei dominium ante acceptum pretium amitteret. Ideo rem, etsi tradidam, tamen dominium mutare voluerunt, nisi emtor, aut precium reddidisset aut alio modo satisfecisset, puta fidejussore, aut pignore dato, quibus pro precio caveretur. Quod ex legibus XII. tab. descendere praeter Justinianum, (*c*) colligitur ex Varrone. (*d*) Si autem obtulerit precium emtor, nec venditor acceperit, aut fidem de precio emtori habuerit, videtur precium quasi persolutum, ideoque dominium transibit in emtorem. Sed jam legis quae superfiunt verba subjiciamus.

(a) Varro. 5. de ling. lat. cap. 7.
(b) Festus in verbo nuncupata.
(c) §. vel venditae. Instit. de rer. divis.
(d) Lib. 2. de re justic. & quod venditi. ff. de contrahend. emt. & l. 5. §. sed & ff. de trib. act.

Res

Digitized by Google

Res vendita transque data emtori non adquiritor donicum satisfactum escit.

Transque data) hoc est tradita, a *trans* enim, & *dare* fit *transdere*, inde elisso *s* fit tradere.

Donicum) antique pro *donec*.

XLV. DE COLLEGIIS, ET SODALIBVS

Occurrit nunc ex eo, quem sequimur ordine, lex de collegiis, vel sodalibus: quae vulgo institui minime poterant. Non enim omnibus leges permittebant certum, ac seorsum a ceteris civibus corpus una conveniendo componere, ne de coëuntibus consiliis privatorum, publicum aliquando malum erumperet. Quamobrem certa erant, ac praefinita collegia, & coetus privatorum, quibus lex coëundi simul veniam dederat. Ac Decemvirorum aetate, sub quibus lex de sodalibus prodiit, non alios Gothofredus fuisse sententia legis comprehensos arbitratur, & sodalitii jus habuisse, quam fratres Arvales: quorum collegium Romae fuit antiquissimum ab aetate nempe Romuli: qui Accae Larentiae nutrici pro filio esse voluit, postquam ex duodecim, quos habebat illa, unum amisisset: seque simul cum undecim fratribus sacerdotem appellavit Arvalem. (a) Quod sacerdotium frugum a Diis petendarum, ac finium discernendorum, litiumque ipsius modi judicandarum causa fuit institutum, (b) ut ex veteri glossa Cujacius retulit. (c) Plura deinde similia Romae, sicut & nostris temporibus instituta fuere collegia vel sacerdotum, vel artificum, prout legibus adpro-

(a) Plin. l. 18. c. 2. & Gell. lib. 6. cap. 3.

(b) Varro l. 4. de ling. lat.

(c) obs. l. 11. c. 5.

bantibus publica poscebat utilitas. Quibus conveniendi, sibique jus certum condendi facultatem tribuit lex XII. tabul. ducta a lege Solonis Cajo relata. (a) Quam aliter Cujacius (b) ex libris Basilicorum; aliter quoque Salmasius: aliter Heraldus; aliter tandem Petitus legerunt. Verum ne tam fuse, ac varie disputata retractemus, suum cuique judicium relinquimus, illud vero praeterire minime possum, quod Salmasius non tam fortasse docendi, quam contradicendi studio scripsit: illicita nempe fuisse veteribus Athenienſibus collegia praedonum, propter infamem vitae illius rationem, communi judicio reprobatam: unde verba illa in lege Solonis ἐπιλείαν vertit in κακηλείαν, & pro collegio praedonum substituit collegium circumforaneorum, & popularum, qui a praedonibus emunt, ut carius vendant. Qua in re de industria videtur oblitus illius Tucydidis, (c) scribentis vetusta aetate praestantissimum quemque virum, & ipsos heroas in mare praedatum exisse tantum, ut a suis civibus abstinerent. Quod fuit honorificum vitae genus, tamquam privatae imago militiae, ut non mirum, si mos hic non omnino, neque omnibus ex partibus tempore Solonis evanuerat. Adest & Homerus, (d) apud quem sine offensione Telemachus a Nestore interrogatur, an praedae causa eo appulisset? Ob eamdem causam & Petiti (e) emendationem quoque rejecerim, qui legit ἐπιλείου ad *frumentum*: cujus significationis auctorem habet Hesychium. Sed ne de collegiorum generibus laboremus, quae licita essent, quaeve illicita, satis

(a) l. ff. de colleg.
(b) obs. l. 3. c. 30.
(c) initio lib.
(d) Odis. 3.
(e) ad leg. Attic. pag. 418.

Digitized by Google

satis erit nosse illa fuisse licita, quae fraude malisve artibus carerent. Quaecumque autem collegia legibus permitterentur, ea certi juris condendi sibi facultatem habebant, dum ne publicis legibus adversarentur. Hinc lex quae sequitur:

Sodales legem quam volent, dum ne quid ex publica lege corrumpant sibi ferunto.

XLVI. DE JVREJVRANDO.

Porro cum nullum habeant homines vinculum firmandarum pactionum jurejurando firmius; ideo cautum fuisse de jurejurando legibus XII. tab. oportet: atque inde legem traxisse Ciceronem (a) de religione jurisjurandi hanc.

(a) Cic. *de offic.* Gell. *l.* 7. *c.* 18.

Perjurii poena divina exitium, humana dedecus esto.

XLVII. DE FOENORE.

Inter contractus crebra in civili vita est foeneratio, propter dissolutos mores eorum, qui absumtis propriis, indigent alienis. Rarior vero est in bene constituta republica, unde foeneratio exulat simul cum luxu, & intemperantia egestatis parente, ac voragine patrimoniorum. Luxuries enim exoriens, quas invenit, brevi superat, ac tandem atterit opes: e quibus qui exciderunt occupati a vitiis, & eorum alendorum facultate spoliati, vel rapere coguntur vel quaestum, laboresque suos subjicere rapinis foeneratorum, quorum oportet avarissimas quascumque leges, atque intolerandas conditiones tota vita subire. Quamobrem priscis Romanae rei publicae temporibus, quando nondum peregrina

Digitized by Google

regrina luxuries ex Vrbe nativam frugalitatem ejecerat, sub levibus admodum usuris pecunia mutua dabatur: praecipue cum ea aetate nonnisi terrestris usura esset in usu, rei nauticae pertia nondum a Romanis comparata, in qua sese non ante primum bellum punicum exercuerunt. Crescit autem usura ex lucro pecuniae: quod a maritimis mercimoniis, & frequenti, ac celeri trajectione, ac venditione mercium venit. Ideo Athenis, unde facilis erat ad exteras oras appulsus, & crebri excursus, recessusque navium propter navigandi facultatem atque peritiam, & mercimoniorum facilitatem non a lege, sed a voluntate foeneratorum usuris ponebatur modus, unde quae apud Romanos maxima erat usura, nempe centesima: erat inter Graecos minima. Quamobrem & inter Romanos postquam mare pervium habuerunt, usurae etiam prodiere maritimae terrestribus, & communibus longe majores, propter pecuniae periculum, & lucrum navigationis. Modus autem a Decemviris constitutus usuris communibus, atque terrestribus maxime conveniebat frugalitati ac parsimoniae veterum. Non enim quaestum permiserunt supra usuras uncias, vel unciarium foenus, cujus origo atque cognitio est altius aliquanto repetenda. Sortem sive pecuniam foeneri occupandam Romani dividebant in centena denariorum, de qua summa, quam stipulari licebat usura, erat centesima pars in mensem, quae duodecies repetita reddebat in singulos annos uncias, hoc

Digitized by Google

hoc est partes duodecim: sive duodecim denarios annos. Eaque dicebatur usura centesima, sive quod singulis mensibus centesimam partem, nempe unciam redderet; sive quod centesimo mense usurae illae sortem aequarent. Quae usura quia duodecim continebat uncias in singulos annos, *aes*, vel *as usurarius* appellabatur: eratque veluti corpus & fons ceterarum, quae sub ea, veluti sub majori minores, continebantur: quia Romani rerum integritatem, sive rationem totius constituebant in duodenario numero: idque solidum putabant, & integrum in sua specie, quod partibus duodecim componeretur: ex eoque numero divisionis cujuslibet ratio deducebatur: hinc as hereditarius est hereditas integra in duodecim tribuenda partes. Multa enim, ut Varro ait, (a) antiqui duodenario numero finiebant. Hinc iisdem appellationibus partes assis, & partes usurae centesimae complectebantur, sive in singulos menses, sive in singulos annos quis eas stipularetur, annuae namque usurae cumulus erant plurium menstruarum, quae singulae ad annuam suae quantitatis usuram eamdem rationem habebant, quam unus ad duodecim. Vnde qui stipulabatur sex uncias annuas, poterat singulis mensibus reposcere semunciam, qui stipularetur annuas duodecim, poterat singulis mensibus exigere unciam, sive centesimam sortis partem: eademque ratione per reliquam usurarum quantitatem excurritur: revocantur enim omnes ad assis rationem, iisdemque nominibus

(a) *leg. 4. de ling. Lat.*

Digitized by Google

notantur. Unde usurae centesimae sunt uncia persolvenda singulis mensibus ex denariorum centenis. Semisses usurae sunt semuncia singulis mensibus, & semissis in annum. Trientes usurae sunt tertia pars unicae in mensem, quatuor unicae in annum. Quadrantes usurae sunt quarta pars unciae in mensem, tres unicae in annum. Sextantes usurae sunt sexta pars unciae in mensem, duo unciae in annum. Quincunces usurae sunt tertia & duodecima pars unciae in mensem, quinque in annum. Septunces usurae sunt dimidium, & duodecima pars unciae in mensem, septem unciae in annum. Besses usurae sunt duo trientes unciae sive duo tertiae partes in mensem, octo unciae in annum. Dodrantes usurae sunt tres quadrantes unciae, sive tres quartae partes in mensem, novem unciae in annum. Dextantes, vel decunces usurae sunt tres quadrantes, & duodecima, sive tres quartae partes, & duodecima unciae in mensem, decem unciae in annum. Deunces usurae sunt tres quadrantes, sive quartae partes, & duo duodecimae unciae in mensem: undecim unciae in annum. Denique asses usurae sunt uncia in mensem, vel quot mensibus; duodecim unciae quot annis, hoc est usura centesima, ad quam initio jam expositam, nunc partium enumeratione recurrimus. Cum autem stipulabantur usuras majores centesimis, tum assem multiplicabant, & partes ejus: exigentes aliquando supra legitimam usurarum summam, nempe binas, ternasve centesimas: ut nunquam tamen ab assis ratione discederent:

Digitized by Google

derent: quae ſumma eſt ratio apud Romanos diviſionum omnium, ſive perfecta cujusque integri corporis menſura, & numerus abſolutus. Eſt enim *as* quidquid ad μονάδα, & ad unitatis, quam vocant, rationem reducitur. Vnde quidquid eſt unum in duodecim tributum partes *as*, nempe totum appellatur, idemque eſt quod Graecorum εἷς. (a) Hinc *aſſa vox*, quae ſola ſine tibiis canit. (b) Fluxit autem *aſſis* vox a Doribus, Siculis, & Tarentinis, a quibus Romani, & nummum gravis ponderis nempe χαλκοῦν, & ipſius nomen acceperunt. (c) Nam ex Dorico ἄις Tarentini, & Siculi eliſa media litera fecerunt ἄς: indeque Romani utrumque vocabulum, nempe *aes*, & *as* habuerunt. Quorum olim nominum eadem erat ſignificatio, quia *aes*, & *as* primus nummus fuit Romanorum ex χάλκου, ſive aere percuſſus: unde *aes* pro *as* ſaepe veteres dixiſſe refert Varro. (d) Cum igitur ſummam uſurarum, nempe centeſimam vocarent *aſſem*; quando centeſimas multiplicabant, earum numerum per multiplicationem aſſium exprimebant, nempe treſſes dicebant, quatruſſes, ſextuſſes, pro ternas, quaternas, ſenas centeſimas: vel dupondiarium, ſive binas centeſimas, tripondiarium teinas. (e) Porro cum Siculi ἄς, & λίτραν quoque Dorice dicerent; Romani *as* etiam appellaverunt libram: quae vox orta eſt ex Graecorum λίτρα, & ita noſtra etiam aetate in magnae Graeciae regionibus certum pondus appellant. Quia vero pars duodecima λίτρας, ſive librae

(a) Salmaſ. *de uſuris pag. 576.*
(b) *idem de modo uſur. pag. 261.*
(c) Pollux. *lib. 9. vide* Scalig. *conject. in Varr. 4. de ling. lat. pag. 42.*
(d) *lib. 8. de ling. lat. pag. 132.*
(e) Salmaſ. *pag. 268. de modo uſurar.*

Digitized by Google

apud Siculos vocabatur ὐγκία, ut Aristoteles apud Pollucem docet; (a) ideo Romanis usurpatum fuit unciae nomen pro duodecima parte librae, sive assis. (b) Ceterae autem partes utrinque traxere appellationem suam, ut investigando patebit. Ab asse igitur usurario demta uncia supersunt undecim, sive *deunx*, quasi assis una demta. (c) Etenim *de* apud Latinos tollit, ut apud Graecos ἀπο: unde *demens*, hoc est sine mente, *destruere*, hoc est structuram tollere: undeviginti, vel duodeviginti, quasi viginti; una, vel duabus demtis partibus. Eadem ratione dicuntur usurae dextantes, sive decem unciarum: quia demta sexta assis parte, nempe sextante, supersunt decem. Vnde dicitur *dextans*, quasi *desextans*, hoc est *demta sexta*. Item dicitur *dodrans*, quasi dequadrans as: a demto enim quadrante supersunt partes novem, nempe dodrans. Quam nominis originem retineo donec in mentem venerit melior. Non minus tenebrarum invenio in voce *bes*, sive octo unciae: quam vocem Varro deducit ex veteri *des*: etenim saepe apud antiquos *d* pro *b*, sic *duellum* pro *bello*. Vnde Varro *bet* pro *des*, quasi demtis unciis quatuor, nempe triente: quo ablato supersunt partes octo. Festus inde dictum putat, quod *bes*, bis triens sit assis: nempe octo partes, quae dividuntur in duos trientes. Quam sententiam a Scaligero rejectam fulcit opinione sua Salmasius, putans olim dictum fuisse *dues* pro *bes*. *Duis* autem pro duo, unde *dues*, quasi duae partes assis, ac postremo *bes*, indeque natum ait, ut non *duesses* dice-

(a) *lib. 9. Vide* Scalig. *conject. in* Varr. *pag. 41.*

(b) Salmas. *de modo usur. pag. 24.*

(c) Varro *lib. 4. de ling. lat. p. 41.*

Digitized by Google

dicerent pro *duobus assibus*, sed *dupondium*: quia *duessis*, vel *bessis* vocabulam jam susceperat significationem duarum partium assis, sive duorum trientium. Quam ego Scaligeri (*a*) antepono conjecturae scribentis, *bes* sive *des* inde dictum, quia deinceps ab asse dematur: nam dodrans demit ab asse quadrantem; dextans duas uncias; deunx unam. Nihilo felicior est Vossius *bes*, sive *des* dictum existimans, quia demitur triens. Septunx origine sui nominis exse profert. Semis quamquam deduci potest ab ἥμισυ trajectis extremis literis, tamen Varrone auctore placet hanc vocem asserere linguae latinae, *se* enim significat dimidium, ut *selibra*, & *semodius*, quasi librae dimidium, & modii: atque ita *semis*, veluti *semias dimidium assis*. Sextans etiam Romanorum est vocabulum, quasi sexta pars assis: quod simile videtur graeco ἕξας ejusdem significationis. Magis tamen ad graecum sonum accedunt *quadrans*, & *triens*, significatione tamen a graecis diversa. Τρίας enim Graecorum, unde Romanorum triens, tres assis partes sunt, sive tres unciae: apud Romanos vero triens uncias continet quatuor: est etenim tertia pars assis. Τετρᾶς ad cujus exemplum natum est Romanorum quadrans, apud Graecos quotuor complectitur uncias: cum quadrans apud Romanos uncias complectatur tres, est etenim pars assis quarta. (*b*) His vocabulis apud idoneos, cultosque scriptores usurarius assis suis exprimitur partibus: pro quo barbari substituerunt duodecim pro centenario, vel undecim,

(a) *apud* Festum *in verbo* bes.

(b) Salmas. *de modo usur. cap. 6. pag. 255.*

Digitized by Google

vel decem, vel novem, vel octo, vel septem, vel sex, vel quinque, vel quatuor, vel tres, vel duo, vel unum: cum dicere oportuisset usuras, centesimas, deunces, dextantes, dodrantes, besses, septunces, semisses, quincunces, trientes, quadrantes, sextantes uncias: unde qui scribunt pecuniam foenerat ad rationem quatuor pro centenario, latine dicerent expeditius, pecuniam foenerat sub usuris trientibus, & ita in reliquis. Centesimae usurae, quam frequenter invenimus apud Scriptores veteres, insigne monumentum adducit ex veteri inscriptione Salmasius: (a) unde ratione bene subducta manifesto apparebit quantitas unciarum duodecim in annos singulos. Hanc non Romani exemplo Graecorum centesimam, ut Salmasius existimabat; sed Graeci exemplo Romanorum ἑκατόστου τόκου apellarunt, ut Gronovius ostendit: easdemque vocarunt, ob ea, quae praediximus, usuras asses. Quincunces, & deunces memorat Persius. (b)

(a) *de modo usur. cap. 7. pag. 273.*

(b) Satyr. 5.

Quid pedis? ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras avidos pergant sudare deunces.

Dextantium usurarum vestigium ostendit Salmasius in alia inscriptione, quam eodem capite adducit.

Dodrantium usurarum nulla mihi adhuc oblata est mentio. Usurarum bessium testis est Cicero ad Atticum (c) his verbis: *Foenus ex triente idibus quintilibus factum est bessibus.* Septunces usuras conservavit marmorea tabula testamenti Venetiis, quam eodem capite Salmasius explicavit. (d) Semissium

(c) *epist. 14. lib. 4.*

(d) *pag. 228.*

Digitized by Google

sium vero usurarum plura testimonia occurrunt, cum essent crebriores, utpote mediae inter maximas & minimas usuras: & finis graviorum, ac leviorum initium. Vnde Vlpianus. (a) *Et nisi posuerint heredes usuras leviores intra sex menses, sin minus usuras semisses Reipublicae pendant.* easdem semissales usuras Modestinus appellat. (b) Quincunces usuras praeter Persium Scaevola, (c) commemorat etiam, & Vlpianus: (d) apud quem etiam est mentio de trientibus usuris, (e) quas passim reperies apud veteres praecipue Lampridium, (f) Capitolinum, (g) Ciceronem. (h) Quadrantes usurae leguntur apud Scaevolam. (i) Sed nulla mentio in jure extantium. Tandem descendimus ad usuras uncias, nempe ad unciarum foenus, quod unum habitum fuit justum in legibus XII. temporibus nempe modestissimis, & mercatura quam rarissima: nondum aperto mari, commercioque aliarum nationum. Ad quas Romani aditum sibi armis patefecerunt, unde victores in Vrbem redeuntes, eam in servitutem dedere peregrinae luxuriae, quam secum advexerant. Crescentibus autem in dies rerum, hominumque commerciis, crevit etiam opulentia paucorum, cum plurimorum egestate: unde legitimum usurae modum superarunt: ut non raro novis legibus modestiam pristinam renovare oportuerit, & usuras effrenes coërcere. Nam & peregrinam luxuriam jam antevenerat avaritia: Etenim ab anno Vrbis usque CCCLXXII in Manliano tumultu ingravescentis foenoris testem habemus vocem Centurio-

(a) *l. 5. ff. de oper. pub.*

(b) Modestinus *l. 10. ff. de pollicitat.* Columella *lib. 3. cap. 3.*

(c) *l. creditor §. Titius ff. de solution.*

(d) *l. 7. ff. de admintst. tut.*

(e) *l. 7. §. 10. ff. de adminis. tut.*

(f) *in* Alexand. Sever.

(g) *in vita Antonini Pii.*

(h) *in epist. ad Attic.*

(i) *l. liberto 2. §. Largius. 4. ff. de ann. legat.*

Digitized by Google

turionis, qui se post multiplicem sortem persolutam, usuris eam semper mergentibus obrutum aere alieno quaerebatur. (a) Quamobrem anno A. V. C. cccLxxvi. Licinia lex a C. Licinio Stolone trib. pleb. Sp. Furio Medullino, P. Cloelio Siculo lata constituit, ut eo deducto de capite, sive de sorte, quod erat usuris pernumeratum, id quod superfuisset triennio aequis portionibus persolveretur. (b) Cumque a foeneratorum immanitate pauperum vulnera recrudescerent anno cccxcvi M. Duillius, & L. Moenius trib. plebis tulerunt, ut foenus ne majus unciario exerceretur, (c) quae fuit restitutio legis Decemviralis, (d) quod foenus anno cdvi, redactum fuit ad semiunciarium. (e) Tandem anno cdxi. L. Genutius trib. plebis tulit, ne amplius foenerari liceret. (f) Quod non longum permansit. Moribus enim in diem vitiatis, dum luxuria supergrederetur opes, excessit etiam usura legitimum XII. tab. modum; adeo ut legitima usura jam centesima duceretur. Vicit omnes tandem avaritia leges: ut foeneratores binas etiam, ternas, quaternas, pluresque centesimas stipularentur. Vnde Scaptius, teste Cicerone, quaternas postulabat centesimas (g) a Salaminiis. Plura exempla praetereo. Haec quantum tenuis nostra facultas tulit, ex involutissimis hac de re Criticorum commentariis, ac sane perplexis enucleate promere studuimus: & e variis, ac discrepantibus opinionibus eam selegimus, quae magis cum veteribus monumentis congruere videatur. Siquidem homines alioqui doctissimi foenus

(a) Livius *lib. 6. cap. 34.*

(b) Livius *lib. 6.*

(c) Livius *lib. 3.*

(d) Tacit. *lib. 6. annal.*

(e) Liv. *lib. 7.* Tacit. *eod.*

(f) Livius *eod.*

(g) *L. 5. ad Attic. epist. uls.*

Digitized by Google

nus unciarium cum usura centesima confuderunt: ne Accursium cum suis magis temporum barbarie, quam propria culpa interdum peccantem accusemus, qui usuras centesimas exponit eas, quae anno sortem aequarent; semisses quae dimidium sortis; trientes quae tertiam, quadrantes, quae quartam illius partem quotannis redderent. Manutius cum distinctionem annuarum usurarum, & menstruarum excogitasset, usuras annuas constituit semisses, besses, trientes; menstruas vero fecit centesimas, quae scilicet singulis mensibus redderent unciam. Et tam ipse, quam Adrianus Junius, Josephus Scaliger, & Rittersutius ad hanc legem, unciarium foenus acceperunt pro usura centesima: quibus nescio quam recte Salmasius accenseat Hotthomannum longe alia tradentem in expositione legum XII. tabul. Primam vero, & puram hujus eruditionis lucem extulit Hermolaus Barbarus in castigationibus Plinianis. Qua ducti Bartholomaeus Soccinus, Budaeus, Alciatus, Antonius Augustinus, Sigonius haec antiquitatis monumenta feliciter illustrarunt, ut postremo Salmasius, & Joannes Fridericus Gronovius, alter in tractationibus de usuris, alter in disputationibus tribus de centesima, & asse unciario singulis erroribus explosis, & veterum testimoniis explicatis diluerint quidquid adhuc tenebrarum incumbebat. Tandem ne quid ad legem Decemviralem pertinens reticeamus, cum absurdum videretur e pecunia re sterili pecuniam oriri, usuram supra unciam veteres turpiorem ipso furto duxerunt. Et-

Digitized by Google

enim furem in duplum, foeneratorem in quadruplum damnarunt: utpote cujus pecunia tamquam teredo obliguriret alienas opes, & ex Catonis sententia sanguinem etiam, & vitam hominum hauriret. Hinc lex:

Siquis unciario foenore amplius foeneratsit quadruplione luito. Est autem ut diximus, usura uncia, centesima pars, quae de sorte quotannis pendebatur.

XLVIII. DE CRIMINIBVS, ET PRIMO DE FVRTIS.

Expeditis civilibus negotiis transeamus ad delicta tum privata, tum publica, cum quibus tractationem de judiciis conjungemus, postremoque publicum jus universum, & leges ad religionem pertinentes explicabimus. Exordiemur autem a furto, quod Lacedaemones poena exemerunt, existimantes hoc veluti ludo exerceri pueros ad insidias militares, eademque furtorum licentia erat apud AEgyptios. (a) Draco tamen Athenienſium legislator cruentus, omnia genera furtorum capite punivit. Quam legem temperavit Solon, qui poenam capitis tantum ad furta graviora cohibuit. (b) Itaque furtum ad quinquaginta drachmas duplione multavit & carcere: supra vero quinquaginta drachmas furem ad undecim viros puniendum abduci jussit, itemque si noctu quis furaretur, aut in in balneo, aut in gymnasio, capite plectebatur: Sicuti & sacculariі, cingula incidentes, ut marsupium auferant, quos Plautus appellat sectores zonarios. (d) Non dissimile sanxit Plato

(a) Gellius *l.* 11. *c.* 18. Diod. Siculus *l.* 1.

(b) Petit. *ad leg. Attic. lib.* 7. *tit* 5. Gell. *l.* 11. *cap.* 18.

(c) Demosth. *contra Timocrat.* Pollux. *lib.* 4. *c.* 6.

(d) *in Trinum.*

Digitized by Google

Plato, (a) ut qui noctu furandi causa ingredientem occidisset, ei esset impune. Lex vero divina (b) nocturnum furem occidi permisit, non vero interdiarium ἡμερονύκτην, cui contrarius est ἡμερόκοιτος, (c) dormitator, fur nocturnus, ut appellatur a Plauto in Trinummo:

(a) *lib. 9. de legibus.*
(b) *Exod. 22.*
(c) Cujac. *obs. lib. 11. cap. 23.*

- - - - - - - - - - mira sunt
Hi illic homo sit, aut dormitator, aut sector zonarius.

Majoris autem periculi tempore, nempe nocturno cautiores esse opportebat hominis ab insidiis, & rapinis: a quibus ut malefici abstinerent, leges nocturni furis caedem impunitam dimiserunt. Quae fuit etiam sententia legis XII. tabul. in quas Atticarum legum convenere sensus. Igitur Decemviri nocturnum furem quoquo modo interfici permiserunt: ne, dum quis modum in re sua defendenda teneret, & quaereret; lucis ope destitutus, aut spoliaretur a fure, aut obtruncaretur. (d) Quamobrem Jacobus Gothofredus haud temere meo judicio suspicatur verba illa apud Cajum, (e) ubi legis hujus sententiam refert: *ut tamen id cum clamore testificetur*, adjecta fuisse a Triboniano cum Cicero (f) Seneca, eosque secutus Augustinus licere scribant furem occidere quoquo modo: nisi putemus interpretatione JCtorum XII. tab. verba flexa fuisse ad lenitatem. Interdiarii vero furis occidendi potestatem ita Decemviri fecerunt, si adversus dominum rem suam reprehendentem fur se telo defenderet, ac dominus quiritaret, sive publice Quiritium, nempe civium Romano-

(d) Gell. *lib. 11. cap. 18.* Theophil. *Instit. de perpet. & temp. act. Servius in 8 Aeneid.*
(e) *l. 4. ff. ad L. Aquil.*
(f) Ci. *pro Milone.* Seneca *10. controv. ult. in fin.* Aug. *quaest. sup Exod.* Cujac. *obs. 11. cap. 23.*

Digitized by Google

rum fidem imploraret, solennibus illis, ut mos erat, verbis:

Porro Quirites vestram fidem imploro.

Telorum autem appellatione veniunt fustis, lapis, ferrum, & quidquid denique nocendi causa comparatur. (a) Quid si deprehendatur a non domino? an idem ei licebit in furem? Hothomannus ait: quia lex XII. tab. indefinite loquitur, neque dominum nominatim significat. Alii negant, quibus durum videtur a non domino alienum damnum morte vindicari, nisi non tam ut furem, quam ut sicarium, qui arma expedisset, hunc etiam a non domino puniri dicamus: ut recte interpretatur D. Augustinus (b) inquiens: *Hoc etiam in antiquis legibus saecularibus invenitur, impune scilicet occidi nocturnum furem quoquo modo: diurnum autem si se telo defenderit: jam enim ptus est, quam fur.* Si vero fur neque noctu, neque cum telo deprehenderetur, verberibus caesus domino rei ad servile ministerium tradebatur. Verum humanioribus postea temporibus lex Portia pro dignitate civium Romanorum lata sustulit verberum poenam, & Praetor loco alterius poenae, qua fur tamquam servus domino addicebatur, substituit multam quadrupli ejus rei, quae surrepta esset. (c) Erga impuberes propter aetatem Decemviri fuere mitiores: non enim eos addixerunt; sed magistratus arbitratu verberandos dederunt, ut & noxam

(a) *l. 54. ff. de furtis.*

(b) *cap. 3. extra. de homicid. vol. vel casual.* Hothom. *in hanc leg.*

(c) *l. in furti 50. ff. de furt.* Contius, Cujac. Ant. Aug.

Digitized by Google

xam quoque sacrirent. (a) In servis vero supplicium exasperarunt maxime: ut enim in gravissimis criminibus consueverat, verberibus affectos e saxo Tarpejo dejiciebant, quam poenam leniorum temporum disciplina mitigavit. Si vero furtum sciente domino factum esset, is servum noxae tradere jubebatur. (b) Furtum vero non manifestum, quia inde abest audacia, quae merito in furto manifesto punitur, non quadruplo, sed dupli poena vindicatur etiam ex XII. tab. (c) Jus tamen domino erat cum fure transigere, atque poenam ei condonare; quam facultatem etiam a XII. tabul. legibus trahebat. Eaque pactione ipso jure furti actio tollitur, cum aliae pactiones neque ad perimendam, neque ad suscitandam actionem sufficiant. (d) Ideo autem hic pactiones actionem perimunt, quia paciscendi facultas ab ipsa lege conceditur. Nec tantum poena furti nec manifesti: sed etiam quadruplum furti manifesti, sive poena Praetoria, Cujacii sententia, pacto remittitur; (e) sicuti & pacto remittitur actio injuriarum ex lege Cornelia. (f) At quoniam ad ulciscendum furtum actionem poenalem, & condictionem in ipsam rem furto ablatam habemus; si super actione poenali decidatur, condictio supererit: & neque per actionem condictio, neque per condictionem poenalis actio consumitur. (g)

(a) Gell. *lib. 11. cap. 18.*

(b) *l. 2. §. 2. ff. de noxal. act.*

(c) Gell. *lib. 11. cap. 18.* Cat. *de re rustic. in proœm.* Cujac. *ad Theophil. Instit. lib. 4. tit. 8. §. 4.*

(d) Paul. *leg. 13. §. 1. ff. de pact.*

(e) Cujac. *ad l. 17. sive ad lib. 3.* Paul. *ad edict. §. 1.*

(f) *l. non solum §. 1. ff. de injur. l. stichū §. naturalibus ff. de solut. l. 1. & penult. C. de natural. liber.*

(g) Vlp. *l. 3. ff. de condic. furt.*

Digitized by Google

XLIX. DE FVRTO PER LANCEM, ET LICIVM.

Ad furti manifesti poenam leges XII. tabul. furtum redegerunt, quod per lancem, & licium conceptum dicebatur, a Gellio sine ulla illius explicatione memoratum. Vnde locum dedit posteriorum aetatum vaticiniis, & proximiorum praecipue temporum: quibus quasi non liceat quidquam ex antiquitate nescire, malunt eruditi argutando se, aliosque decipere, quam tantisper in re ulla dubitare. Nos quamvis, & augurari etiam possemus [non enim ut rerum, ita sumus & nugarum inopes,] abstinere tamen maluimus hanc a lectore molestiam; satis enim fatigabitur aliorum opinionibus cognoscendis: e quibus & nos afferemus aliquot, ac primo illam Alciati, (a) quam paucis immutatis adrogat sibi Pithoeus, (b) tradens Lictores, jubente magistratu, licio succinctos, ad ostendendam auctoritatem publicam, cujus licium erat insigne, cum alio comite judicium in lance, fidemque praeferente, furtum quaesitum in domos intrare consuevisse; indeque dictum esse *conceptum*, sive *inventum per lancem, & licium*; cum scilicet hac arte res furto ablata reperiretur apud ipsum furem: nam si a fure alteri res traderetur, & inde abduceretur, tum non conceptum, sed oblatum furtum dicebatur; suas etiam addidere interpretationes Balduinus, & Hothomannus. Caput vero interpretationum aliarum est ea, quam legimus apud Festum, & cum qua convenit Aristophanes in Nebulis, & Plato de legibus lib. 12.

(a) *lib. 1. paverg. cap. 8.*
(b) *subciss. lib. 1. cap. 2. Petit ad leg. Attic. lib. 7. tit. 5. de furtis.*

Digitized by Google

11. ad eumdem respicientes morem, de quo haec Festus : *Lance, & licio dicebatur apud antiquos; quia qui furtum ibat quaerere in domo aliena licio cinctus intrabat, lancemque ante oculos tenebat propter matrumfamilias, aut virginum praesentiam.* Quem Josephus Scaliger morem, ex supra demonstratis auctoribus ab Athenienſibus repetit, ac licium explicat cincticulum, quo qui furtum quaerebant nudi amiciebantur, dum aedes suspectas ingrederentur, ubi ne a matrifusfamilias; aut virginibus conspicerentur, lancem sibi ponebant ob oculos, & ingrediebantur nudi, ne aliquid inferre possent in eam domum fraudulenter, quo postea dominum illius calumnioſe accusarent uti furem, ob rem in ejus domo deprehensam, ut colligitur ex Aristophanis Scholiaste in Nubibus. Sed jam fragmenta legum ad furta pertinentium subjiciamus.

Si nox furtum faxit, si im aliquis occisit, jure caesus esto.

Si luci furtum faxit, si im aliquis endo ipso capsit verberator, illique cui furtum factum escit addicitor.

Servus virgis caesus saxo dejicitor.

Si servus sciente domino furtum faxit, noxiamve noxit noxae dedito.

Si se telo defensit quiritato, endoque plorato : post deinde si caesi escint se fraude esto.

Si

Si adorat furto, quod nec manifestum escit duplione decidito.

Si pro fure damnum decisum escit furti ne adorato.

Si furtum lance licioque conceptum escit atque uti manifestum vindicator.

Nox) pro noctu saepe vereres. (a)

(a) Macrob. 1. Saturnal. 4. Ausonius Popma de usu antiquae locutionis cap. 10.

Im) pro eum dixerunt veteres, ut notat Festus, & Macrobius eodem loco. Ennius:

Omnes corde patrem praebent, animoque parentem
Circumfusi im.

Endo) veteribus pro *in*, ut alibi.

Capsit) pro *ceperit*.

Escit) pro *erit*: ab *esum* pro *sum*, ut notavimus alio loco.

Quiritare) *clamare*, ab iis natum, qui Quiritium, hoc est Pop. Rom. opem in periculis implorabant. (b) Lucil.

(b) Lucil. 6. satyr.

Haec in quam rudet e rostris, atque ejulavit
Concursans velut arenarius clareque quiritans.

Endoplorato) ab *endo* pro *in*, & *ploro* veteres fecerunt *endoploro*: unde *endoplorato*, *implorato*, sive opem civium invocato. Festus.

Se fraude esto) sine fraude esto, hoc est impune esto.

Adorat) *adorare* prisce significabat *agere*. Festus in verbo *adorare*: atque hinc ait legatos dictos oratores, quod mandata populi agerent.

Decisum escit) transactum fuerit: *decidere* nam-

Digitized by Google

namque dicebant pro *transigere*, *paciſci*: quod loquendi genus ex uſu veterum J. Ctis inhaeſit, ut notavit Cujac. obſer. 10. cap. 11.

Lance licioque) quid ſit lance, & licio docuimus in contextu.

Conceptum) furtum conceptum ſcribit Juſtinianus dici, cum apud aliquem teſtibus praeſentibus res quaeſita erat, & inventa.

L. De Arboribus furtim caesis, et Fruge secta.

Non minori ſtudio, quam urbem Romani agros cuſtodiebant: cum ſecundum militiam, agrorum cultus apud eos eſſet illuſtris. Quo igitur a frugibus fures abſterrerent, graviter animadverterunt in eos, qui noctu fruges aratro quaeſitas, excultas, aut paviſſent, hoc eſt excuſſiſſent immaturas, aut maturas ſecuiſſent. Paveri enim frumenta veteres dicebant ea, quae de vagina, de qua nondum exiſſent, excudebantur, ut Feſtus docet. An idem quod *pavire*, unde *pavimentum*: quia *pavire* eſt *tundere*, & pulſare terram, ut aequetur, & condenſetur, unde & frumenta, quod excuterentur, *paviri* dicebantur? ductum eſt enim *pavire* a παίειν ferire, eſt igitur *pavire* quaſi *quatere*. Quoniam autem qui fruges alienas obtriviſſet, rapuiſſetve, Cererem, quae frugibus praeerat, laeſiſſe credebatur; ideo illum hominem Cereri devovebant, veluti gratam Deae victimam, & Cereri ſacrum appellabant, ſuſpendioque necabant. Qua in re non procul abiere Romani ab auſteritate Draconis Athenienſis legislatoris, quem Plutarchus refert, fures agrorum

Digitized by Google

pari cum sacrilegis, & homicidis poena damnasse: (*a*) lenius vero propter aetatem agebatur cum impuberibus: qui verberibus affecti damnum duplione sarciebant. Quae poena postea sublatis verberibus ex edicto Praetoris, & mitigata severitate legum XII. tabul. complexa est aetates hominum alias, & omnes casus: (*b*) unde porrigitur etiam ad arbores furtim caesas; pro quibus ex legibus XII. tab. constituta fuerat multa XXV aeris in singulas arbores: siquidem non furtum, sed damnum puniebatur, neque enim qui alienas arbores caedit, continuo furandi animum habet. Furtim enim caedere est cadere clam, potius alieni damni, quam sui lucri causa, ignorante arborum domino: nam si eo sciente, atque invito caedantur, non clam, sed vi caedi videntur: ideoque adversus reum oritur actio *de vi* longe gravior. (*c*) Igitur quia furtum ex furandi cupiditate constituitur; (*d*) ideo si furandi animus probetur, concurret cum hac actione actio etiam furti, & rei persequendae gratia condictio furtiva, vel actio ad exhibendum. (*e*) Immo & tamquam latrones puniuntur, qui arbores caedunt, & maxime vites, quarum est utilitas major: (*f*) unde colligitur ex hac causa posse actorem civili, & criminali judicio experiri. Quamobrem Servius ad illud Virgilii eclog. 3.

Atque mala vites incidere falce novellas

addit: *Fuerat autem capitale supplicium arbores alienas incidere,* Quid autem arborum nomine veni-

(a) *Vide* Baldum. *ad hanc leg.*

(b) Paul. *lib. 2. sent. ubi* Cujac. *tit. penult. & tit. 20. lib. 5. ubi idem* Cujac.

(c) Cujac. *ad l. 8. ff. de arb. furt. caes. sive ad lib. 39.* Pauli *ad edictum.*

(d) *l. furtim. 7. §. 11. ff. de arbor. furt. caes.*

(e) Cujac. *loco cit.*

(f) *l. 2. ff. de arbor. furtim caesis.*

Digitized by Google

veniat Vlpianus quaerit, docens & vites, & hederas, & arundines, & salicta ea sub apellatione contineri. (a) In duplo autem, quod ex Praetoris edicto venit, continetur, quidquid domino damni acciderit. Atque ut Cujacius notat (b) duplum in actione non est ertra rem: duplo inest res, quae abest actori; & poena est simpli tantum, quod rei accedit. Sed jam legem exhibeamus:

(a) *l. 3. ff. de arbor. furt. caes.*

(b) *l. 8. ff. de arbor. furt. caes. sive lib. 38. Paul. ad edict.*

Qui frugem aratro quaesitam furtim nox pavit, secuitve suspensus Cereri necator.

Impubes Praetoris arbitrio verberator, noxiamve duplione decernito.

Si injuria alienas arbores caesit in singulas xxv. aeris luito.

Nox) pro *noctu* prisce dici consueviſse supra jam ostendimus.

Pavire) ferire a παίω, uti diximus, interposito *v* consona factum est *pavio*, & inde *pavo*.

Duplione decernito) hoc est duplum pro noxa, sive damno praestare jubeto.

LI.
DE DOLO IN RE DEPOSITA.

Furto proximus est dolus in depositio admissus: quod crimen Decemviri duplione punierunt: hoc est, non ut aliqui explicant duplicibus fructibus; sed dupli ejus rei praestatione, quam quis custodiendam tradiderat; siquidem reus inficiaretur, ut Cujacius putat. (c) Quam sententiam

(c) *parat. C. depos. & in sent. Paul. lib. 1. tit. 19. l. 55. §. 1. ff. de admin. tut. Paul. apud Aust. collat. leg. Mosaic. tit. 10. de deposito.*

Digitized by Google

tiam his Jacobus Gothofredus verbis ad imitationem vetuſtatis expreſſit:

Si quid endo depoſito dolo malo factum eſcit duplione luito.

LII. SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICATVR.

Praeter ſuperiora damna, quae clam, & conſulto inferuntur agris, occurrunt ea, quae non hominis dolo, neque data opera, ſed caſu potius oriuntur; veluti quae veniunt a quadrupedibus, a quibus utpote rationis expertibus injuria nullus afficitur. Hinc Socrates, quod ira correptos homines mentis uſu carere arbitraretur, percuſſus ab homine irato, non plus commovebatur, quam ſi, ut ipſe dicebat, calcibus a bove peteretur. Igitur Decemviri, ut ſubvenirent dominis detrimento affectis ab aliena quadrupede, quae laſcivia, furore, aut feritate acta damnum dediſſet, ſtatuerunt, ut dominus quadrupedis ſi noxiae, ſive damni dati aeſtimationem ſubire nollet, quadrupedem noxae dederet, hoc eſt traderet ei, qui damnum accepiſſet. (a) Ideo hanc reo conditionem Decemviri deferunt, ut aut damnum ſuo ſumtu farciat, aut quadrupedem tradat. Cujus juris exordia odorari licet in lege illa Solonis de cane qui momorderat, quem quatuor cubitorum catena vinctum noxae dandum conſtituerat, (b) ceteraque ad pauperiem pertinentia ex attico jure in Romanum fluxiſſe credendum, ex eo praecipue, quod jus noſtrum hac in re maxime cum Platonis lege conveniat, qui forſan eam ex attico jure decerpſit. (c) Ex lege autem

(a) *l. 1. ff. ſi quadrupes paup. feciſ. dicatur.*

(b) Plutarch. *in* Solon. *pag.* 91.

(c) *lib. 2. de legibus.*

Digitized by Google

tem Solonia *de cane* Cujacius putat corrupte dici *Pesolaniam de cane:* eamque non aliam arbitratur legem, quam hanc Solonis, perperam appellatam ex corrupta scriptura *Pesoloniam.* (*a*) Democritus vero quadrupedem alteri noxiam necandam omnino jubebat. (*b*)

(a) *ad tit. 15.* Paul. *sent. 1.*

(b) Stoboeus *serm. 145.*

Adjungitur huic alia noxalis actio de pastu pecoris, nempe de damno dato a pecore in alienum agrum immisso, ut pariter aut pecus dedatur, aut damnum sarciatur: quam particulam superioris legis fuisse putat Hotthomannus, hac tamen ratione distinctam, quod pauperies damnum est cum detrimento rei, sive corruptae sive obtritae: pascendis autem pecoribus dominus quidem damno afficitur in re sua, sed res ipsa non corrumpitur, non labefactatur, quia non vertitur in usum alienum a sua natura: ideo discreverunt Decemviri has actiones, quas Paullus permiscet, quia distinctis ex initiis oriantur. Lege vero Salaminia si porcus alienam frugem depasceretur, ei dentes excutiebantur. (*c*) Recte vero Cujacius notat in has actiones pecudes venire, non bestias, (*d*) non canes, qui non sunt inter pecudes. Non deerat fortasse certum caput in XII. tab. ubi de damno ab homine dato cavebatur, quod adeo excidit, ut vix verba supersint ad indicium. Orta enim lex Aquilia, quae argumentum hoc luculentius credo tractabat, omne prorsus ad se studium J. Ctorum avertit: unde non mirum, si caput illud XII. tabul. jacuerit, ac denique perierit, sicuti, & ceterae leges de

LIII. DE PASTV PECORIS.

(c) AElian. *l.* Eust. *in odis. lib. 18.*

(d) *ad* Paul. *sent. lib. 1. tit. si quadrup. damn. intul.*

Digitized by Google

damno, quibus una cum lege XII. tab. derogatum fuisse per legem Aquiliam Vlpianus refert. (a) Supereſſe credunt ex ea lege vocem *rupitias* apud Feſtum, niſi malimus cum Scaligero legere *rupſit*, ſive *damnum dederit*, ut relatum invenimus apud Vlpianum ex legis Aquiliae contextu eodem tit. l. 27. §. 5. *Quod uſſerit, fregerit, ruperit injuria.* En autem Decemviralium legum veſtigia.

(a) *l. 1. ff. ad L. Aquil.*

Si quadrupes pauperiem faxit, dominus noxiae aeſtimiam afferto: ſi nolit quod noxit dato.

Si injuria rupitias - - - - - -

- - - - - - - - - - - - - - -

aſt ſi caſu ſarcito.

Qui pecu endo alieno impeſcit.

Impeſcit) verbum hoc in lege ita reſtituit Gothofredus Feſti auctoritate ſcribentis: *Impeſcere in latam ſegetem paſcendi gratia immittere.* Cetera ſatis declarantur ex iis, quae ſupra notavimus.

LIV. De Tigno Injuncto.

Antequam a damnis deſcendamus, exponenda lex eſt de tigno injuncto, quod etiam eſt damni genus: ejusque praeſtandi cauſa leges XII. tabular. prodiderunt actionem. Tigni nomine materies omnis venit ad domos aedificandas, & vineas conſtruendas idonea: ut etiam lapides, teſtae, tegulae, perticae, & pedamenta eo vocabulo contineantur. (b) Si quis igitur domino ignorante tignum alienum ſuo aedificio junxerit ſciens,

(b) *l. 2. §. 1. ff. de tingo junct. l. tigni 62. ff. V. S.*

Digitized by Google

ſciens, quaſi furti tenetur. Et adverſus eum dominus agere poteſt ad exhibendum, non quidem ut tignum ſolvatur, cum hoc publica utilitas vetet, ne per eam cauſam aedificia diruantur, & vinearum cultus turbetur; ſed ut aeſtimatio damni praeſtetur. (a) Actio autem ex XII. tabul. datur in duplum contra illum, qui tignum furtivum, vel alio ſurreptum ignorans aedificio ſuo junxerit. (b) Idque ob eam rationem, quia tignum furtivum, apud eum fuerit conceptum, ſive inventum quod vindicari non poteſt. Is vero ab eo, qui rem furtivam obtulit, repetet quidquid per hanc actionem domino rei praeſtiterit. (c) Si vero quis ignorans tignum quidem junxerit, ſed non furtivum; praecii tantum nomine condemnabitur. (d) At ſi tignum aut nunquam aedibus junctum fuerit, & vineis; aut aedibus everſis, diſturbatisque vineis poſtea diſſolutum: domino tignum ipſum vindicare licebit; ſi tamen duplum, aut aeſtimationem non accepiſſet. (e) Quae ab Vlpiano dicuntur extrinſecus vindicari: quod vel nunquam haeſerunt, vel non inhaereant amplus. (f) *Extrinſecus enim* (inquit Cicero) *aſſumuntur, cum quae ſunt foris, neque inhaerent in rei natura colliguntur.*

(a) *l. in rem 23. §. 6. ff. de rei vendicat.*

(b) *l. in rem §. penult. ff. de rei vendicat.*

(c) *§. conceptū. Inſtit. de oblig. quae ex delicto naſcuntur.*

(d) *l. qui res §. ult. ff. de ſol.*

(e) *l. in rem §. ult. ff. de rei vindic. Inſtit. de rer. diviſ. §. cum in ſuo.* Cujac. *obſ. 23. cap. 19.*

(f) *l. 2. ff. de tigno injuncto. l. gemma. ff. ad exhiben. l. de eo ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 7. §. 7. ff. de adquir. rer. domin.*

En autem verba legis.

Tignum junctum aedibus vineaeve concapes ne ſolvito: aſt qui junxit duplione damnator: tigna quandoque ſarpta, donec demta erunt vindicato.

Con-

Digitized by Google

Concapes) verba legis hujus apud Festum supersunt, quae ita Scaliger, a quo vel Cujacium (a) dissentire puduit, emendavit. *Tignom junctom aedibus vineaeve concapes nec soluito, ubi concapes* reposuit pro veteri scriptura *concapet*. *Concapes* autem ait fuisse in vineis, quod in aedibus tigna: quod haberent caput suum cum capite vineae commissum, unde sicuti a capite veniunt *biceps*, *triceps*, ita & *concapes* quasi junctum caput. Quam emendationem rejicit Jacobus Gothofredus, atque inauditum verbum comminiscitur, subjicitque pro *concapes*, *concapeet*, quod prisce positum putat pro *vindicet*, nullo auctore. Ego vero Scaligeri lectionem lubens retineo. Nec me movet, quod objicit Gothofredus, nempe inutile fuisse aliud subjicere vocabulum peculiare in vineis; cum etiam iis tigni nomen conveniat. *Concapes* enim hic nomen est adjectivum, congruitque cum voce *tignum*, quod aedibus quidem *junctum*, vineis vero *concapes* dicitur, tamquam capite innixum vineae: proinde ac si lex diceret: *tignum quod injunctum aedibus, & tignum, quod est capite innixum vineae ne solvito:* sicut enim *biceps*, *triceps*, *quadriceps* adjectiva sunt, ita, *concapes*.

(a) *in Parat. ff. de tig. junct.*

LV. De Famosis Libellis,

Damno in rebus accepto proximum est damnum in personam, & famam: qualis est injuria: quae gravis habetur, etiam si solis verbis inferatur, tum quia honestissimus quisque pluris reputat existimationem, & famam, quam opes, & lu-

Digitized by Google

& lucrum, & vitam; tum quia facilior haec laedendi ratio est, & occultior, ideoque diligentius praecavenda. Quamobrem Romani, quo Graecis honestiores, ita severiores alienae famae vindices. Apud Graecos enim non humiles modo; sed & proceres patebant licentiae, & petulantiae poëtarum, praecipue Comicorum, qui personam alienam protrahebant in scaenam publice ludibrio habendam, & conviciis exagitandam. Nec magistratum ipsum verebantur. Nam Aristophanes cum Cleonem principem tum civitatis in scaenam induxisset, & prae reverentia, & metu nemo Histrionum eum reddere vellet; ipsemet poëta Cleonem egit: quamvis vetusta lex prohiberet τὸν ἀρχόντα φανερῶς κωμῳδεῖν. (a) *Magistratum in comoedia palam carpere*, de qua lege interpres Aristophanis in *Nubibus*. Glisceute autem in dies furore poëtarum, vetitum fuit nominatim aliquem in comoedia perstringere. Cumque ne sic quidem effrena maledicentia conticesceret, oportuit ab radice petulantiam excindere, sublata comoedia illa, quam deinceps veterem appellarunt, ut eam distinguerent a nova, & pudentiori in illius locum substituta, in qua Menander maxime floruit. Conviciis autem Solon poenam levem admodum posuerat, certorum causa locorum. Plutarchus enim tradit eum, qui maledictis aliquem petierit inter sacra, vel inter subsellia judicum, & magistratuum, aut inter spectacula Solonis lege multatum fuisse quinque drachmis: quarum trēs aerario publico cederent,

(a) Petit. *ad leg. Attic. lib. 1. §. 30.*

Digitized by Google

duo autem injuriam passo: cum ubique punire ingenitam humanae pravitati maledicentiam difficile reputaverit; nusquam vero periculosum; propterea crimen ex loco distinxit. Sed mirum cur Solon fuerit adeo levi poena contentus. Salmasius, ut rem expediat, comminiscitur discrimen inter κακολογίαν, & κακηγορίαν. κακολογίαν docet fuisse maledicentiam adversus absentem sine convicio; κακηγορίαν convicium, & injuriam inter praesentes, ad quam refert multam quingentum drachmarum, quae alia in lege continebatur: (a) multam vero leviorem refert ad κακολογίαν *maledicentiam sine convicio.* Quam vocum distinctionem nulli Grammaticorum ante Salmasium agnitam deridet Heraldus. Ego vero potius crediderim poenam hanc initio levem propter criminis raritatem, veterumque modestiam, postea fuisse auctam crescente hominum audacia, cum qua crevit etiam illius coërcendae necessitas. Nam simile habemus exemplum in legibus XII. tab. de percussione oris, cujus ab initio levis multa fuit 25. assium, de qua inferius. Romani vero moribus graviores, & diligentiores famae custodes convicia, & famosos libellos non indicia vitiorum, sed potius innocentiae alienae testimonium esse putarunt, omnis criminis suspiconem auferentes ab eo, cui defuit accusator, cum non defuerit inimicus, ut egregie Constantinus Imperator existimat. (b) Quamobrem fustibus ad necem feriendum jusserunt hominem, qui conviciis, aut malis carminibus alienam famam laceras-

(a) Isocrat. *in orat. contra Lochitem in princ.*

(b) Balduin. *in XII. tab. in hanc leg. in fine.*

Digitized by Google

ceraſſet. (a) Quam legem ſummis laudibus Cicero extulit his verbis: *Judiciis enim, & magiſtratuum diſputationibus legitimis propoſitam vitam, non poëtarum ingeniis habere debemus, nec probrum audire niſi ea lege, ut reſpondere liceat, & judicio defendere.* atque iterum. *Probris, & injuriis poëtarum ſubjectam vitam, famamque habere noluerunt: capite etiam puniri ſancientes tale carmen condere ſi quis auderet.* (b) En vero legem.

(a) Horat. *ſerm.* 2, *Sat.* 2. Cic. 4. *Tuſcul.* Arnob. 4. *adverſ. gentes Cornut. in Perſ. Sat.* 1. Horat. 2. *epiſt.* 1.

(b) Cic. *lib.* 4. *de repub. apud D.* Aug. *de civit. Dei. lib.* 2. *cap.* 12.

Si qui carmen occentaſſit, quod alteri flagitium faxit capital eſto.

Occentaſſit) *occentare* eſt convicium facere, obſtrepere adverſus aliquem, Plaut. in Curcul.

Quid ſi adeam, atque ad fores occentem?

Flagitium faxit) *flagitium* veteribus eſt *convicium.* Plautus:

Major eum flagitio reddes poſtea, hoc eſt infamia, quia quo acrius petimus noſtra, eo eſt mora turpior. Et Cato *Intercutibus ſtupris flagitatus*, hoc eſt inteſtinis injuriis adfectus. Livis lib. 25. *Simul & ingens flagitium imperii demturus.* Graecus apud Iſidor. lib. 2. orig. cap. 21. *Pueritia tua adoleſcentiae tuae inhoneſtamentum fuit, adoleſcentia ſenectutis dedecoramentum, ſenectus reipub. flagitium.* Vide Feſtum verbo *occentaſſit*, & ibi Scaligerum. Jacobus Gothofredus hanc legem ita refert.

Digitized by Google

Si qui pipulo occentaſſit, carmenve condidiſſit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, fuſte ferito.

Pipulum eſt convicium a *pipatu* pullorum. *Pipare* enim Oſci dicebant pro ejulabunde *conqueri*. Vnde *pipulo differre*, eſt afficere infamia. *Fuſte* autem *ferire* eſt ad necem caedere. (*a*)

(a) *l. 1. §. occiſor. ff. de S.C. Syllan. l. 8. §. 1. ff. de poenis.*

LVI. DE RELIQVIS INJVRIIS.

Nunc ad injurias re illatas veniamus: quarum nomine inter Athenienſes dabatur accuſatio, ſive actio in caput, & multatio, ſive actio in pecuniam: haec privata erat, illa publica: privata dicebatur αἰκίας δίκη; publica ὕβρεως γραφή, de his acrius, quam res ferret inter Salmaſium, (*b*) & Heraldum (*c*) dimicatur. Hic enim utramque actionem trahit ab uno, eodemque genere injuriarum, ſub diverſis agendi modis. At ille a diverſis generibus injuriarum, diverſas ducit actiones. Patronum adoptat ſibi uterque Demoſthenem, (*a*) apud quem dicitur praelatam fuiſſe actionem αἰκίας, cum potuiſſet agi γραφῇ ὕβρεως. En inquit Heraldus ex eodem injuriarum crimine variam agendi facultatem. At Salmaſius plura genera injuriarum putat conveniſſe in illud crimen, atrocius videlicet, & levius; nec verberibus tantum petitum fuiſſe accuſatorem, ſed vulneribus, & luto inquinatum: docetque de injuria graviori ὕβρεως γραφήν; αἰκίας vero δίκην de leviori deſcendere. Qua in re Salmaſius veteres Grammaticos habet auctores; Heraldus vero rationibus, & ſubtilitate contendit.

(b) *In obſervat ad jus Attic. & Rom.*

(c) *in animadverſ. adverſ. Salm.*

(d) *in orat. adverſ. Conon.*

Digitized by Google

dit. Confligunt acriter, nec pugnae finis, aut spes ulla pacis: nec nostrum, aut hujus loci dirimere tale praelium. Verberationis autem ex Athenienſium legibus poena erat pecuniaria: (a) quae, ſi laeſus accuſaret, laeſo cedebat; ſin alius fiſco: nam ex lege Solonis cuilibet ex populo vindicare licebat illatam privato vim, cum in ea publicae auctoritatis, & cuſtodiae contemtus verteretur (b) Meditati vero, conſilioque illati vulneris poena erat exilium, & publicatio bonorum: & tandem ſupplicium capitale, ſi reus contemta exilii poena rediret in patriam. (c) Qui monoculo vero excluſiſſet oculum, ei amittendus erat uterque per talionis poenam, quam e Solonis tabulis in ſuas Decemviri leges traduxerunt: eo ſcilicet capite, ubi de membro rupto cavebatur: pro quo par membrum amputandum erat ei, qui ruperat, (d) niſi pactione quis poenam redemiſſet, quod lege permittebatur. (e) Os autem fractum pecunia vindicarunt in libero quidem 300. aeris, in ſervo 150. Diſtinxerunt ab oſſe membrum, quia proprie membrum caro eſt, & pellis, qua artus teguntur, ut Popma notat; (f) hinc aliud membrum rumpere, aliud os frangere. Os autem & membro includitur, uti pars illius. Non abſimilem legem ex Catonis originibus profert Priſcianus lib. 6. quam ad aliarum gentium mores reſpicere cenſet Hottomannus. (g) Ob oris percuſſionem, aliamve injuriam non amplius viginti quinque gravis aeris poenam Decemviri conſtituerunt: quae quamvis a Favorino (h) propter le-

(a) Lyſias ἐν τῷ περὶ αἰκίας πρὸς Ἐρατοσθένη.

(b) Vlp. *in Midian. Petit. ad leg. Attic. pag. 526.*

(c) Lyſias ἐν τῇ ὑπὲρ Καλλίου ἱεροσυλίας ἀπολογία.

(d) *Inſtit. lib. 4. injur. §. 7.* Feſtus *verbo Talio. l. 3. C. Theodoſ. de exhiben. reis.*

(e) Gell. *20. cap. 1.* Paul. *5. ſent. cap. 40.*

(f) *de diff. verb. verb. artus.*

(g) *ad leg. XII. tabul. in hanc leg. pag. 470.*

(h) *apud* Gell. *lib. 20. cap. 1.*

levitatem, etiam Labeone auctore, irrideatur; tamen prae temporum illorum inopia, non erat fortasse tam levis. Prolatis vero finibus, auctaque Vrbe spoliis, & opibus exterorum, viluit ea poena. Quem enim jactura 25. assium ab injuria in tanta opulentia revocasset? Vnde quid mirum, si L. Neratius homo egregie improbus homines, & leges adeo ludibrio haberet, ut obviorum os palma percuteret, oblatis continuo 25. assibus per servum, quem pecunia onustum secum circumferebat? Cum igitur ea poena contemneretur, coeperunt a Praetore judices injuriis aestimandis dari, quos propterea Recuperatores appellarunt, quia in privatis commerciis jus quisque suum per eos recuperaret. Placet locum hunc auctoritate Collatoris legum Mosaicarum concludere, apud quem haec leguntur, prout Salmasius restituit. *Injuriarum actio, aut legitima est, aut honoraria; legitima ex lege XII. qui injuriam faxit quinque & XX. aeris poenae sunto. Qui membrum rupsit talio esto. Qui ossa fraxit libero trecenti aeris, servo centum, & triginta poenae sunto.* Nunc leges producamus.

Si membrum rupsit, ni cum eo pacit talio esto.

Si qui injuriam alteri faxit XXV aeris poenae sunto.

Qui os ex genitali fudit libero CCC, servo CL, aeris poenae sunto,

Si

Si membrum rupsit) ita legem hanc omnibus probantibus restituit (a) Cujacius.

(a) Cujac. *Instit. de injur. §. 7.*

Pacit) a verbo antiquo *paco* pro *paciscor*. Cujacius ibid. nisi pro *paco* legamus cum Laurembergio *pago*, & *pagit*. Dicitur *talio* a *tale*, quia tale ac simile rependitur.

Qui os) ita restituitur a Petro Pithoeo; ceterum genitale dictum arbitror ubi gignitur: non ut P. Pithoeus, dentem excussum a gingiva, ne nimis coangustemus legis sensum: quasi non quaelibet ossis fractio, sed solum dentis e gingiva excussio puniatur.

LVII. DE PECVNIS REPETVNDIS.

Absolutis judiciis privatis, ad publica veniamus, exordientes a lege condita contra judices, arbitrosve pecunia corruptos. Quod flagitium, quia integritate judiciorum salus publica unice munitur, Decemviri capite punierunt: gravius longe agentes, quam Athenienses, (b) & ipse Plato, (c) nam illi pecunia crimen aestimarunt: hic duplo ejus rei, quae in judicium deducebatur, quod judex reddere cogitur ei, quem sua sententia laesit. Ab hac autem XII. tabul. severitate recessit posterior aetas in deteriores prolapsa mores. Cumque veterum legum oblivio, & impunitas judicum pudendam judiciorum corruptelam peperisset; supervenit lex Julia repetundarum, qua deinceps tale crimen coërceretur: de qua lege disputandi locus erit libro sequenti. Praeterea ex Praetoris adicto, qui litem suam fecisset, sive per dolum injuste judicasset, parte laesae

(b) Jul. Pollux. *lib. 8. cap. 1. Interpres* Tucyd. *& ad l. 6.*

(c) *lib. 8. de legibus.*

Digitized by Google

laesae veram judicii aestimationem praestare jubetur, (a) aliaeque poenae a constitutionibus principum accesserunt. (b) Dolo autem judicare videtur, qui per gratiam, aut per inimicitias, aut per sordes in fraudem legis sententiam tulerit. Lex autem talis fortasse fuit.

(a) *l. 15. §. fi-e liusfam. ff. de judic.*

(b) *c. de poen. jud. qui male judic. & novel. 124. c. 2.*

Si judex arbiterve jure datus, ob rem dicendam pecuniam accepsit capital esto.

LVIII. DE FALSIS TESTIBVS.

Porro judiciorum integritas non solum avaritia judicis coërcenda, sed etiam perfidia testium avertenda conservatur. Judices enim e dictis, ac fide testium sententiam expromunt suam. Quamobrem ne falsitas testium sententias pariat injustas; oportuit metu poenarum falsos testes ab aditu judiciorum absterrere. Ideo apud Graecos, (quam nationem Cicero ajebat sacramentorum fidem nunquam coluisse,) gravibus poenis mendacia testium prohibebantur: ut Atticis legibus qui falsum in judicio protulissent, praeter multam etiam infamiam sustinerent: quae & in producentem quoque falsos testes redundabat. Quod judicium κακοτεχνιῶν vocabatur. (c) Romani vero quamvis integrioris fidei, tamen propter majorem judiciorum religionem supplicium exacerbarunt. (d) Igitur exemplo Platonis, qui ter falsi convictum testem neci dedendum decrevit lib. II. de leg. jusserunt Decemviri, ut falsus testis e saxo Tarpejo dejiceretur: cujus loci profunditatem, non dum, ut postea eversa Roma veteri, rui-

(c) Demest. *in τῷ κατ Εὐέργον ἐν τῷ πρὸς Τιμόθεον.* Pollux. *l. 8.* Petit. *ad leg. Attic. lib. 4. tit. 7.*

(d) Gellius *lib. 20. cap. 1.*

Digitized by Google

ruinae aedificiorum impleverant, ut altior antea dejectus in planitiem fuerit. Verum relaxata simul cum virtutibus civium lege, capitalis poena conversa fuit in exilium, aut relegationem in insulam, (a) quam perpetua infamia comitabatur, aliaeque poenae a judicis arbitrio pendentes: (b) quae tamen ab eruditis Triboniani adjectio reputatur. Noluit enim Tribonianus, ut Cujacius suspicatur, has poenas, forte quia sibi graviores viderentur, exprimere: unde adjecit ad legem qui falso ff. de testibus: *a judicibus competenter puniantur*, vel ut legit Harmenopulus *a judicibus competentibus puniantur*, ὑπὸ τῶν προσφόρων ἀρχόντων τιμωρῆνται. Unde consulto suppressit Paulli verba, quae in sententiarum libris, unde lex illa sumta fuit, inveniuntur.

(a) Paul. *sent. lib. 5. cap. 15. & l. 1. ff. ad l. Cornel. de falsis.*

(b) *l. qui falso ff. de testib.*

A falso teste transeamus ad eum, qui cum sese testem obtulerit, vel libripendem, quem loco testis adhibebant, postea testimonium ferre in judicio, dictaque sua comprobare detrectet: qui testimonii desertor meo judicio recte appellabitur, isque etiam testimonium defugere dicitur, ut & qui rei alicujus auctor haberi nolit, is defugere dicitur auctoritatem. Quod apud Graecos crimen dicitur ἀστομαρτύριον, quasi testimonii destitutio. (c) De qua Decemviralem legem adfert Gellius, (d) verbis adeo depravatis, ut nescio an iis restituendis doctissimorum virorum conamina suffecerint, de quibus inferius. Poena hujus criminis ex XII. tabul. legibus erat, ut qui testimonium ferre refugisset esset intestabilis, nem-

LIX. DE TESTE DESERTORE.

(c) Petit. *ad leg. Attic. lib. 4. cap. 7. pag. 357.*

(d) *lib. 15. cap. 13.*

Digitized by Google

pe ut neque alios in re ſua teſtes adhibere poſſet; neque adhiberi ipſe in re aliena, (a) & inſuper improbus haberetur. Cujus vocabuli ſignificatio veteribus erat atrocior: continebat enim infamiam, & publicam ignominiam. Vnde Livius lib. 10. refert. *Valeriam legem, quae vetaret necari, aut virgis caedi eum, qui ad populum provocaſſet adverſus eum, qui in legem incidiſſet, non aliam poenam ſtatuiſſe, quam ut haberetur improbe factum:* tantusque hominum erat pudor, ut validiſſimum eſſet honeſtatis vinculum infamiae metus. Nunc legem proferamus.

(a) *l. cum lege 26. & l. is cui 18. §. ult. ff. qui teſt. fac.*

Si falſum teſtimonium dicaſſit ſaxo dejicitor.

Qui ſe ſirit teſtarier libripensve fuerit ni teſtimonium fariatur, improbus inteſtabilisque eſto.

Sirit) pro *ſiverit.*

Teſtarier) hoc fuit apud veteres ex iis verbis unum, quae ad actionem ſimul, & paſſionem ſignificandam adhibebantur, ut notat Gellius ex hac lege lib. 15. cap. 13. ubi verbum hoc παθητικῶς accipitur, ut *qui ſe ſirit teſtarier* ſignificet, qui ſe paſſus ſit in teſtem adſcribi.

Fariatur) ita repono cum Raevardo, donec melius aliquid emergat: priſco enim ſermone *moriri* dicitur pro *mori; aggrediri* pro *aggredi*, unde & dici potuit *fariri* pro *fari:* niſi legere malimus cum Hotthomanno *fateatur*, vel cum Cu-

Digitized by Google

Cujacio *feriatur* pro *cogatur*, ſatis dure; vel cum Salmaſio (*a*) *fariatur*, hoc eſt eatur ad fatendum.

(a) *ad leg. Attic. c. ult. p. 817.*

LX. DE COETIBVS NOCTVRNIS

Nunc ad crimina veniamus ea, quibus reipulicae ſtatus graviter perturbatur; quibusque prohibendis Decemviri lege lata nocturnos coetus, & clandeſtinas coitiones prohibuerunt. Noctem enim τῶν πολλῶν κακῶν ἀρχηγὸν, ducem plurimorum malorum appellat Menander. Vt igitur cauſam omnem nocturni coetus removerent, Romani ne S. Ctum quidem condi licere voluerunt, poſt Solis occaſum. Vnde abeunte die, horam, quae ſequebatur *intempeſtam* appellarunt, quaſi tempus minime rebus gerendis idoneum. Quo nomine Porcius Latro Catilinam inſimulat in ea declamatione, (*b*) ubi legis hujus Decemviralis monumentum reliquit. Haec etiam inter alias damnandorum Bacchanalium cauſas adfertur, quod ſcilicet nocte agitarentur. (*c*) Ideo & Diagondas Thebanorum Imperator ſacra nocturna omnino delevit. Legis autem Decemviralis haec videtur fuiſſe ſententia.

(b) *declamat. in Catil.*

(c) Cic. *lib. 2. de leg.* Livius *lib. 39.*

Si qui in Vrbe coetus nocturnos agitaſſit capital eſto.

LXI. DE CRIMINE PERDVELLIONIS.

Nihil vero crimine perduellionis atrocius, quo ſtatus civitatis evertitur, & publ. Pop. Rom. majeſtas violatur, de qua plenius libro ſequenti. (*d*) Lege autem XII. tabul. haec praecipue perduellionis capita comprehenduntur: alterum nempe illius, qui hoſtem concitaſſet, (*e*) ſive ut ego

(d) Cic. *pro Rabir. & Verr. 3. & tot. tit. ff. ad l. Jul. majeſt.*

(e) *l. 1 ff. ad l. Jul. majeſt.*

Digitized by Google

ego interpretor, qui aliquem ex amico Pop. Rom. hostem dolo, consilioque suo reddidisset, & clam commovisset, sollicitasset, subegisset, ut adversus Rempub. se compararet. Et quamquam is etiam, qui contra prohibitionem Imperatoris cum hoste pugnasset, idem crimen incurreret; tamen atrociorem sensum, quem supra exposuimus, lex nominatim complexa videtur. Alterum vero criminis caput est illius, qui civem in hostium potestatem tradidisset. Quae scelera capite plectebantur. Perduellis autem dicitur hostis, (a) quia veteres pro *bello*, *duellum* enunciabant. Vnde perduellis ab Vlpiano definitur, (b) *qui hostilem animum adversus Rempub. aut principem gerit.* Lex autem Decemviralis haec fortasse fuit:

(a) *l. quos nos hostes 234 ff. V. S.*

(b) *l. ult. ff. ad l. jul. majest.*

Si quis perduellem concitassit, civemque perduelli transduit capital esto.

Transduit) pro *tradiderit:* veteres enim *duit* dicebant pro *det.*

EXII. DE PARRICIDIO, SIVE HOMINIS CAEDE, ET VENEFICIIS.

Pergamus nunc jam ad eos, qui hominem caede sustulerunt: quorum poena si susceptum consilio facinus esset apud Athenienses, ad ultimum extendebatur supplicium, quod voluntario exilio antequam judex pronunciaret, effugere licebat, (c) ut interpretatur Samuel Petitus, quia rei post primam orationem apud Areopagicas poterant exilio se subducere, quod exilium publicatio bonorum consequebatur. (d) Verum si qui hac ex causa solum vertisset, in Atticae

(c) Demost. *in Midiana & in τῶν ἐπὶ Παλλ. Areopagit.*

(d) Samuel Petit. *ad leg. Attic. lib. 7. tit. 5. pag. 508.*

Digitized by Google

ticae finibus deprehenderetur, impune poterat occidi, aut Magistratibus tradi multandus. Quod in suas quoque leges Plato transtulit, (a) & pluribus Demosthenis locis comprobatur: quos locos frustra suis conjecturis tuendis vexat Salmasius optimis rationibus ab Heraldo (b) redargutus. At si casu hominem quis interemisset, annum extra patriam exulare legibus jubebatur. (c) Non minori vero poena homicidium dolo admissum ulciscuntur leges Decemvirales, vel lex Regia, nempe Numae, ut aliqui arbitrantur a Decemviris in XII. tabul. traducta: quae prisca locutione homicidam notat *parricidae* vocabulo, quod apud veteres quodlibet homicidium complectebatur: (d) neque apud eos discrimen ullum invenitur inter *capital esto*, & *parricida esto*, quae clausula poenis omnibus capitalibus attexebatur, ut Cicero (e) fecit: *Sacrum*, inquit, *sacrove commendatum qui clepserit, rapsitve parricida esto.* De illo vero, qui hominem imprudens occidisset, haec a Scaligero e Schedis Servianis adferuntur ad hanc legem: ut scilicet caedem expiet in concione ariete caeso. Quod cum ad hanc legem pertinere non constet, longioris morae mihi causam non praebebit. (f) Paribus etiam subjicitur poenis, qui hominem veneno sustulit: quinimmo eo gravius hic delinquit, quod latendi facilitate possit delinquere liberius, majusque periculum ab insidiis, quam a vi hominibus creatur. Et quia venenorum propinator

(a) *lib. 9. de leg. ubi de homicidio volunt. loquitur.*

(b) *In animadverss. adverss.* Salmas. *ad jus Attic. & Rom. lib. 4. tit. 4.*

(c) Petit. *ad leg. Attic. lib. 7. tit. 1. pag. 512.* Scholiast. Euripid. *in* Hipp. Tzezes *ad* Lycophron. Hesychius Demosth. *ἐν τῷ κατ' ἀριστογείτονος.*

(d) Festus *verbo* Parricid.

(e) *lib. 2. de leg.* Scalig. *ad* Fest. *verbo parric.*

(f) *Vide* Rosin. *ad leg. Reg. in leg. Numae.*

Digitized by Google

saepe miscet huic maleficio magicas artes, quas profitentur praestigiatores, & mulieres eae, quas sagas appellabant: (a) quorum incantationes, & carmina vi Daemonum armata, mentes corporaque hominum labefacere, frugesque ab agro traducere veteres existimabant, (b) adeo ut Cajus Furius, qui agrum suum proprio labore inopinato pinguefecerat, in hujus maleficii suspicionem facile venerit; (c) propterea poenam edixere Decemviri adversus eos, qui malis carminibus homines, aut animalia commaculassent, aut segetes, frugesque alienas pellexissent. Poenam hujus criminis habemus, si Scaligeri conjecturam in restituendo, supplendoque mutilato Festi loco amplectamur: discemusque illam ex sequentibus: siquidem ita Scaliger explet Festi lacunam scribens. (d) *Nam in fine manifesto haec scripta fuere. Tribus XXXV. aut privilegia irrogare, aut de capite civis statuere, nisi maximo comitiatu vetant XII. tab. leges, praeter quam veneficos, quique malum carmen incantant, quia ipsi indemnati jure occiduntur.* Fuit autem fortasse lex homicidia, incantationes, & veneficia coërcens haec.

(a) Plin. *lib. 28. cap. 2.*

(b) Tibul. *lib. 1. eleg 8.*

(c) Plin. *lib. 18. cap. 6.*

(d) *lib. pr. in fine.*

Si quis liberum hominem dolo sciens morti duit; quive malum carmen incantassit, aut malum venenum faxit duit, ve parricida esto.

Duit)

Digitized by Google

Duit) pro *dederit* satis notum.

Atque caedes hae, ut monuimus, prisca significatione parricidii vocabulo continebantur, Parentum vero caedem, cui uni proprietate sua hoc nomen convenit, utpote criminum atrocissimum, adeo Solonis leges abominabantur, ut quod satis non posset vocibus, silentio detestarentur: utpote indignum, quod in cogitationem hominum verbis adduceretur: ne, cujus criminis notitiam natura non suggerit, a lege offerretur. (*a*) Veteres vero Romanorum longe deterius de humanae naturae pravitate judicantes, non silentio, sed metu, & atrocitate poenarum illud avertere studuerunt, lege lata, quam Scaliger (*b*) aliique doctiorum adscribunt Regibus, nempe Romulo, aut Tatio, aut Servio; ut qui pueri, aut nurus parentes verberassent, divis parentum sacri essent, hoc est divis illis devoverentur. Diis enim devoti sacri fiebant, & a quolibet impune occidi poterant; tamquam Diis criminis ejus ultoribus victima illa mactaretur. Cum hac de re a regibus nominatim cautum reperiamus; fas erit suspicari minime siluisse illos de caede parentum, eosque auctores fuisse legis ejus, quam postea Decemviros credo in XII. tabul. conjecisse. Hujus autem sceleris reus caesus cruentis virgis, culleoque insutus cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, quibus rabie incensis laniaretur, mari mergebatur ab omnium elementorum.

LXIII. DE CAEDE PARENTVM.

(a) Cic. *pro* Rosc.

(b) *in Verbo plorare & Verbo nuptiae apud Festum.*

Digitized by Google

torum commerciis quasi segregatus, cum nec terram attingeret, neque aquam; etenim ab ea culleo discernebatur. Cujus exemplum supplicii Tarquinius jam ediderat in M. Tullio Duumviro, propter proditam arcanorum fidem. (a) Lex autem haec est.

(a) Valer. Max. lib. 1. cap. 1. n. 13. Non. cap. 2.

Qui parentem necassit caput obnubito: culleoque insitus in profluentem mergitor.

Obnubito) notum est *nubere* quid significet prisca origine, scilicet *velare*. Et quia sponsa ob pudorem velabatur, cum ad mariti domum deduceretur: inde *nupta*, & *nuptiae*: verbumque *nubere* in conjugalem significationem vulgo transivit.

LXIV. DE INCENDIO.

Nulli criminum atrocitate caedit incendium dolo excitatum: cujus rei leges XII. tabul. exemplum posuerunt in eo, qui acervum frumenti ad alienas aedes positum combussisset, non quia hoc tantum incendium punierint, sed quia rei rusticae tota vita deditis haec exempla crebrius occurrebant: unde sub ea reliqua incendiorum genera comprehenderunt, & eos, qui quovis modo incendium conflassent igne cremandos jusserunt: ut unde damnum aliis attulissent, inde & ipsi mortem haberent: postquam vincti, verberatique fuissent, quae capitalium omnium suppliciorum erant exordia; servi tamen, & viliora capita pergentes ad supplicium, nudi crucem, & furcam sibi ferentes per vias caedebantur, unde

Digitized by Google

de *furciferi*, crebrum apud Plautum, & Terentium convicium. At si ex aliena negligentia incendium aliquo serperet, civili actione dupli persecutio dabatur, (*a*) eaque actio incensarum aedium dicitur in pluribus juris locis. (*b*) At si solvendo reus non esset leviter verberabatur; propter eam de poenis regulam, uti qui aere nequit, corpore damnum luat. (*c*) Legis porro sententiam his verbis reddidit Gothofredus.

(a) *l. capitalium 28. §. 12. de poenn.* Paul. *lib. 5 sens. tit. 3 ubi Cujac.*

(b) *l. juris gentium §. 13. ff. de pactis. l. 1. C. de l. Aquil.*

(c) Balduin. & Ritt *ad hanc l. vide cap. de incendiariis ap. eumd.* Rittars.

Qui aedes acervum frumenti ad aedes positum dolo sciens incensit, vinctus verberatus igni necator: ast si casu noxiam sarcito; si nec idoneus escit levius castigator.

Incensit) pro *incenderit*, sicut *incoepsit*, ut notat Festus verbo *incensit*. (*d*)

(d) *Vide l. 9. §. 1. qui aedes ff. incend ruin. naufrag.*

LXV.

DE ORDINE JUDICIORUM, ET DE IN JUS VOCANDO.

Expositis legibus, quibus crimina coërcentur, leges judiciarias, judiciorum ordinem dirigentes, explicemus. Judiciorum autem exordium erat vocatio in jus. Jus enim dicebatur etiam locus, ubi causae agitantur. Igitur actor reum conveniens vocabat in jus ad eum, qui jurisdictioni praeest, ad Praetorem, cupiens cum eo disceptare, ac jus experiri suum. Cujus vocationis hae solennes erant formulae. *In jus eamus:* vel *in jus veni:* vel *sequere ad tribunal:* vel *in jus ambula.* (*e*) Vocationi reus ex Legibus XII. tabul. confestim parere jubebatur, ac si declinare

(e) Brisson. *lib. 5. de formul. in princ.*

vellet judicium & sese actori subducere satageret, licebat repugnantem obtorto collo ad Praetorem rapere sine injuria: dummodo actor, antequam reo manus injiceret, adstantes fecisset ejus negotii testes: quo pateret reum ab actore nolentem in judicium trahi, non contumeliae, sed sui juris experiendi causa. Testes autem cum faceret eos ita interrogabat, *licet antestari?* ac si per eos liceret, admotis digitis imam eis vellicabat auriculam, quam & *oricillam* dicimus; adjecto verbo *memento*, vel *memor esto*: quo ejus rei recordarentur: (a) aures enim veteres physici memoriae dicarunt, ut alias partes corporis aliis facultatibus, veluti dexteram fidei, genua misericordiae, frontem genio. Ritum autem hunc didicerunt Lipsius, & Raevardus ex veteri lapillo sibi ostenso a Guido Latino: quo in lapillo insculpta erat manus atterens auriculam hoc graeco verbo μνημονεύε *memento*. Hinc Virg. in Bucolic.

(a) Porphyr. & Aeron. *in* Horat. *lib. 1. sat. 9.* Cic. *lib. 2. de leg.* Auct. ad Heren. *lib. 2.* Non. *verbo* calvitur. Cajus *l. 233. ff. V. S.* Gell. *lib. 1.*

- - - - *Cynthius aurem*
Vellit, & admonuit. (b) - -

idque *antestari* dicebatur, hoc est, adstantes, & proximos facere testes, ut optime Salmasius exponit. (c) *am* enim particula proximitatem significat, ut *amtermini* terminorum accolae, & *amsegetes*, quorum ager viam tangebat, & *amsanctae* valles, quae in circuitu sunt, & vicinae. Male aliqui explicant *ante testari*. Post antestationem autem sequebatur manus injectio, factis enim testibus, jus erat in adversarium fugam molientem injicere manus, & ducere ad Praetorem. Qui mos

(b) Serv. *ad eclog. 3.* Senec. *cap. 36. lib. 4. de benef. & lib. 5. cap. 3.*
(c) *ad jus Attic. & Rom. pag. 110.*

Digitized by Google

mos omnis ab Athenienſibus deſcendit. (a) Apud eos enim reus ex auctoritate magiſtratus, vel per apparitores, quos κλητῆρας dicebant; (b) vel per ipſum actorem vocabatur in jus advocatis teſtibus, quos etiam κλητῆρας appellabant, teſte Scholiaſte Ariſtophan. in veſp. At ſi reus actori vocanti non obtemperaſſet, tunc in eum manus injiciebatur; cujus apud Graecos moris teſtis eſt Lucianus; & veteres comoediae Plauti, & Terentii graecos mores, utpote graecis ex auctoribus converſae referentes. Omitto feſtivum illum, & vulgatum ſimul Horatii locum lib. 1. ſatyr. ad Romanos mores pertinentem. Verum tum demum manum injecturi anteſtabantur, cum honeſta perſona in jus vocabatur, quo actor ab eo injuriam abſtinere videretur, (c) nam turpis vitae hominem, veluti lenonem licebat invitum ſine anteſtatione obtorto collo rapere, ut patet ex Plauto in Perſa, ubi Paraſitus a Lenone interrogatus, anne anteſtaretur, ita reſpondit:

(a) Petit. ad leg. Attic. lib. 4. tit. 2. pag. 315.

(b) Ariſtoph. in avibus ibi Scholiaſt. Vlp. in Orat. De moſt. pro Coron.

(c) Raevard. in tit. XII. tab. 1. §.

- - - - tuane ego cauſa carnifex
Cuiquam mortali libero aures attenuo?
Qui hic commercaris cives homines liberos.

& luculentius in Prudente, ubi hanc ob cauſam Labrax cum Pleuxippo rixatur. Si qui vero in jus honoris cauſa non raperetur, ei diem actor dicebat, ut datis pignoribus, vel vadibus ſeſe judicio ſiſturum promitteret, & ni judicio ad diem adeſſet certam poenam, ſive multam perſolveret. Haec autem vadatio dicebatur, quia ſcilicet adverſarius vadabatur ab actore, cui ſeſe eximere

Digitized by Google

(a) *l. 5. ff. Vero ff. qui satisd. cogan.* non licebat, (*a*) nisi datis pignoribus, aut vadibus, certaque poena promissa: atque ita satis aut cautum dabant. Vades autem dicti sunt ii, qui suo periculo reum in judicio stiturum offerebant: quos ita dictos Aeron arbitratur, quod his sponsoribus actori oblatis, reo vadere, sive abire liceret. Cum enim rei fides suspecta esset, cogebatur pro se sponsorem dare, idque promittere vadimonium dicebatur: unde deserere vadimonium, cum ad certam diem quis se judicio non praestitisset; ut differre vadimonium, cum judicii dies a judice gravibus ex causis producebatur. Porro matronarum pudori, ac reverentiae tribue-

(b) *Valer. lib. 2. Hothoman. in leg. XII. tab. 6. si calvitur,* batur, ut in jus vocatas nefas esset attingere: (*b*) neque licebat in jus vocare impuberes puellas alieno juri subjectas. (*c*) Lenimentum quoque

(c) *l. 22, in princip. ff. de in jus voc.* aliquod hujus legis Jurisconsulti sua interpretatione invenerunt, ne quis scilicet e domo sua in jus

(d) *l. 18. cum seq. ff. de in jus voc.* protraheretur: (*d*) satis enim poenarum perferre latitando: nisi aditum ad se praestaret, aut ex publico conspiceretur. (*e*) Praeterea oratione

(e) *l. 19. eodem.* D. Marci cautum fuit, ne vindemiarum tempore

(f) *l. 2. ff. de fer.* cives ab opere rustico ad judicium abducerentur. (*f*) Quae quidem exceptiones post latas XII. tab. prodierunt: illa vero particula ex ipsis XII. tabulis proficiscitur, quae jubet in jus vocatum morbo correptum, non tamen adeo gravi, ut sensus confundat, juncto, non vero molliter in strato vehiculo, in judicium venire: cujus legis rationem Phavorinus Philosophus non satis percipiens XII. tabul. adsperitatis accusabat: quasi ju-

Digitized by Google

juberent etiam eum, qui gravitate morbi cohaerere non posſit, in jus duci, uti ſimus ſuper jumento ſine plauſtro. A qua eum opinione, ſenſu legis benignius expoſito, depulit Coecilius, qui jumenti nomine docet ſignificari pecora juncta curriculis vehendis: putatque jumentum a jungendo dictum: eaque verba legis *arceram ne ſternito*, ita explicat, ne ſcilicet veſtibus plauſtrum ſternatur, aut mollius inſtruatur. Ceterum negat a legibus prohiberi plauſtrorum uſum ad vehendum reum. (*a*) Nec civis tantum compellere poterat reum ad judicium ſubeundum; ſed etiam peregrinus, quem veteres vocabant *hoſtem*, cujus vocis antea mitior, poſt vero ſignificatio fuit adſperior; notavit enim ſolos inimicos populi Romani, quae antea ſignificaverat & peregrinos. Eratque lex, ut conjectura erui potuit ex Cic. 1. de offic. e Plauto in Curcul. ſcripta his verbis:

(a) Gell. *lib.* 20. *cap.* 1.

Si ſtatus condictus dies intercedat cum hoſte iſto.

Status dies, & condictus) levi diſcrimine diſtinguuntur. *Status* enim *dies* eſt, quem Praetor ſtatuit litigantibus, ut ad ſe iretur: *condictus*, quem ſibi ipſi ex compacto litigantes praefiniunt, ut ad Praetorem eant. Sed jam legum reliquias, utcumque ab eruditis coactas proferamus Gothofredum ſequentes, qui unam conſtituit ex tribus, quas alii faciunt, legibus, eamque in tria diſtinguit capita, quod & veterum au-

ctoritate, atque ipso sententiarum nexu comprobatur.

Si in jus vocat atque eat.

Ni it antestamino: igitur em capito.

Si calvitur pedemve struit manum endo jacito.

Si morbus aevitasque vitium escit, qui in jus vocabit jumentum dato: si volet arceram ne sternito.

Atque) sensus est *si quis in jus vocat, vocatus statim eat.* Quae lex cum esset initium ceterarum pueris omnibus, qui jus addiscebant, velut solenne carmen erat in ore, ut Cic. testatur lib. 2. de legibus.

Atque) significat veteribus *illico, statim, e vestigio*, cujus innumera sunt apud Plautum exempla, quae colligit Paraeus in lexico critico in hac particula, & Virg. lib. 1. Georg.

- - - *Si brachia forte remisit*
Atque illum praeceps prorumpit alveus amni.

quibus in locis *atque* significat rem inopinatam.

Em) prisce pro *eum*, quemadmodum & alibi, ut sit sensus: *Si sequi nolit reus vocantem facito testes, deinde ipsum reum ducito.*

Igitur) pro *deinde* veteribus est usitatissimum. Piget exempla referre in re tam nota.

Si calvitur) hoc est, *si moretur, subsistat, obnitatur, effugium quaerat*, in eum *manus injicito, ac*

per

Digitized by Google

per vim rapito: *calvitur* enim significat *decipere*, *frustrare*, ut docet JCtus in leg. si calvitur 203. in princip. ff. V. S. Glossae Philoxeni *calvitur* ἐξαπατᾶ Pacuvius; *postquam calamitas plures annos arva calvitur*: apud Non. in *arva*. Plaut. Casin. 2. 2. vers. 4. *sopor manus calvitur*: id est sopore manus torpent. Non. in verbo *calvitur*.

Pedemve struit) omnes ducti auctoritate Festi, & Servii Sulpicii *pedem struit*, explicant *fugit*: quod mihi videtur satis durum, & remotum a nativa hujus verbi significatione, quo verbo firmitas notatur. Factum est enim, ut recte Vossius putat, ex στρέω per contractionem *struo*, quamobrem suspicor in Festi loco in esse mendum, ac pro *fugit* legendum *figit*, sive *resistat*, *repugnet*: idque magis cohaeret cum tota sententia legis, & antecedenti verbo *calvitur*.

Endo jacito) *injicito* prisce *endo* pro *in* satis notum omnibus.

Si morbus aevitasque) sensus est: *si affecta valetudo, seniumve impediat volentem sequi in jus, juncto plaustro quidem ducatur: si repugnet plaustro quidem ducatur invitus; sed minime superne in arcus formam pellibus tecto.* Quod plaustri tegmen *arceta* vocabatur. Unde Nonius *arceram* interpretatur *plaustrum tectum*. (a)

(a) Varro de ling. lat. 4.

Escit) pro *erit*, ut supra diximus.

Dixi-

LXVI. De vindiciis.

Diximus reum datis vadibus eximi posse actori, ea conditione, ut ad certam diem a vadibus, sive sponsoribus sisteretur. Hos autem vindices quoque fuisse appellatos in legibus XII. tabul. apparet ex lege inferius subjicienda: nec re alia differre vades a vindicibus arbitror; nisi quod vades dicerentur ii tantum vindices, qui reum praestabant; vindicis vero nomen latius fundebatur; nam & assertorem significabat libertatis alienae, & quemvis alium, qui periculum alterius re, aut persona subiisset, aut quid quovis modo liberasset; unde vindex honorum, dignitatis, & bonorum dicebatur. Fallitur vero Boetius, (a) qui hac in lege vindicem ait esse procuratorem, a quo aliena causa vindicanda suscipitur; non enim procuratoris, sed sponsoris vice fungebatur, qui reum ad certum tempus judicio eximebat, ne obtorto collo raperetur: nisi malimus legere *praediatorem* ex emendatione Cujacii, quam probat Hothomannus, (b) negat ejus tamen vocabuli significationem ad hanc pertinere legem, *praedicatores* autem dicuntur ii, qui bona, & fortunas eorum emunt, qui pro vectigalibus populi obligabantur. (c) Festus longe melius, qui *vindicem* inde dictum docet, quod vindicet, quo minus, qui prehensus est ab alio, teneatur. Porro vindices non omnes omnibus, sed pro reorum conditione dandos Decemviri censuerunt: nempe ut locupleti reo locuples daretur vindex: inopi vero quilibet, sive locuples, sive inops. Difficile namque esset ino-

(a) *in topic. Cic. 1.*

(b) *ad leg. XII. tab.* assiduo vindex. Cujac. *5. obs. 29.*

(c) Turneb. *adver. 20. c. 30. ex Festo. gloss.*

Digitized by Google

inopi ſponſorem invenire locupletem, ideo ne miſerrima conditione uteretur, quamlibet ſponſorem ab iis Decemviri ob inopiam acceperunt. Quibus de rebus has ex Cicerone in topicis & Gellio (*a*) veterum legum reliquias ab eruditis emendatas habemus.

(a) *lib. 16. cap. 10.* Quintil. *lib. 5. cap. 10.*

Si en ſiet qui in jus vocatum vindicet mittito.

Aſſiduo vindex aſſiduus eſto: proletario cuique volet vindex eſto.

Si en ſiet) ſenſus eſt: *ſi autem ſit, qui reum in jus vocatum vindicet, ſive ſe pro illo offerat, reus dimittatur.*

Si en ſiet) pro ſi *autem ſiet* priſca lingua: ita enim explicat Philoxenus in gloſſis *ubi en ſiet* reddit ἐὰν δὲ. Hujus priſcae locutonis ignoratione corruptus eſt ab imperitis locus Ciceronis in topicis, ubi haec lex confunditur cum lege AElia ſentia nimis abſurde, nam & ratio temporum hanc lectionem rejicit, & teſtimonium Gellii, qui hanc legem adſcribit XII. tabul. ex initio autem legis cujus meminerat Cicero, *ſi en ſiet* imperitia librariorum factum eſt *AElia ſentia*, & quomodo is error irrepſerit, ſubtilius, & latius invenies explicatum a Jacobo Gothofredo in hac XII. tabul. lege.

Aſſiduo) hoc eſt *locupleti*, ut ſit ſenſus: *locupleti reo, locuples ſponſor, aut vindex eſto.* Veteres enim pro locuplete *aſſiduum* dicebant ab

Digitized by Google

assibus: cum qui multos haberet asses, is esset locuples. Vnde Cicero in topicis: *locuples enim est assiduus ab asse dando.* (a) atque ita explicant aliqui Plauti versum 13. act. 1. Scaen. 1. Amphytr.

(a) Gell. *lib.16. cap.10.*

Proletario) hoc est *homini inopi quisquis volet sit vindex.* Veteres enim *proletarium* appellabant eum, qui propter inopiam non re, ac censu, sed tantum prole posset augere rempublicam. (b)

(b) Gellius *ibidem.*

LXVII. DE PACTIS.

Erat & alia declinandi judicii ratio per pactiones [redacted]ae inter actorem, & reum inirentur, dum irent ad Praetorem. (c) Etenim de quibus inter eos convenerat, illa magistratum rata oportebat habere. Cujus legis aequitas ex pluribus Demosthenis locis a Petito (d) collectis apparet. Quamvis autem pacta nuda, quae in contractum non transierunt nullius efficaciae sint; si tamen lege, aut S. Cto confirmentur legitima dicuntur: ideoque interdum ex pacto nascitur, aut tollitur actio. (e) Porro lex ita restitui poterit ex aliquot eruditorum sententia:

(c) *Auctor ad Heren. lib. 2. Priscian. lib. 10.*

(d) *ad leg. Attic. lib. 4. tit. 2. pag. 339.*

(e) *l. 5. & 7. ff. de pactis.*

Endo via rem uti pacunt orato.

Endo via) in via *endo* pro *in*, ut saepe alias: est autem sensus, quemadmodum inter vias paciscuntur, ita & causa inter eos agatur. Gothofredi enim conjecturam non probo; tum quia numquam inveni, aut *ratato* pro *ratum habeat*, aut pro *ratato rato*, nec analogiae ratio suffragatur; tum quia sine mutatione ulla satis constat

Digitized by Google

stat sententia retentis verbis superioribus: nam *orato* significat, *causam quique agito*, *perorato secundum pactiones*.

Pacunt) veteres pro *paciscor* dicebant *pago*, unde usus deinde induxit *paciscor*. Terentianus Scaurus in orthographia notat, Decemviros scripsisse *paxunt* per *k* graecam literam: a *pago* autem venisse *pepigi*, ut a *cado cecidi* tradit Quintilianus. (a) Haec autem verba directa sunt litigantibus: quae vero sequuntur Praetorem respiciunt, eaque subjicientur inferius.

(a) *lib. 1. cap. 6.*

LXVIII. DE CAVSA PERORANDA.

At si de causa non fuisset inter litigantes transactum, agenda erat apud stantem judicem in foro, aut in comitio, qui locus privatarum erat causarum, ubi tota die litigantes obversabantur, & advocati: eratque ibi Puteal Libonis, de quo nieminit Cicero, & Horatius, quod Puteal erat ara, quo saepe advocati, & rei condicere solebant. (b) Plautus in Poenul.

(b) Sigon. *de judic. lib. 1. cap. 28.*

Nam istorum (scilicet advocatorum) *nullus nefastus est, comitiales sunt meri*
Ibi habitant: ibi eos conspicias, quam praetorem saepius.

Causam autem iis orare usque ad meridiem licebat per leg. XII. tabul. (c) qua aetate Romani trassitus diem distribuebant: quippe qui non ante bellum punicum primum Catina in Sicilia capta, ex horologii usu didicerint horas notare: antea que diem distinguebant more rusticorum. (d)

(c) Gell. *lib. 17. cap. 2.* Plin. *lib. 3. cap. 60.* Auctor *ad* Heren. *lib. 2.*

(d) Censorin. *cap. 23. de die natal.*

Digitized by Google

Post meridiem autem judices sententiam ferebant, & rem ei, ad quem ex jure pertineret, addicebant, si essent ambo praesentes; si alter abesset propter desertum vadimonium, stipulatio committebatur, & desertor eo nomine damnabatur; ut promissam poenam ex sponsione, atque ex stipulatu penderet. (a) Neque enim adsentior docentibus absentem, si ad promissam diem sese judicio non stitisset, causa casurum ex leg. XII. tab. Quid enim opus fuisset cautionibus? aut cur absens re, & poena dupliciter damnandus adeo inhumane? Non me fugit plura supersse veterum auctorum loca, quae ostendant absentem causa cecidisse: (b) non tamen liquet, an hanc ob rationem, nempe ob desertum vadimonium. Quin arbitror potius, quia non defenderetur, saepe absentem, ut solet, fuisse damnatum: cum deesset, qui jura ipsius judici exponeret: contra vero adversarius urgens oratione, tabulis, & advocatis suum jus judici comprobaret: ut non mirum si absentes causa cecidissent. Quamobrem verba illa XII. tab. *Praesenti stitem addicito* interpretor cum Jacobo Gothofredo *judicium reddito*; non ut aliqui *rem addicito praesenti*. Extremam autem rerum agendarum horam Decemviri statuerunt solem occasum. (c) Idemque rerum agendarum terminus erat veteri Athenienssium lege, cujus fragmentum apud Stoboeum habemus: (d) sed jam leges producamus.

(a) Ritterf. *ad hanc leg.*

(b) Cic. *orat. pro Quint. & Verr. 4.* Sueton. *in vita Calig. cap. 39.*

(c) Varro *lib. 5. de ling. lat. n. 2. item lib. 6. n. 3.* Petit. *ad leg. Attic. lib. 4. tit. 5. pag. 336.*

(d) *Sermon. 1.* Ni ita pacunt in comitio, aut in foro

foro ante meridiem causam consicito, cum perorant ambo praesentes.

Post meridiem praesenti stlitem addicito.

Sol occasus suprema tempestas esto.

Consicito) nota est ex veteribus hujus verbi significatio pro *judico, censeo*. Livius libro primo, apud quem Senator rogatus sententiam ita respondet. *Cum illo puro, ptoque duello quaerendas res censeo, itaque consentio consciscoque*, & mox: *Senatus P. R. Quiritium censuit, consensit, consivit, ut bellum cum priscis latinis fieret.* Huic proximam significationem habet hoc verbum in hac lege, ubi significat *cognoscere*. Vnde parcere poterat Labori Raevardus, cum pro *consicito* reposuit *gnoscito*. Nec felicior fuit eorum industria, qui pro *consicio* legunt *conjicito*. *Conjicere* autem *causam* est cum per indicem apud judicem, aut arbitrum exponitur. Paullus: (*a*) *Per regulam*, inquit, *igitur brevis rerum narratio traditur, & ut ait Sabinus, quasi causae conjectio sit.*

(c) *l. 1. ff. de diverf. reg. jur. antiq.*

Stlitem) veteres pro *litem*; ut *stlocum* pro *locum*. Vnde *Decemviri stlitibus judicandis* in decreto Asculanorum Romae in domo Caesia, & in elogio L. Caesonii Luilli Veronae. *Stlitem* autem *praesenti addicito* significat judicium reddito, ut supra exposuimus, eo sensu, quo Trebatius (*b*) dixit *religionum judicia addicere pro constituere.*

(b) *lib. 1. Religion. apud Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 18.*

Digitized by Google

Sol occasus.) hoc est *sole occidente*, nam ut varias huius loci lectiones praetermittam *sole ocaaso*, & *sol occasus* pro *sole occidente*, cum latine dicitur, tum eleganter. Singula enim participia sunt omnium temporum, ut recte Sanctius observavit. Legunt aliqui *sole occcaso dies suprema tempestas esto*; ubi *dies* pro *diei*. Ego si inserenda fuerit vox haec lege in ista mallem scribere *die*: nam veteres *die* pro *diei*, & *facie* pro *faciei*, (a) ut Caesar censebat esse ea nomina declinanda. *Suprema* vero *tempestas* dicitur pro *ultima hora*: quae tempore XII. tabul. erat solis occasus. Sed postea lege Praetoria supremum tempus fuit, quo Praetor in comitio supremam populo pronunciasset. (b)

(a) Gell. *lib. 9. cap. 14.*

(b) Varro *lib. 5. de ling. lat.* Festus *in verbo supremam.*

LXIX. DE VADIMONIO DESERTO.

Cum supra leges attulerimus, quibus jubebatur, ut reus eximeretur, qui vocatus in judicium dederat vades promittentes eum adfuturum ad certam diem; nunc eas proponemus, quibus excusabatur reus, qui datis vadibus ad certam diem non sese praestitisset, justasque deferendi vadimonii causas adferemus. Harum vero causarum expressum tantum in legum fragmentis invenimus morbum sonticum, sive rei, sive actoris, sive arbitri, sive judicis. Sonticum autem appellabant morbum vehementiorem, utpote corpori valde noxium; cum *sontes* sint *nocentes*, ut refert Festus ex AElio Solone: (c) unde *sonticus morbus* dicitur quidquid impedit corporis actiones, (d) quamobrem Tibullus in re obscoena,

(c) Festus *in verbo sonticum morbum.*

(d) *l. ult. ff. de aedilit. edict.*

Parce

Parce precor tenero nonilli ſontica cauſa eſt:

Cum is quem corripuiſſet morbus ex lege XII. tab. quam e legibus Numae in Decemvirales translatam non obſcure innuit Feſtus, (a) cauſam praeberet propter quam judicii dies protrahebatur, ſive ut eſt in priſca lingua diffindebatur. Huic Jacobus Gothofredus alias conceptiones jungit ex conjectura, & ſuboſerris veterum teſtimoniis, putatque in eadem lege fuiſſe incluſa vota publica pro ſalute Pop. Rom; quae poſtea in vota pro ſalute principis converterunt. (b) Juſtis etiam cauſis inſeritur abſentia ob publicum negotium, quam omni tempore juſtam excuſationem fuiſſe non dubito. (c) Quae conjecturae maxime adjuvantur verbis a Gellio relatis ex Cincii libro de re militari, (d) quae hujus veluti tabulae praebent exemplum. Quod autem Gothofredus *vindicem* hoc diſtinguit a *vadibus*, quod vindex fuerit, qui vocatum in jus liberaverit; vades qui reum ad certam diem judicio ſtiturum promiſerit, id utcumque veram habeat originem, tempore tamen evanuit, promiſcuuſque fuit horum vocabulorum uſus: & qui vindex erat, reum ob id judicio liberabat ſaepe, quod vadis munere fungeretur, ac reum judicio ſtiturum promitteret. Non magis probo adjectionem clauſulae illius ad hanc legem, *ſi ſtatus condictus cum hoſte*, quae clauſula hic eſt plane otioſa: unde malo cum ceteris eruditis eam ſeparatim locare. Verba tamen legis hujus prout ſunt ab eo commiſſa proferemus: ut quisque ſive reji-

(a) *in verbo* reus.

(b) *ex* Cajo *l. ſi calvitur. §. 1. ff. V. S.*

(c) Cajus *l. 6. ff. ſi quis caut. in judic. ſiſt.*

(d) Gell. *lib. 16. cap. 4.*

Digitized by Google

rejiciendo, sive probando judicio utatur suo. Is igitur etsi antea mutila verba protulerit, ita tamen sarcit scissuram in notis:

Judice arbitriove addicto vades, subvades danunto: vadimonii deserendi uti pacunt poena esto, extra quam si morbus sonticus - - - votum - - - absentia Reipub. ergo, aut status dies cum hoste intercedat; si quid horum fuat unum judici, arbitriove, reove, eo die diffensus esto.

Judice) sensus totius legis est.

Judicio constituto, judiceque adito vades, aut subvades judicio sistendi utrinque dantor, iique sistere teneantor: nisi morbus vehemens, vim graviter nocendi habens, votum aliquod absentia Reibublicae ergo intercedat, aut constitutus sit dies cum peregrino: nam si quid horum fuerit, & obvenerit judici, arbitriove, aut reo judicii dies differtor.

Subvades) cum utrinque ab actore scilicet, & reo dandi essent sponsores judicio sisti; censet Gothofredus *vades* dictos eos esse, qui spoponderunt pro reo; subvades qui pro actore, quorum verborum significationem suo tempore periisse refert Gellius. (a)

(a) *lib. 16. cap. 10.*

Danun-

Danunto) pro *danto* priſcum, ut ſaepe Plautus *danunt* pro *dant*.

Reove) priſcis reus fuit tam petitor, quam is unde petitur, dicitur enim reus, cujus de re agitur. (*a*)

(a) Cic. *de orat.* Feſtus *in hac voce reus.*

Diffenſus) id eſt prolatus, Gellius (*b*) dixit; & Livius *diffindere diem* pro differe libro nono. *Atque legem curiatam de imperio ferenti triſte omen diem diffidit.*

(b) *lib. 14. c. 2.*

LXX. DE OBVAGVLANDO.

Sed cum eveniret aliquando, ut qui rem ſuam ab aliquo in judicio repetebat, careret teſtibus, quibus intentionem ſuam judici probaret; Decemviri nequis nulla ſua culpa omnibus argumentis ad rem recuperandam deſtitueretur; facultatem dederunt actori, ut ante domum rei clamoribus, immo & conviciis rem ſuam flagitaret, palamque faceret omnibus eam improbitatem; ternis diebus, ac ternis nundinis, ſive nono quoque die. Solebant enim Romani ex agris nono quoque die negotiorum cauſa in Vrbem convenire, ubi eo die nundinae habebantur; inde natum, quod uſu adhuc retinemus, ut tribus edictis reus citetur. At ſi reus fraudem ſuam obſtinaret, remque tradere detrectaret; jus tamen erat actori, accitis ſecum ſui clamoris teſtibus, rei domum intrare rem ſuam, ſicubi eam inveniret ablaturus. Isque effectus erat illius publici clamoris, quae obvagulatio dicebatur, ad *portum*, hoc eſt ante domum. Non me fallit Turnebum (*c*) Salmaſium, (*d*) aliosque plures, hanc legem non refer-

(c) *lib. 2. adverſ. cap. 26.*
(d) *obſerv. ad jus Attic. & Rom. cap. 30.*

re ad actorem testimoniis destitutum, sed ad testem testimonium defugientem : adeo ut pro *defuerit* legant *defugerit*. Verum ab horum sententia me abducit Plauti locus, quo Raevardus priorem explicationem optime comprobat, (a) ubi poëta coquum inducit res in domum Euclionis illatas repetentem, eique nisi redderet, clamorem ante aedes, & maledicta minitantem. Cui explicationi etiam Gothofredus, & Ritterhusius suffragantur, en Plauti locum :

(a) *ad leg. XII. tab. cap. II.*

Da me bene amet Laverna, te,
Jam nisi reddi mihi vasa jubes,
Pipulo hic differam anto aedes.

ubi *pipulum* significat *convicium* prisca lingua. Nunc legem producamus :

Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.

Cui) sensus est : *ei qui testimoniis destituitur, liceat tertiis nundinis reum ante aedes conviciis obruere.*

Ob portum) hoc est *ante aedes*. Festus enim refert apud omnes convenire, ut portus in legibus XII. tabul. domum significet in verbo *portus*.

Obvagulatum) Festus : *vagulatio in legibus XII. tabul. significat quaestionem cum convicio* : in verbo *vagulatio*.

LXXI. DE VINDICIIS.

Et haec quidem inter actorem, & reum agebantur : quid autem his super deberent judi-

Digitized by Google

dices consulere, aliis legibus Decemviri constituerunt. Itaque possessionis, & proprietatis quaestionem discrevere: cum possit quis jure possidere, quamvis non sit dominus. Ideo dum proprietatis causa penderet, minime possessionem ademerunt ei, qui neque vi, neque dolo, neque clàm eam haberet: ad cujus legis exemplum verbis longe uberioribus Praetor composuit edictum *uti possidetis*. Quod jus convenit cum Aristotele in problemat. ubi ait possidentem permansurum quoad fuerit judicatum. (*a*) Hanc autem possessionis controversiam veteres *vindiciarum causam* appellabant, a *vindicando* sive *asserendo*, quod rem interea sibi possessor assereret. Cujus deinde vocabuli significatio propter similitudinem, & affinitatem rerum inter se conjunctarum excurrit latius: nam & ipsam possessionem, & possessionis controversiam, & rem, de qua controversia esset, ipsumque agrum, vel glebam imaginem agri, de qua inferius, vindiciarum vocabulo comprehenderunt: ut mirer aliquos adeo certare inter se, dum quaerunt cuinam potissimum rei hoc vocabulum conveniat: cum ex veterum testimoniis hasce significationes omnes includat, ut optime Turnebus observavit. (*b*) Ineuntes porro judicium apud Praetorem pugnae specimen quoddam praebebant veteres, qui nihil sine aliquo solenni signo aggrediebantur: quod judiciarium bellum exprimebant commissis inter se gladiorum loco festucis, instar militum inter se manus conserentium: quam *vim civilem*, *quotidianam*,

(a) Baldain. cap. 34.

(b) *Vide* Festum *in verbo* vindiciae. Gell. *lib.* 20. Alex. ab Alex. *lib.* 6. *c.* 10. Turneb. *lib.* 13. *adverſ. cap.* 23.

& festucariam appellabant, & tum *vim fieri moribus* dicebant. (*a*) Quae simulata concertatio umbra fortasse fuit verae dimicationis, quae, cum Hothomanno suspicor, veteres Romanos utpote rudiores, ac prope immanes, more veterum Longobardorum diremisse lites: ut cum alter alterum ad singulare certamen provocasset, is haberetur in jure potior, cui sors victoriam obtulisset. (*b*) Quem cum illi morem exuissent, atque induissent humaniorem, verum praelium versum fuit in simulatum; ac pugnam tantum retinuerunt imaginariam festucis expressam. (*c*) Etenim initio litigantes de possessione fundi Praetorem adibant, ut eum deduceret in fundum de quo controversia esset, quo judicaret utrius possessio foret: idque dicebatur venire *in rem praesentem*: indeque cum Praetore redibant: ejusque judicium expectabant. Verum quia Praetor multitudine negotiorum impediebatur una cum litigantibus ire; JCti rationem excogitarunt, qua profectionis molestia sublata, veterum judiciorum figura, & religio maneret. Itaque priscam illam profectionem imaginibus, verbisque simularunt, instituentes, ut in fundi gleba, veluti super toto fundo, cujus gleba illa simulacrum erat, judicium exerceretur. Quamobrem satis erat Praetorem adire, ut apud eum judicium intenderent: Praetor autem in Vrbe manebat, cum litigantes ipsi ex jure, sive ex loco, ubi jus reddebatur, proficiscerentur in fundum, unde glebam tollebant, eamque in judicium adducebant,

(a) Cic. pro Caecin.

(b) Hothom. 3. obscrv. cap. 15.

(c) Cic. pro Muren.

Digitized by Google

bant, ut per eam, quam & vindiciam vocabant, totus fundus, & profectio Praetoris in rem praesentem adumbraretur: ac rei loco imago illa subjiceretur. (a) Si de possessione igitur quaereretur, Praetor, quoad in judicio proprietatis alteri rem addicendam constaret, possessorem tuebatur. At secus erat in causa libertatis: In qua non possessionis titulus potior erat, sed libertatis: quia magis reipubl. conducit liberis urbem impleri, quam servis. Ideo in liberalibus causis, ubi alter in libertatem, alter in servitutem assereret reum, vindicia, sive possessio durante causa status dabatur secundum libertatem ut maneret liber, donec plane servum esse constaret. Id cum lege sua Decemviri constituissent, qui tamen inter eos auctoritate praestabat Appius Claudius, calumniosa interpretatione telam retexere conabatur: quippe qui senserat sua sibi lege praeclusum libidinosi consilii exitum. Notum est enim eum forma Virginiae virginis captum clientem suum M. Claudium absente Virginio patre subjecisse, qui eam peteret in servitutem, sive suam servam esse contenderet. Cum autem Decemvirali lege durante judicio libera permanere deberet, Appius ejus potiundae spe puellam M. Claudio tradere in servitutem cogitabat: verum quia sua ipsius lege prohibebatur, negabat beneficio legis gaudere, qui ab alio, quam a patre in libertatem assereretur. Itaque pronunciavit absente patre vindicias dandas secundum ser-

(a) Brisson. de formul. lib. 5. cap. 6. Raevard. ad leges XII. Tabul. c. 6. Rosin. de judic. lib. 2. cap. 13.

Digitized by Google

vitutem, sive tradendam virginem interea in Servitutem ei, qui sibi dominium assereret illius: cum non a patre, utpote absente, sed ab avunculo vindicaretur in libertatem. Quae ferox libido, & atrox calumnia, quam seditionem excitaverit, quantaque de auctoritate, atque imperio dejecerit Decemviros satis liquet ex historiis Romanorum. (a) Antequam tamen is, qui status controversiam patiebatur, ad quasi possessionem libertatis rediret, sponsores dare oportebat, qui eum judicio stituros promitterent. Atque haec sane libertatis gratia sunt constituta. Ceterum reliquarum possessio rerum, si nec vi, nec dolo, neque clam capta fuisset, judicii tempore apud ipsum permanebat possessorem. Si vero aliquis falso vindiciam tulisset, sive falso rei alienae possessionem sibi asseruisset, hoc est si praedo esset, & malae fidei; tum tribus arbitris rei cognoscendae captis, duplum fructuum ex ea re perceptorum reddere damnabatur. Quod jus conservatum in Codice Theodosiano fuit, (b) quamvis in Justiniani libros minime traductum. Is enim satis habuit praedonem fructus omnes reddere, bonae fidei vero possessorem restituere fructus a die rei in judicium deductae. (c) Cujacius autem docet duplicium fructuum praestationem ante Justinianum obsoleviſſe. En autem leges.

(a) Livius lib. 3. Dionys. lib. 4. Pompon. l. 2. §. 24. ff. de orig. jur.

(b) l. 1. C. Theod. de fruct. & lit. expens. l. 1. §. ex die ff. unde vi.

(c) l. 1. §. ex die ff. vi, & vi arm. l. 2. §. ult. ff. de interdict. l. videamus 38. §. Fabian. ff. de usur. Instit. de offic. jud. §. 1.

Si qui in jure manu conserunt, utrisque superstitibus praesentibus secundum

Digitized by Google

dum eum qui possidet. Aſt ſi qui quem liberali cauſa manu adſerat, ſecundum libertatem vindicias dato.

Si vindiciam falſam tulit, Praetor rei, ſive ſtlitis arbitros tris dato: eorum arbitrio fructi duplione decidito.

Manu conſerunt) hoc eſt *ſi apud judicem diſceptetur.*

Vtrisque ſuperſtitibus) *ſuperſtites* dicebantur veteribus *teſtes*, quod rei ſuperesſent. (*a*)

(a) Feſtus in verb. ſuperſtites.

Si quem liberali) hoc eſt *ſi quis quem adſerat in libertatem.*

Secundum) dare vindicias ſecundum libertatem, eſt in libertatis poſſeſſione ponere.

Si vindiciam) hoc eſt *ſi injuſtam poſſeſſionem ſibi abſtulit, ſive ſi rei alienae poſſeſſionem occupavit.* Totius autem legis hic eſt ſenſus: *Malae fidei poſſeſſionem ſi quis nactus ſit, Praetor ei rei definiendae tres arbitros dato: eorumque arbitrio malae fidei poſſeſſor fructus in duplum praeſtato.*

Rei ſive ſtlitis) jam diximus veteres *ſtlitem* dixiſſe pro *litem*: *ſtlocum* pro *locum*. differt autem *res* a *lite* quod *res* eſt idipſum de quo

quo disceptatur; *Lis* est ipsa rei disceptatio: unde *res* est extra judicium, *lis* semper in judicio. Quam JCtorum distinctionem falsè deridet Cicero in orat. pro Muren. nempe ut callidus dicendi artifex Jurisconsultorum auctoritatem, qua maxime in ea causa premebatur, extenuaret. Frequens est autem apud veteres JCtos horum verborum conjunctio. Varro 4. de ling. lat. *quam rem, sive litem dicere oportet.*

Arbitros) hic numerus erat solennis dandorum arbitrorum.

Fructi duplione) hoc est *fructus duplionem: fructi* enim genitivus est veterum, qui nomina quarti ordinis ad normam etiam secundi ordinis flectebant; unde *fructus fructus* dicebant, & *fructus fructi.*

LXXII. De SENTENTIA, ET RE JVDICATA.

Controversiae judiciorum, atque litium discordiae sententiis judicum praeciduntur; quae sententiae in rebus singularibus funguntur vice legum in generalibus. Rursus sicuti publicae res, atque status civitatis legum auctoritate componitur; ita privatorum negotia, & jurgia sententiarum auctoritate sedantur: ut e privatis rebus in tranquillum adductis, etiam quies publica exoriatur. Vnde summa vis tribuitur rebus judicatis: ne si judicum sententiae rescindantur, turbato statu singulorum, publica etiam tranquillitas obumbretur. Itaque Decemviri auctoritatem rerum judicatarum suis legibus maxime muniebant, eodemque loco habentes eum, qui debitum confessus esset in judicio, cum

cum eo qui ejus debiti nomine convictus a testibus esset, & a judice damnatus: triginta dierum spacium judicato faciendo, aut confessae pecuniae contrahendae solutionis causa praestiterunt. Quos dies *justos* appellarunt, nomen, & praefinitionem temporis ducentes a militia: unde non paucae similitudines ad rem forensem commigrarunt: cum non aliud sint judicia, quam praelia verborum, quae loco verorum praeliorum, quibus jure naturae homines contendebant, successerunt. Vt igitur *dies justi* vocabantur in bello triginta illi dies, quibus non licebat hostem lacessere, vel res repetere, dum vexillum rufi coloris in arce defixum erat, & exercitus imperatus: hisque oppositi erant *praeliares dies*; (a) ita & in re judiciaria dies illi triginta post sententiam, quibus judicium quiescebat justi appellantur. Hoc autem tempus initio menstruum, sequenti tempore protractum fuit ad bimestre, (b) atque demum a Justiniano ad quatuor menses: praeterquam in possessoribus rerum alienarum, quarum auferendarum etiam manu militari jus habent domini statim post sententiam. (c) Lapsis autem triginta diebus, nisi judicatum faceret reus, aut vindicem inveniret, qui fidem ejus praestaret, adprobanteque creditore debitum in se susciperet; jus erat creditori, manus in debitorem injicere, ut eum ad Praetorem raperet, ac pro servo sibi addicendum curaret: isque creditori debiti gratia sic addictus, appellabatur nexus, & obaeratus, propter statum servitutis, quem ex

(a) Gell. *lib. 20. cap. 1.* Festus *in verbo justi.* Macrob. *1. Saturnal.*

(b) *l. 2. in princ. C. de usur. rer. judic. l. penult. & ult. §. ult. C. eod. l. 2. C.* Theodos. *eod.*

(c) Cujac. *in C. de exec. rei judic.*

Digitized by Google

aere alieno ſubibat. Quem etiam Romani morem ſumſerunt ab Athenienſibus, etſi jam poſt Solonis legem extinctum. Licebat enim Athenis ante Solonem creditoribus injicere manus in debitores, quibus abductis, eorumque corporibus oppigneratis pro ſervis uterentur, itque homines creditoribus obnoxii ἀγωγίμοι vocabantur. (a) Ne vero ſic addicti aufugerent, dominis licuit eos nervo, & compedibus vincere propria in domo creditoris, tamquam in carcere privato, catena injecta non majore quindecim pondo. (b) Porro ita vinctum, aut ex ejus ſubſtantiis, ſi quidem vellet, & poſſet, vivere oportebat; aut ex ipſius creditoris bonis capere cibum, & veſtitum, qui victus nomine veniunt. (c) Victum vero Decemviri definierunt *libras farris in dies*, ſive ut interpretantur eruditi libram farris in ſingulos dies. Haec autem verba XII. tabul. ex Gellio deſumta, fuerunt ſuſpecta eruditorum compluribus, tum propter obſcuritatem; tum quia nimis large pro veteri parcitate, ac duritie cibus videtur definiri libra farris: cum ſelibra victus fuerit hominum frugi quotidianus, quibus obaerati, & ſervi non debuiſſent tractari benignius. Bibaculus (d) de Valerio Catone.

(a) Plutarch. *in Solon. & libel. de vit. uſurar.*

(b) Plurarch. Bacchid. *ſcaen. ult. & Menech. Sc. 2.* Terent. Phorm. *act. 2. Sc. 2.* Cic. *2. de orat.*

(c) *l. ſi victum 34. ff. de re jud. l. quos nos hoſtes 233. ff. V. S.*

(d) *apud* Nonium.

Quem tres cauliculi, ſelibra farris
Racemi duo, tegula ſub una
Ad ſummam prope nutriunt ſenectam.

Et Titinius:

- - - - - *libram ajebat ſatis*

Eſſe

Digitized by Google

Esse ambobus farris intriti; plus comest sola
Vxor - - - - -

Me tamen aeedem auctoritates in veteri lectione retinent. Siquidem his victus tenuitas per selibram farris significatur. Quis autem credat tenuem fuisse victum obaeratorum, quibus ad serviles operas, durumque laborem corpore opus erat firmo, & viribus integris? ut non mirum si eis integra libra praeberetur. His autem sic addictis datum est LX. dierum spatium ad paciscendum cum creditore, impetrandumque ab eo majores inducias, aut oneris levamen aliquod. Ac si creditor esset inexorabilis, post triginta dies ducere debitorem poterat ad Praetorem; ac deinde per trinundinum, sive ternis diebus nundinalibus, quibus majori populus frequentia negotiorum causa ex agris in Vrbem concedebat, eum producebat in publicum, aut palam in foro proclamandum curabat quanti esset damnatus, ut emtorem inveniret. Ita vero initium harum nundinarum sumere oportet, ut extremus nundinarum dies incidat in sexagesimum, ut in hac lege sententiarum repugnantiam victemus, quam primus & notavit, & hac interpretatione sustulit Hotthomannus. Si vero nemo civium emeret, tum licebat debitorem vendere peregrino, eumque ob id trans Tyberim ducere. At si pluribus creditoribus teneretur, tum crudele in speciem explum in eum erat constitutum. In speciem, in-

Digitized by Google

Si qui pipulo occentaſſit, carmenve condidiſſit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, fuſte ferito.

Pipulum eſt convicium a *pipatu* pullorum. *Pipare* enim Oſci dicebant pro ejulabunde *conqueri*. Vnde *pipulo differre*, eſt afficere infamia. *Fuſte* autem *ferire* eſt ad necem caedere. (*a*)

(a) *l. 1. §. occiſor. ff. de S.C. Syllan. l. 8. §. 1. ff. de ponis.*

LVI. DE RELIQVIS INJVRIIS.

Nunc ad injurias re illatas veniamus: quarum nomine inter Athenienſes dabatur accuſatio, ſive actio in caput, & multatio, ſive actio in pecuniam: haec privata erat, illa publica: privata dicebatur αἰκίας δίκη; publica ὕβρεως γραφή, de his acrius, quam res ferret inter Salmaſium, (*b*) & Heraldum (*c*) dimicatur. Hic enim utramque actionem trahit ab uno, eodemque genere injuriarum, ſub diverſis agendi modis. At ille a diverſis generibus injuriarum, diverſas ducit actiones. Patronum adoptat ſibi uterque Demoſthenem, (*d*) apud quem dicitur praelatam fuiſſe actionem αἰκίας, cum potuiſſet agi γραφῇ ὕβρεως. En inquit Heraldus ex eodem injuriarum crimine variam agendi facultatem. At Salmaſius plura genera injuriarum putat conveniſſe in illud crimen, atrocius videlicet, & levius; nec verberibus tantum petitum fuiſſe accuſatorem, ſed vulneribus, & luto inquinatum: docetque de injuria graviori ὕβρεως γραφὴν; αἰκίας vero δίκην de leviori deſcendere. Qua in re Salmaſius veteres Grammaticos habet auctores; Heraldus vero rationibus, & ſubtilitate contendit.

(b) *In obſervat ad jus Attic. & Rom.*

(c) *in animadverſ. adverſ. Salm.*

(d) *in orat. adverſ. Conon.*

Digitized by Google

dit. Confligunt acriter, nec pugnae finis, aut spes ulla pacis: nec nostrum, aut hujus loci dirimere tale praelium. Verberationis autem ex Athenienſium legibus poena erat pecuniaria: (a) quae, ſi laeſus accuſaret, laeſo cedebat; ſin alius fiſco: nam ex lege Solonis cuilibet ex populo vindicare licebat illatam privato vim, cum in ea publicae auctoritatis, & cuſtodiae contemtus verteretur (b) Meditati vero, conſilioque illati vulneris poena erat exilium, & publicatio bonorum: & tandem ſupplicium capitale, ſi reus contemta exilii poena rediret in patriam. (c) Qui monoculo vero excluſiſſet oculum, ei amittendus erat uterque per talionis poenam, quam e Solonis tabulis in ſuas Decemviri leges traduxerunt: eo ſcilicet capite, ubi de membro rupto cavebatur: pro quo par membrum amputandum erat ei, qui ruperat, (d) niſi pactione quis poenam redemiſſet, quod lege permittebatur. (e) Os autem fractum pecunia vindicarunt in libero quidem 300. aeris, in ſervo 150. Diſtinxerunt ab oſſe membrum, quia proprie membrum caro eſt, & pellis, qua artus teguntur, ut Popma notat; (f) hinc aliud membrum rumpere, aliud os frangere. Os autem & membro includitur, uti pars illius. Non abſimilem legem ex Catonis originibus profert Priſcianus lib. 6. quam ad aliarum gentium mores reſpicere cenſet Hottomannus. (g) Ob oris percuſſionem, aliamve injuriam non amplius viginti quinque gravis aeris poenam Decemviri conſtituerunt: quae quamvis a Favorino (h) propter

(a) Lyſias ἐν τῷ περὶ αἰκίας πρὸς Ἰσοχράτην.

(b) Vlp. *in Midian. Petit. ad leg. Attic. pag. 526.*

(c) Lyſias ἐν τῇ ὑπὲρ Καλλίου ἀπολογία.

(d) *Inſtit. lib. 4. injur. §. 7.* Feſtus *verbo Talio. l. 3. C. Theodoſ. de exhiben. reis.*

(e) Gell. *20. cap. 1.* Paul. *5. ſent. cap. 40.*

(f) *de diff. verb. verb. artus.*

(g) *ad leg. XII. tabul. in hanc leg. pag. 470.*

(h) *apud* Gell. *lib. 20. cap. 1.*

Digitized by Google

levitatem, etiam Labeone auctore, irrideatur; tamen prae temporum illorum inopia, non erat fortasse tam levis. Prolatis vero finibus, auctaque Vrbe spoliis, & opibus exterorum, viluit ea poena. Quem enim jactura 25. assium ab injuria in tanta opulentia revocasset? Vnde quid mirum, si L. Neratius homo egregie improbus homines, & leges adeo ludibrio haberet, ut obviorum os palma percuteret, oblatis continuo 25. assibus per servum, quem pecunia onustum secum circumferebat? Cum igitur ea poena contemneretur, coeperunt a Praetore judices injuriis aestimandis dari, quos propterea Recuperatores appellarunt, quia in privatis commerciis jus quisque suum per eos recuperaret. Placet locum hunc auctoritate Collatoris legum Mosaicarum concludere, apud quem haec leguntur, prout Salmasius restituit. *Injuriarum actio, aut legitima est, aut honoraria; legitima ex lege XII. qui injuriam faxit quinque & XX. aeris poenae sunto. Qui membrum rupsit talio esto. Qui ossa fraxit libero tercenti aeris, servo centum, & triginta poenae sunto.* Nunc leges producamus.

Si membrum rupsit, ni cum eo pacit talio esto.

Si qui injuriam alteri faxit XXV aeris poenae sunto.

Qui os ex genitali fudit libero CCC, servo CL, aeris poenae sunto,

Si

Digitized by Google

Si membrum rupsit) ita legem hanc omnibus probantibus restituit (a) Cujacius.

(a) Cujac. *Instit. de injur. §. 7.*

Pacit) a verbo antiquo *paco* pro *pacisco*. Cujacius ibid. nisi pro *paco* legamus cum Laurembergio *pago*, & *pagit*. Dicitur *talio* a *tale*, quia tale ac simile rependitur.

Qui os) ita restituitur a Petro Pithoeo; ceterum genitale dictum arbitror ubi gignitur: non ut P. Pithoeus, dentem excussum a gingiva, ne nimis coangustemus legis sensum: quasi non quaelibet ossis fractio, sed solum dentis e gingiva excussio puniatur.

LVII. DE PECVNIS REPETVNDIS.

Absolutis judiciis privatis, ad publica veniamus, exordientes a lege condita contra judices, arbitrosve pecunia corruptos. Quod flagitium, quia integritate judiciorum salus publica unice munitur, Decemviri capite punierunt: gravius longe agentes, quam Athenienses, (b) & ipse Plato, (c) nam illi pecunia crimen aestimarunt: hic duplo ejus rei, quae in judicium deducebatur, quod judex reddere cogitur ei, quem sua sententia laesit. Ab hac autem XII. tabul. severitate recessit posterior aetas in deteriores prolapsa mores. Cumque veterum legum oblivio, & impunitas judicum pudendam judiciorum corruptelam peperisset; supervenit lex Julia repetundarum, qua deinceps tale crimen coërceretur: de qua lege disputandi locus erit libro sequenti. Praeterea ex Praetoris adicto, qui litem suam fecisset, sive per dolum injuste judicasset, parte laesae

(b) Jul. Pollux. *lib. 8. cap. 1. Interpres* Tucyd. *& ad l. 6.*

(c) *lib. 8. de legibus.*

Digitized by Google

laesae veram judicii aestimationem praestare jubetur, (a) aliaeque poenae a constitutionibus principum accesserunt. (b) Dolo autem judicare videtur, qui per gratiam, aut per inimicitias, aut per sordes in fraudem legis sententiam tulerit. Lex autem talis fortasse fuit.

(a) *l. 15. §. finium fam. ff. de judic.*

(b) *c. de poen. jud. qui male judic. & novel. 124. c. 2.*

Si judex arbiterve jure datus, ob rem dicendam pecuniam accepsit capital esto.

LVIII. DE FALSIS TESTIBVS.

Porro judiciorum integritas non solum avaritia judicis coërcenda, sed etiam perfidia testium avertenda conservatur. Judices enim e dictis, ac fide testium sententiam expromunt suam. Quamobrem ne falsitas testium sententias pariat injustas; oportuit metu poenarum falsos testes ab aditu judiciorum absterrere. Ideo apud Graecos, (quam nationem Cicero ajebat sacramentorum fidem nunquam coluisse,) gravibus poenis mendacia testium prohibebantur: ut Atticis legibus qui falsum in judicio protulissent, praeter multam etiam infamiam sustinerent: quae & in producentem quoque falsos testes redundabat. Quod judicium κακοτεχνῶν vocabatur. (c) Romani vero quamvis integrioris fidei, tamen propter majorem judiciorum religionem supplicium exacerbarunt. (d) Igitur exemplo Platonis, qui ter falsi convictum testem neci dedendum decrevit lib. II. de leg. jusserunt Decemviri, ut falsus testis e saxo Tarpejo dejiceretur: cujus loci profunditatem, non dum, ut postea eversa Roma veteri, rui-

(c) Demest. *in τῷ κατ' Εὐεργον ἐν τῷ πρὸς Τιμόθεον.* Pollux. *l. 8.* Petit. *ad leg. Attic. lib. 4. tit. 7.*

(d) Gellius *lib. 20. cap. 1.*

Digitized by Google

ruinae aedificiorum impleverant, ut altior antea dejectus in planitiem fuerit. Verum relaxata simul cum virtutibus civium lege, capitalis poena conversa fuit in exilium, aut relegationem in insulam, (a) quam perpetua infamia comitabatur, aliaeque poenae a judicis arbitrio pendentes: (b) quae tamen ab eruditis Triboniani adjectio reputatur. Noluit enim Tribonianus, ut Cujacius suspicatur, has poenas, forte quia sibi graviores viderentur, exprimere: unde adjecit ad legem qui falso ff. de testibus: *a judicibus competenter puniantur*, vel ut legit Harmenopulus *a judicibus competentibus puniantur*, ὑπὸ τῶν προσφόρων ἀρχόντων τιμωρῶνται. Vnde consulto suppressit Paulli verba, quae in sententiarum libris, unde lex illa sumta fuit, inveniuntur.

(a) Paul. *sent. lib. 5. cap. 15. & l. 1. ff. ad l. Cornel. de falsis.*

(b) *l. qui falso ff. de testib.*

LIX. DE TESTE DESERTORE.

A falso teste transeamus ad eum, qui cum sese testem obtulerit, vel libripendem, quem loco testis adhibebant, postea testimonium ferre in judicio, dictaque sua comprobare detrectet: qui testimonii desertor meo judicio recte appellabitur, isque etiam testimonium defugere dicitur, ut & qui rei alicujus auctor haberi nolit, is defugere dicitur auctoritatem. Quod apud Graecos crimen dicitur λειπομαρτύριον, quasi testimonii destitutio. (c) De qua Decemviralem legem adfert Gellius, (d) verbis adeo depravatis, ut nescio an iis restituendis doctissimorum virorum conamina sufficerint, de quibus inferius. Poena hujus criminis ex XII. tabul. legibus erat, ut qui testimonium ferre refugisset esset intestabilis, nem-

(c) Petit. *ad leg. Attic. lib. 4. cap. 7. pag. 357.*

(d) *lib. 15. cap. 13.*

Digitized by Google

pe ut neque alios in re sua testes adhibere posset; neque adhiberi ipse in re aliena, (a) & insuper improbus haberetur. Cujus vocabuli significatio veteribus erat atrocior: continebat enim infamiam, & publicam ignominiam. Vnde Livius lib. 10. refert. *Valeriam legem, quae vetaret necari, aut virgis caedi eum, qui ad populum provocasset adversus eum, qui in legem incidisset, non aliam poenam statuisse, quam ut haberetur improbe factum:* tantusque hominum erat pudor, ut validissimum esset honestatis vinculum infamiae metus. Nunc legem proferamus.

(a) *l. cum lege 26. & l. ii cui 18. §. ult. ff. qui test. fac.*

Si falsum testimonium dicassit saxo dejicitor.

Qui se sirit testarier libripensve fuerit ni testimonium fariatur, improbus intestabilisque esto.

Sirit) pro *siverit.*

Testarier) hoc fuit apud veteres ex iis verbis unum, quae ad actionem simul, & passionem significandam adhibebantur, ut notat Gellius ex hac lege lib. 15. cap. 13. ubi verbum hoc παθητικῶς accipitur, ut *qui se sirit testarier* significet, qui se passus sit in testem adscribi.

Fariatur) ita repono cum Raevardo, donec melius aliquid emergat: prisco enim sermone *moriri* dicitur pro *mori; aggrediri* pro *aggredi*, unde & dici potuit *fariri* pro *fari:* nisi legere malimus cum Hotthomanno *fateatur*, vel cum Cu-

Digitized by Google

Cujacio *feriatur* pro *cogatur*, satis dure; vel cum Salmasio (*a*) *fariratur*, hoc est eatur ad fatendum.

(a) *ad leg. Attic. c. ult. p. 817.*

LX. DE COETIBVS NOCTVRNIS

Nunc ad crimina veniamus ea, quibus reipulicae status graviter perturbatur; quibusque prohibendis Decemviri lege lata nocturnos coetus, & clandestinas coitiones prohibuerunt. Noctem enim τῶν πολλῶν κακῶν ἀρχηγὸν, ducem plurimorum malorum appellat Menander. Vt igitur causam omnem nocturni coetus removerent, Romani ne S. Ctum quidem condi licere voluerunt, post Solis occasum. Vnde abeunte die, horam, quae sequebatur *intempestam* appellarunt, quasi tempus minime rebus gerendis idoneum. Quo nomine Porcius Latro Catilinam insimulat in ea declamatione, (*b*) ubi legis hujus Decemviralis monumentum reliquit. Haec etiam inter alias damnandorum Bacchanalium causas adfertur, quod scilicet nocte agitarentur. (*c*) Ideo & Diagondas Thebanorum Imperator sacra nocturna omnino delevit. Legis autem Decemviralis haec videtur fuisse sententia.

(b) *declamat. in Catil.*

(c) Cic. *lib. 2. de leg.* Livius *lib. 39.*

Si qui in Vrbe coetus nocturnos agitassit capital esto.

LXI. DE CRIMINE PERDVELLIONIS.

Nihil vero crimine perduellionis atrocius, quo status civitatis evertitur, & publ. Pop. Rom. majestas violatur, de qua plenius libro sequenti. (*d*) Lege autem XII. tabul. haec praecipue perduellionis capita comprehenduntur: alterum nempe illius, qui hostem concitasset, (*e*) sive ut ego

(d) Cic. *pro Rabir. & Verr. 3. & tot. tit. ff. ad l. Jul. majest.*

(e) *l. 1. ff. ad l. Jul. majest.*

Digitized by Google

ego interpretor, qui aliquem ex amico Pop. Rom. hoſtem dolo, conſilioque ſuo reddidiſſet, & clam commoviſſet, ſollicitaſſet, ſubegiſſet, ut adverſus Rempub. ſe compararet. Et quamquam is etiam, qui contra prohibitionem Imperatoris cum hoſte pugnaſſet, idem crimen incurreret; tamen atrociorem ſenſum, quem ſupra expoſuimus, lex nominatim complexa videtur. Alterum vero criminis caput eſt illius, qui civem in hoſtium poteſtatem tradidiſſet. Quae ſcelera capite plectebantur. Perduellis autem dicitur hoſtis, (a) quia veteres pro *bello*, *duellum* enunciabant. Vnde perduellis ab Vlpiano definitur, (b) *qui hoſtilem animum adverſus Rempub. aut principem gerit.* Lex autem Decemviralis haec fortaſſe fuit:

(a) *l. quos nos hoſtes 234 ff. V. S.*

(b) *Lulf. ff. ad l. jul. majeſt.*

Si quis perduellem concitaſſit, civemque perduelli transduit capital eſto.

Transduit) pro *tradiderit:* veteres enim *duit* dicebant pro *det.*

LXII. DE PARRICIDIO, SIVE HOMINIS CAEDE, ET VENEFICIIS.

Pergamus nunc jam ad eos, qui hominem caede ſuſtulerunt: quorum poena, ſi ſuſceptum conſilio facinus eſſet apud Athenienſes, ad ultimum extendebatur ſupplicium, quod voluntario exilio antequam judex pronunciaret, effugere licebat, (c) ut interpretatur Samuel Petitus, quia rei poſt primam orationem apud Areopagicas poterant exilio ſe ſubducere, quod exilium publicatio bonorum conſequebatur. (d) Verum ſi qui hac ex cauſa ſolum vertiſſet, in Atticae

(c) Demoſt. *in Midiana & in* τῶν ἐπὶ Παλλ. ἀρεοπαγίτ.

(d) Samuel Petit. *ad leg. Attic. lib. 7. tit. 5. pag. 398.*

Digitized by Google

ticae finibus deprehenderetur, impune poterat occidi, aut Magistratibus tradi multandus. Quod in suas quoque leges Plato transtulit, (a) & pluribus Demosthenis locis comprobatur: quos locos frustra suis conjecturis tuendis vexat Salmasius optimis rationibus ab Heraldo (b) redargutus. At si casu hominem quis interemisset, annum extra patriam exulare legibus jubebatur. (c) Non minori vero poena homicidium dolo admissum ulciscuntur leges Decemvirales, vel lex Regia, nempe Numae, ut aliqui arbitrantur a Decemviris in XII. tabul. traducta: quae prisca locutione homicidam notat *parricidae* vocabulo, quod apud veteres quodlibet homicidium complectebatur: (d) neque apud eos discrimen ullum invenitur inter *capital esto*, & *parricida esto*, quae clausula poenis omnibus capitalibus attexebatur, ut Cicero (e) fecit: *Sacrum*, inquit, *sacrove commendatum qui clepserit, rapsitve parricida esto.* De illo vero, qui hominem imprudens occidisset, haec a Scaligero e Schedis Servianis adferuntur ad hanc legem: *ut* scilicet caedem expiet in concione ariete caeso. Quod cum ad hanc legem pertinere non constet, longioris morae mihi causam non praebebit. (f) Paribus etiam subjicitur poenis, qui hominem veneno sustulit: quinimmo eo gravius hic delinquit, quod latendi facilitate possit delinquere liberius; majusque periculum ab insidiis, quam a vi hominibus creatur. Et quia venenorum propinator

(a) *lib. 9. de leg. ubi de homicidio volunt. loquitur.*

(b) *In animadverss. adverss.* Salmas. *ad jus Attic. & Rom. lib. 4. tit. 4.*

(c) Petit. *ad leg. Attic. lib. 7. tit. 1. pag. 512.* Scholiast. Euripid. *in* Hipp. Tzezes *ad* Lycophron. Hesychius Demosth. *ἐν τῷ κατ' ἀριστογείτονος.*

(d) Festus *verbo* Parricid.

(e) *lib. 2. de leg.* Scalig. *ad* Fest. *verbo parric.*

(f) *Vide* Rosin. *ad leg. Reg. in leg. Numae.*

Digitized by Google

saepe miscet huic maleficio magicas artes, quas profitentur praestigiatores, & mulieres eae, quas sagas appellabant: (a) quorum incantationes, & carmina vi Daemonum armata, mentes corporaque hominum labefacere, frugesque ab agro traducere veteres existimabant, (b) adeo ut Cajus Furius, qui agrum suum proprio labore inopinato pinguefecerat, in hujus maleficii suspicionem facile venerit; (c) propterea poenam edixere Decemviri adversus eos, qui malis carminibus homines, aut animalia commaculassent, aut segetes, frugesque alienas pellexissent. Poenam hujus criminis habemus, si Scaligeri conjecturam in restituendo, supplendoque mutilato Festi loco amplectamur: discemusque illam ex sequentibus: siquidem ita Scaliger explet Festi lacunam scribens. (d) *Nam in fine manifesto haec scripta fuere. Tribus XXXV. aut privilegia irrogare, aut de capite civis statuere, nisi maximo comitiatu vetant XII. tab. leges, praeter quam veneficos, quique malum carmen incantant, quia ipsi indemnati jure occiduntur.* Fuit autem fortasse lex homicidia, incantationes, & veneficia coërcens haec.

(a) Plin. *lib. 28. cap. 2.*

(b) Tibul. *lib. 1. eleg 8.*

(c) Plin. *lib. 18. cap. 6.*

(d) *lib. pr. in fine.*

Si quis liberum hominem dolo sciens morti duit; quive malum carmen incantassit, aut malum venenum faxit duit, ve parricida esto.

Duie)

Digitized by Google

Duit) pro *dederit* satis notum.

Atque caedes hae, ut monuimus, prisca significatione parricidii vocabulo continebantur, Parentum vero caedem, cui uni proprietate sua hoc nomen convenit, utpote criminum atrocissimum, adeo Solonis leges abominabantur, ut quod satis non posset vocibus, silentio detestarentur: utpote indignum, quod in cogitationem hominum verbis adduceretur: ne, cujus criminis notitiam natura non suggerit, a lege offerretur. (*a*) Veteres vero Romanorum longe deterius de humanae naturae pravitate judicantes, non silentio, sed metu, & atrocitate poenarum illud avertere studuerunt, lege lata, quam Scaliger (*b*) aliique doctiorum adscribunt Regibus, nempe Romulo, aut Tatio, aut Servio; ut qui pueri, aut nurus parentes verberassent, divis parentum sacri essent, hoc est divis illis devoverentur. Diis enim devoti sacri fiebant, & a quolibet impune occidi poterant; tamquam Diis criminis ejus ultoribus victima illa mactaretur. Cum hac de re a regibus nominatim cautum reperiamus; fas erit suspicari minime siluisse illos de caede parentum, eosque auctores fuisse legis ejus, quam postea Decemviros credo in XII. tabul. conjecisse. Hujus autem sceleris reus caesus cruentis virgis, culleoque insutus cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, quibus rabie incensis laniaretur, mari mergebatur ab omnium elementorum

LXIII. DE CAEDE PARENTVM.

(a) Cic. *pro* Rosc.

(b) *in verbo plorare & verbo nuptias apud Festum.*

Digitized by Google

torum commerciis quasi segregatus, cum nec terram attingeret, neque aquam; etenim ab ea culleo discernebatur. Cujus exemplum supplicii Tarquinius jam ediderat in M. Tullio Duumviro, propter proditam arcanorum fidem. (*a*) Lex autem haec est.

(a) Valer. Max. lib. 1. cap. 1. n. 13. Non. cap. 2.

Qui parentem necassit caput obnubito: culleoque insitus in profluentem mergitor.

Obnubito) notum est *nubere* quid significet prisca origine, scilicet *velare*. Et quia sponsa ob pudorem velabatur, cum ad mariti domum deduceretur: inde *nupta*, & *nuptiae:* verbumque *nubere* in conjugalem significationem vulgo transivit.

LXIV. DE INCENDIO.

Nulli criminum atrocitate caedit incendium dolo excitatum: cujus rei leges XII. tabul. exemplum posuerunt in eo, qui acervum frumenti ad alienas aedes positum combussisset, non quia hoc tantum incendium punierint, sed quia rei rusticae tota vita deditis haec exempla crebrius occurrebant: unde sub ea reliqua incendiorum genera comprehenderunt, & eos, qui quovis modo incendium conflassent igne cremandos jusserunt: ut unde damnum aliis attulissent, inde & ipsi mortem haberent: postquam vincti, verberatique fuissent, quae capitalium omnium suppliciorum erant exordia; servi tamen, & viliora capita pergentes ad supplicium, nudi crucem, & furcam sibi ferentes per vias caedebantur, unde

Digitized by Google

de *furciferi*, crebrum apud Plautum, & Terentium convicium. At si ex aliena negligentia incendium aliquo serperet, civili actione dupli persecutio dabatur, (*a*) eaque actio incensarum aedium dicitur in pluribus juris locis. (*b*) At si solvendo reus non esset leviter verberabatur; propter eam de poenis regulam, uti qui aere nequit, corpore damnum luat. (*c*) Legis porro sententiam his verbis reddidit Gothofredus.

(a) *l. capitalium 28. §. 12. de poenu.* Paul. *lib. 5. sens. tit. 3 ubi Cujac.*

(b) *l. juris gentium §. 13. ff. de pactis. l. 1. C. de l. Aquil.*

(c) Balduin. & Ritt *ad hanc l. vide cap. de incendiariis ap. eumd.* Rittars.

Qui aedes acervum frumenti ad aedes positum dolo sciens incensit, vinctus verberatus igni necator: ast si casu noxiam sarcito; si nec idoneus escit levius castigator.

Incensit) pro *incenderit*, sicut *incoepsit*, ut notat Festus verbo *incensit*. (*d*)

(d) *Vide l. 9. §. 1. qui aedes ff. incend ruin. naufrag.*

LXV.

DE ORDINE JUDICIORUM, ET DE IN JUS VOCANDO.

Expositis legibus, quibus crimina coërcentur, leges judiciarias, judiciorum ordinem dirigentes, explicemus. Judiciorum autem exordium erat vocatio in jus. Jus enim dicebatur etiam locus, ubi causae agitantur. Igitur actor reum conveniens vocabat in jus ad eum, qui jurisdictioni praeest, ad Praetorem, cupiens cum eo disceptare, ac jus experiri suum. Cujus vocationis hae solennes erant formulae. *In jus eamus:* vel *in jus veni:* vel *sequere ad tribunal:* vel *in jus ambula.* (*e*) Vocationi reus ex Legibus XII. tabul. confestim parere jubebatur, ac si declinare

(e) Brisson. *lib. 5. de formul. in princ.*

vellet judicium & sese actori subducere satageret, licebat repugnantem obtorto collo ad Praetorem rapere sine injuria: dummodo actor, antequam reo manus injiceret, adstantes fecisset ejus negotii testes: quo pateret reum ab actore nolentem in judicium trahi, non contumeliae, sed sui juris experiendi causa. Testes autem cum faceret eos ita interrogabat, *licet antestari?* ac si per eos liceret, admotis digitis imam eis vellicabat auriculam, quam & *oricillam* dicimus; adjecto verbo *memento*, vel *memor esto*: quo ejus rei recordarentur: (a) aures enim veteres physici memoriae dicarunt, ut alias partes corporis aliis facultatibus, veluti dexteram fidei, genua misericordiae, frontem genio. Ritum autem hunc didicerunt Lipsius, & Raevardus ex veteri lapillo sibi ostenso a Guido Latino: quo in lapillo insculpta erat manus atterens auriculam hoc graeco verbo μνημονίνε *memento*. Hinc Virg. in Bucolic.

(a) Porphyr. & Aeron. *in* Horat. *lib. 1. sat. 9.* Cic. *lib. 2. de leg.* Auct. ad Heren. *lib. 2.* Non. *verbo* calvitur. Cajus *l. 233. ff. V. S.* Gell. *lib. 1.*

- - - - *Cynthius aurem*
Vellit, & admonuit. (b) - -

idque *antestari* dicebatur, hoc est, adstantes, & proximos facere testes, ut optime Salmasius exponit. (c) *am* enim particula proximitatem significat, ut *amtermini* terminorum accolae, & *amsegetes*, quorum ager viam tangebat, & *amsanctae* valles, quae in circuitu sunt, & vicinae. Male aliqui explicant *ante testari*. Post antestationem autem sequebatur manus injectio, factis enim testibus, jus erat in adversarium fugam molientem injicere manus, & ducere ad Praetorem. Qui mos

(b) Serv. *ad eclog. 3.* Senec. *cap. 36. lib. 4. de benef. & lib. 5. cap. 3.*

(c) *ad jus Attic. & Rom. pag. 110.*

Digitized by Google

mos omnis ab Athenienſibus deſcendit. (a) Apud eos enim reus ex auctoritate magiſtratus, vel per apparitores, quos κλητῆρας dicebant; (b) vel per ipſum actorem vocabatur in jus advocatis teſtibus, quos etiam κλητῆρας appellabant, teſte Scholiaſte Ariſtophan. in veſp. At ſi reus actori vocanti non obtemperaſſet, tunc in eum manus injiciebatur; cujus apud Graecos moris teſtis eſt Lucianus; & veteres comoediae Plauti, & Terentii graecos mores, utpote graecis ex auctoribus converſae referentes. Omitto feſtivum illum, & vulgatum ſimul Horatii locum lib. 1. ſatyr. ad Romanos mores pertinentem. Verum tum demum manum injecturi anteſtabantur, cum honeſta perſona in jus vocabatur, quo actor ab eo injuriam abſtinere videretur, (c) nam turpis vitae hominem, veluti lenonem licebat invitum ſine anteſtatione obtorto collo rapere, ut patet ex Plauto in Perſa, ubi Paraſitus a Lenone interrogatus, anne anteſtaretur, ita reſpondit:

- - - - tuane ego cauſa carnifex
Cuiquam mortali libero aures atteram?
Qui hic commercaris cives homines liberos.

& luculentius in Prudente, ubi hanc ob cauſam Labrax cum Pleuxippo rixatur. Si qui vero in jus honoris cauſa non raperetur, ei diem actor dicebat, ut datis pignoribus, vel vadibus ſeſe judicio ſtiturum promitteret, & ni judicio ad diem adeſſet certam poenam, ſive multam perſolveret. Haec autem vadatio dicebatur, quia ſcilicet adverſarius vadabatur ab actore, cui ſeſe eximere

(a) Petit. *ad leg. Attic. lib. 4. tit. 2. pag. 315.*
(b) Ariſtoph. *in avibus ibi Scholiaſt.* Vlp. *in Orat. De-moſt. pro Coron.*
(c) Raevard. *in tab. XII. tab. c. 5.*

Digitized by Google

(a) l. 5. ff. Vero ff. qui satisd. cogan.

non licebat, (a) nisi datis pignoribus, aut vadibus, certaque poena promissa: atque ita satis aut cautum dabant. Vades autem dicti sunt ii, qui suo periculo reum in judicio stiturum offerebant: quos ita dictos Aeron arbitratur, quod his sponsoribus actori oblatis, reo vadere, sive abire liceret. Cum enim rei fides suspecta esset, cogebatur pro se sponsorem dare, idque promittere vadimonium dicebatur: unde deserere vadimonium, cum ad certam diem quis se judicio non praestitisset; ut differre vadimonium, cum judicii dies a judice gravibus ex causis producebatur. Porro matronarum pudori, ac reverentiae tribuebatur, ut in jus vocatas nefas esset attingere: (b) neque licebat in jus vocare impuberes puellas alieno juri subjectas. (c) Lenimentum quoque aliquod hujus legis Jurisconsulti sua interpretatione invenerunt, ne quis scilicet e domo sua in jus protraheretur: (d) satis enim poenarum perferre latitando: nisi aditum ad se praestaret, aut ex publico conspiceretur. (e) Praeterea oratione D. Marci cautum fuit, ne vindemiarum tempore cives ab opere rustico ad judicium abducerentur. (f) Quae quidem exceptiones post latas XII. tab. prodierunt: illa vero particula ex ipsis XII. tabulis proficiscitur, quae jubet in jus vocatum morbo correptum, non tamen adeo gravi, ut sensus confundat, juncto, non vero molliter in strato vehiculo, in judicium venire: cujus legis rationem Phavorinus Philosophus non satis percipiens XII. tabul. adsperitatis accusabat: quasi ju-

(b) Valer. lib. 2. Hothoman. in leg. XII. tab. 6. ff calvitur.

(c) l. 32. in princip. ff. de in jus voc.

(d) l. 18. cum seq. ff. de in jus voc.

(e) l. 19. eodem.

(f) l. 1. ff. de fer.

Digitized by Google

juberent etiam eum, qui gravitate morbi cohaerere non posſit, in jus duci, uti ſimus ſuper jumento ſine plauſtro. A qua eum opinione, ſenſu legis benignius expoſito, depulit Coecilius, qui jumenti nomine docet ſignificari pecora juncta curriculis vehendis: putatque jumentum a jungendo dictum: eaque verba legis *arceram ne ſternito*, ita explicat, ne ſcilicet veſtibus plauſtrum ſternatur, aut mollius inſtruatur. Ceterum negat a legibus prohiberi plauſtrorum uſum ad vehendum reum. (*a*) Nec civis tantum compellere poterat reum ad judicium ſubeundum; ſed etiam peregrinus, quem veteres vocabant *hoſtem*, cujus vocis antea mitior, poſt vero ſignificatio fuit adſperior; notavit enim ſolos inimicos populi Romani, quae antea ſignificaverat & peregrinos. Eratque lex, ut conjectura erui potuit ex Cic. 1. de offic. e Plauto in Curcul. ſcripta his verbis:

(a) Gell. lib. xx. cap. 1.

Si ſtatus condictus dies intercedat cum hoſte iſto.

Status dies, & condictus) levi diſcrimine diſtinguuntur. *Status* enim *dies* eſt, quem Praetor ſtatuit litigantibus, ut ad ſe iretur: *condictus*, quem ſibi ipſi ex compacto litigantes praefiniunt, ut ad Praetorem eant. Sed jam legum reliquias, utcumque ab eruditis coactas proferamus Gothofredum ſequentes, qui unam conſtituit ex tribus, quas alii faciunt, legibus, eamque in tria diſtinguit capita, quod & veterum au-

ctoritate, atque ipso sententiarum nexu comprobatur.

Si in jus vocat atque eat.

Ni it antestamino: igitur em capito.

Si calvitur pedemve struit manum endo jacito.

Si morbus aevitasque vitium escit, qui in jus vocabit jumentum dato: si volet arceram ne sternito.

Atque) sensus est *si quis in jus vocat, vocatus statim eat.* Quae lex cum esset initium ceterarum pueris omnibus, qui jus addiscebant, velut solenne carmen erat in ore, ut Cic. testatur lib. 2. de legibus.

Atque) significat veteribus *illico, statim, e vestigio*, cujus innumera sunt apud Plautum exempla, quae colligit Paraeus in lexico critico in hac particula, & Virg. lib. 1. Georg.

- - - *Si brachia forte remisit*
Atque illum praeceps prorumpit alveus amni.

quibus in locis *atque* significat rem inopinatam.

Em) prisce pro *eum*, quemadmodum & alibi, ut sit sensus: *Si sequi nolit reus vocantem facito testes, deinde ipsum reum ducito.*

Igitur) pro *deinde* veteribus est usitatissimum. Piget exempla referre in re tam nota.

Si calvitur) hoc est, *si moretur, subsistat, obnitatur, effugium quaerat*, in eum *manus injicito*, ac

per

Digitized by Google

per vim rapito : calvitur enim significat *decipere, frustrare*, ut docet JCtus in leg. si calvitur 203. in princip. ff. V. S. Glossae Philoxeni *calvitur ἐξαπατᾶ* Pacuvius ; *postquam calamitas plures annos arva calvitur.* apud Non. in *arva*. Plaut. Casin. 2. 2. vers. 4. *sopor manus calvitur :* id est sopore manus torpent. Non. in verbo *calvitur.*

Pedemve struit) omnes ducti auctoritate Festi, & Servii Sulpicii *pedem struit*, explicant *fugit :* quod mihi videtur satis durum, & remotum a nativa hujus verbi significatione, quo verbo firmitas notatur. Factum est enim, ut recte Vossius putat, ex στερῶ per contractionem *struo*, quamobrem suspicor in Festi loco in esse mendum, ac pro *fugit* legendum *figit*, sive *resistat, repugnet:* idque magis cohaeret cum tota sententia legis, & antecedenti verbo *calvitur.*

Endo jacito) *injicito* prisce *endo* pro *in* satis notum omnibus.

Si morbus aevitasque) sensus est : *si affecta valetudo, senium ve impediat volentem sequi in jus, juncto plaustro quidem ducatur : si repugnet plaustro quidem ducatur invitus ; sed minime superne in arcis formam pellibus tecto.* Quod plaustri tegmen *arceta* vocabatur. Unde Nonius *arceram* interpretatur *plaustrum tectum.* (a)

(a) Varro de ling. lat. 4.

Escit) pro *erit*, ut supra diximus.

Dixi-

LXVI. DE VINDICIIS.

Diximus reum datis vadibus eximi posse actori, ea conditione, ut ad certam diem a vadibus, sive sponsoribus sisteretur. Hos autem vindices quoque fuisse appellatos in legibus XII. tabul. apparet ex lege inferius subjicienda: nec re alia differre vades a vindicibus arbitror; nisi quod vades dicerentur ii tantum vindices, qui reum praestabant; vindicis vero nomen latius fundebatur: nam & assertorem significabat libertatis alienae, & quemvis alium, qui periculum alterius re, aut persona subiisset, aut quid quovis modo liberasset; unde vindex honorum, dignitatis, & bonorum dicebatur. Fallitur vero Boetius, (a) qui hac in lege vindicem ait esse procuratorem, a quo aliena causa vindicanda suscipitur: non enim procuratoris, sed sponsoris vice fungebatur, qui reum ad certum tempus judicio eximebat, ne obtorto collo raperetur: nisi malimus legere *praediatorem* ex emendatione Cujacii, quam probat Hothomannus, (b) negat ejus tamen vocabuli significationem ad hanc pertinere legem, *praedicatores* autem dicuntur ii, qui bona, & fortunas eorum emunt, qui pro vectigalibus populi obligabantur. (c) Festus longe melius, qui *vindicem* inde dictum docet, quod vindicet, quo minus, qui prehensus est ab alio, teneatur. Porro vindices non omnes omnibus, sed pro reorum conditione dandos Decemviri censuerunt: nempe ut locupleti reo locuples daretur vindex: inopi vero quilibet, sive locuples, sive inops. Difficile namque esset ino-

(a) *in topic. Cic. 1.*

(b) *ad leg. XII. tab.* assiduo vindex. *Cujac. 5. obs. 29.*

(c) *Turneb. adverss. 20. c. 30. ex Festo. gloss.*

Digitized by Google

inopi ſponſorem invenire locupletem, ideo ne miſerrima conditione uteretur, quamlibet ſponſorem ab iis Decemviri ob inopiam acceperunt. Quibus de rebus has ex Cicerone in topicis & Gellio (*a*) veterum legum reliquias ab eruditis emendatas habemus.

(a) *lib. 16. cap. 10.* Quintil. *lib. 5. cap. 10.*

Si en ſiet qui in jus vocatum vindicet mittito.

Aſſiduo vindex aſſiduus eſto: proletario cuique volet vindex eſto.

Si en ſiet) ſenſus eſt: *ſi autem ſit, qui reum in jus vocatum vindicet, ſive ſe pro illo offerat, reus dimittatur.*

Si en ſiet) pro ſi *autem ſiet* priſca lingua: ita enim explicat Philoxenus in gloſſis *ubi en ſiet* reddit ἐὰν δὲ. Hujus priſcae locutionis ignoratione corruptus eſt ab imperitis locus Ciceronis in topicis, ubi haec lex confunditur cum lege AElia ſentia nimis abſurde, nam & ratio temporum hanc lectionem rejicit, & teſtimonium Gellii, qui hanc legem adſcribit XII. tabul. ex initio autem legis cujus meminerat Cicero, *ſi en ſiet* imperitia librariorum factum eſt *AElia ſentia*, & quomodo is error irrepſerit, ſubtilius, & latius invenies explicatum a Jacobo Gothofredo in hac XII. tabul. lege.

Aſſiduo) hoc eſt *locupleti*, ut ſit ſenſus: *locupleti reo, locuples ſponſor, aut vindex eſto.* Veteres enim pro locuplete *aſſiduum* dicebant ab

Digitized by Google

assibus: cum qui multos haberet asses, is esset locuples. Vnde Cicero in topicis: *locuples enim est assiduus ab asse dando.* (a) atque ita explicant aliqui Plauti versum 13. act. 1. Scaen. 1. Amphytr.

(a) Gell. *lib. 16. cap. 10.*

Proletario) hoc est *homini inopi quisquis volet sit vindex.* Veteres enim *proletarium* appellabant eum, qui propter inopiam non re, ac censu, sed tantum prole posset augere rempublicam. (b)

(b) Gellius *ibidem.*

LXVII. De Pactis.

Erat & alia declinandi judicii ratio per pactiones quae inter actorem, & reum inirentur, dum irent ad Praetorem. (c) Etenim de quibus inter eos convenerat, illa magistratum rata oportebat habere. Cujus legis aequitas ex pluribus Demosthenis locis a Petito (d) collectis apparet. Quamvis autem pacta nuda, quae in contractum non transierunt nullius efficaciae sint; si tamen lege, aut S. Cto confirmentur legitima dicuntur: ideoque interdum ex pacto nascitur, aut tollitur actio. (e) Porro lex ita restitui poterit ex aliquot eruditorum sententia:

(c) *Auctor ad Heren. lib. 2. Priscian. lib. 10.*

(d) *ad leg. Attic. lib. 4. tit. 2. pag. 339.*

(e) *l. 5. §. 7. ff. de pactis.*

Endo via rem uti pacunt orato.

Endo via) in via *endo* pro *in*, ut saepe alias: est autem sensus, quemadmodum inter vias paciscuntur, ita & causa inter eos agatur. Gothofredi enim conjecturam non probo; tum quia numquam inveni, aut *ratato* pro *ratum habeat*, aut pro *ratato rato*, nec analogiae ratio suffragatur; tum quia sine mutatione ulla satis constat

Digitized by Google

stat sententia retentis verbis superioribus: nam *orato* significat, *causam quique agito*, *perorato secundum pactiones*.

Pacunt) veteres pro *paciscor* dicebant *pago*, unde usus deinde induxit *paciscor*. Terentianus Scaurus in orthographia notat, Decemviros scripsisse *paxunt* per *k* graecam literam: a *pago* autem venisse *pepigi*, ut a *cado cecidi* tradit Quintilianus. (*a*) Haec autem verba directa sunt litigantibus: quae vero sequuntur Praetorem respiciunt, eaque subjicientur inferius. (a) *lib. 1. cap. 6.*

LXVIII. DE CAVSA PERORANDA.

At si de causa non fuisset inter litigantes transactum, agenda erat apud stantem judicem in foro, aut in comitio, qui locus privatarum erat causarum, ubi tota die litigantes obversabantur, & advocati: eratque ibi Puteal Libonis, de quo nieminit Cicero, & Horatius, quod Puteal erat ara, quo saepe advocati, & rei condicere solebant. (*b*) Plautus in Poenul. (b) Sigon. *de judic. lib. 2. cap. 28.*

Nam istorum (scilicet advocatorum) *nullus negatius est, comitiales sunt meri*
Ibi habitant: ibi eos conspicias, quam praetorem saepius.

Causam autem iis orare usque ad meridiem licebat per leg. XII. tabul. (*c*) qua aetate Romani Crassius diem distribuebant: quippe qui non ante bellum punicum primum Catina in Sicilia capta, ex horologii usu didicerint horas notare: antequam diem distinguebant more rusticorum. (*d*) (c) Gell. *lib. 17. cap. 2.* Plin. *lib. 3. cap. 60.* Auctor *ad Herenn. lib. 2.* (d) Censorin. *cap. 23. de die natali.*

Digitized by Google

Post meridiem autem judices sententiam ferebant, & rem ei, ad quem ex jure pertineret, addicebant, si essent ambo praesentes; si alter abesset propter desertum vadimonium, stipulatio committebatur, & desertor eo nomine damnabatur; ut promissam poenam ex sponsione, atque ex stipulatu penderet. (a) Neque enim adsentior docentibus absentem, si ad promissam diem sese judicio non stitisset, causa casurum ex leg. XII. tab. Quid enim opus fuisset cautionibus? aut cur absens re, & poena dupliciter damnandus adeo inhumane? Non me fugit plura supereſſe veterum auctorum loca, quae ostendant absentem causa cecidisse: (b) non tamen liquet, an hanc ob rationem, nempe ob desertum vadimonium. Quin arbitror potius, quia non defenderetur, saepe absentem, ut solet, fuisse damnatum: cum deesset, qui jura ipsius judici exponeret: contra vero adversarius urgens oratione, tabulis, & advocatis suum jus judici comprobaret: ut non mirum si absentes causa cecidissent. Quamobrem verba illa XII. tab. *Praesenti stlitem addicito* interpretor cum Jacobo Gothofredo *judicium reddito*; non ut aliqui *rem addicito praesenti*. Extremam autem rerum agendarum horam Decemviri statuerunt solem occasum. (c) Idemque rerum agendarum terminus erat veteri Atheniensium lege, cujus fragmentum apud Stoboeum habemus: (d) sed jam leges producamus.

(a) Ritterſ. *ad hanc leg.*

(b) Cic. *orat. pro Quint. & Verr. 4.* Sueton. *in vita Calig. cap. 39.*

(c) Varro *lib. 5. de ling. lat. n. 2. item lib. 6. n. 3.* Petit. *ad leg. Attic. lib. 4. tit. 4. pag. 336.*

(d) *Sermon. 1.* Ni ita pacunt in comitio, aut in foro

foro ante meridiem causam consicito, cum perorant ambo praesentes.

Post meridiem praesenti stlitem addicito.

Sol occasus suprema tempestas esto.

Consicito) nota est ex veteribus hujus verbi significatio pro *judico, censeo*. Livius libro primo, apud quem Senator rogatus sententiam ita respondet. *Cum illo puro, ptoque duello quaerendas res censeo, itaque consentio consciscoque*, & mox: *Senatus P. R. Quiritium censuit, consensit, consivit, ut bellum cum priscis latinis fieret.* Huic proximam significationem habet hoc verbum in hac lege, ubi significat *cognoscere*. Vnde parcere poterat Labori Raevardus, cum pro *consicito* reposuit *gnoscito*. Nec felicior fuit eorum industria, qui pro *consicio* legunt *conjicito*. *Conjicere* autem *causam* est cum per indicem apud judicem, aut arbitrum exponitur. Paullus: (a) *Per regulam*, inquit, *igitur brevis rerum narratio traditur, & ut ait Sabinus, quasi causae conjectio fit.* (c) *l. 1. ff. de diverf. reg. jur. antiq.*

Stlitem) veteres pro *litem*; ut *stlocum* pro *locum*. Vnde *Decemviri stlitibus judicandis* in decreto Asculanorum Romae in domo Caesia, & in elogio L. Caesonii Luilli Veronae. *Stlitem* autem *praesenti addicito* significat judicium reddito, ut surpra exposuimus, eo sensu, quo Trebatius (b) dixit *religionum judicia addicere pro constituere*. (b) *lib. 1. Religion. apud Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 18.*

Digitized by Google

Sol occasus) hoc est *sole occidente*, nam ut varias huius loci lectiones praetermittam *sole ocaaso*, & *sol occasus* pro *sole occidente*, cum latine dicitur, tum eleganter. Singula enim participia sunt omnium temporum, ut recte Sanctius observavit. Legunt aliqui *sole occcaso dies suprema tempestas esto*; ubi *dies* pro *diei*. Ego si inserenda fuerit vox haec lege in ista mallem scribere *die*: nam veteres *die* pro *diei*, & *facie* pro *faciei*, (a) ut Caesar censebat esse ea nomina declinanda. *Suprema* vero *tempestas* dicitur pro *ultima hora*: quae tempore XII. tabul. erat solis occasus. Sed postea lege Praetoria supremum tempus fuit, quo Praetor in comitio supremam populo pronunciasset. (b)

(a) Gell. *lib. 9. cap. 14.*

(b) Varro *lib. 5. de ling. lat.* Festus *in verbo supremam.*

LXIX. DE VADIMONIO DESERTO.

Cum supra leges attulerimus, quibus jubebatur, ut reus eximeretur, qui vocatus in judicium dederat vades promittentes eum adfuturum ad certam diem; nunc eas proponemus, quibus excusabatur reus, qui datis vadibus ad certam diem non sese praestitisset, justasque deserendi vadimonii causas adferemus. Harum vero causarum expressum tantum in legum fragmentis invenimus morbum sonticum, sive rei, sive actoris, sive arbitri, sive judicis. Sonticum autem appellabant morbum vehementiorem, utpote corpori valde noxium; cum *sontes* sint *nocentes*, ut refert Festus ex AElio Solone: (c) unde *sonticus morbus* dicitur quidquid impedit corporis actiones, (d) quamobrem Tibullus in re obscoena,

(c) Festus *in verbo sonticum morbum.*

(d) *l. ult. ff. de aedilit. edict.*

Parce

Digitized by Google

Parce precor tenero nonilli fontica causa est:

Cum is quem corripuisset morbus ex lege XII. tab. quam e legibus Numae in Decemvirales translatam non obscure innuit Festus, (a) causam praeberet propter quam judicii dies protrahebatur, sive ut est in prisca lingua diffindebatur. Huic Jacobus Gothofredus alias conceptiones jungit ex conjectura, & suboserris veterum testimoniis, putatque in eadem lege fuisse inclusa vota publica pro salute Pop. Rom; quae postea in vota pro salute principis converterunt. (b) Justis etiam causis inseritur absentia ob publicum negotium, quam omni tempore justam excusationem fuisse non dubito. (c) Quae conjecturae maxime adjuvantur verbis a Gellio relatis ex Cincii libro de re militari, (d) quae hujus veluti tabulae praebent exemplum. Quod autem Gothofredus *vindicem* hoc distinguit a *vadibus*, quod vindex fuerit, qui vocatum in jus liberaverit; vades qui reum ad certam diem judicio stiturum promiserit, id utcumque veram habeat originem, tempore tamen evanuit, promiscuusque fuit horum vocabulorum usus: & qui vindex erat, reum ob id judicio liberabat saepe, quod vadis munere fungeretur, ac reum judicio stiturum promitteret. Non magis probo adjectionem clausulae illius ad hanc legem, *si status condictus cum hoste*, quae clausula hic est plane otiosa: unde malo cum ceteris eruditis eam separatim locare. Verba tamen legis hujus prout sunt ab eo commissa proferemus: ut quisque sive reji-

(a) *in verbo* reus.

(b) *ex Cajo l. si calvitur. §. 1. ff. V. S.*

(c) Cajus *l. 6. ff. si quis caut. in judic. sist.*

(d) Gell. *lib. 16. cap. 4.*

Digitized by Google

rejiciendo, sive probando judicio utatur suo. Is igitur etsi antea mutila verba protulerit, ita tamen sarcit scissuram in notis:

Judice arbitriove addicto vades, subvades danunto: vadimonii deserendi uti pacunt poena esto, extra quam si morbus sonticus - - - votum - - - absentia Reipub. ergo, aut status dies cum hoste intereedat; si quid horum fuat unum judici, arbitriove, reove, eo die diffensus esto.

Judice) sensus totius legis est.

Judicio constituto, judiceque adito vades, aut subvades judicio sistendi utrinque dantor, iique sistere teneantor: nisi morbus vehemens, vim graviter nocendi habens, votum aliquod absentia Reibublicae ergo intercedat, aut constitutus sit dies cum peregrino: nam si quid horum fuerit, & obvenerit judici, arbitriove, aut reo judicii dies differtor.

Subvades) cum utrinque ab actore scilicet, & reo dandi essent sponsores judicio sisti; censet Gothofredus *vades* dictos eos esse, qui spoponderunt pro reo; subvades qui pro actore, quorum verborum significationem suo tempore periisse refert Gellius. (a)

(a) *lib. 16. cap. 10.*

Danun-

Digitized by Google

Danunto) pro *danto* priſcum, ut ſaepe Plautus *danunt* pro *dant*.

Reove) priſcis reus fuit tam petitor, quam is unde petitur, dicitur enim reus, cujus de re agitur. (*a*)

(a) Cic. *de orat.* Feſtus *in hac voce reus.*

Diffenſus) id eſt prolatus, Gellius (*b*) dixit; & Livius *diffindere diem* pro differe libro nono. *Atque legem curiatam de imperio ferenti triſte omen diem diffidit.*

(b) *lib. 14. c. 2.*

LXX. DE OBVAGVLANDO.

Sed cum eveniret aliquando, ut qui rem ſuam ab aliquo in judicio repetebat, careret teſtibus, quibus intentionem ſuam judici probaret; Decemviri nequis nulla ſua culpa omnibus argumentis ad rem recuperandam deſtitueretur; facultatem dederunt actori, ut ante domum rei clamoribus, immo & conviciis rem ſuam flagitaret, palamque faceret omnibus eam improbitatem; ternis diebus, ac ternis nundinis, ſive nono quoque die. Solebant enim Romani ex agris nono quoque die negotiorum cauſa in Vrbem convenire, ubi eo die nundinae habebantur; inde natum, quod uſu adhuc retinemus, ut tribus edictis reus citetur. At ſi reus fraudem ſuam obſtinaret, remque tradere detrectaret; jus tamen erat actori, accitis ſecum ſui clamoris teſtibus, rei domum intrare rem ſuam, ſicubi eam inveniret ablaturus. Isque effectus erat illius publici clamoris, quae obvagulatio dicebatur, ad *portum*, hoc eſt ante domum. Non me fallit Turnebum (*c*) Salmaſium, (*d*) aliosque plures, hanc legem non refer-

(c) *lib. 2. adverſ. cap. 26.*

(d) *obſerv. ad jus Attic. & Rom. cap. 30.*

re ad actorem testimoniis destitutum, sed ad testem testimonium defugientem : adeo ut pro *defuerit* legant *defugerit*. Verum ab horum sententia me abducit Plauti locus, quo Raevardus priorem explicationem optime comprobat, (a) ubi poëta coquum inducit res in domum Euclionis illatas repetentem, eique nisi redderet, clamorem ante aedes, & maledicta minitantem. Cui explicationi etiam Gothofredus, & Ritterhusius suffragantur, en Plauti locum :

(a) *ad leg. XII. tab. cap. II.*

Ea me bene amet Laverna, te,
Jam nisi reddi mihi vasa jubes,
Pipulo hic differam ante aedes.

ubi *pipulum* significat *convicium* prisca lingua. Nunc legem producamus :

Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito.

Cui) sensus est : *ei qui testimoniis destituitur, liceat tertiis nundinis reum ante aedes conviciis obruere.*

Ob portum) hoc est *ante aedes*. Festus enim refert apud omnes convenire, ut portus in legibus XII. tabul. domum significet in verbo *portus*.

Obvagulatum) Festus : *vagulatio in legibus XII. tabul. significat quaestionem cum convicio* : in verbo *vagulatio*.

LXXI. DE VINDICIIS.

Et haec quidem inter actorem, & reum agebantur : quid autem his super deberent judi-

dices consulere, aliis legibus Decemviri constituerunt. Itaque possessionis, & proprietatis quaestionem discrevere: cum possit quis jure possidere, quamvis non sit dominus. Ideo dum proprietatis causa penderet, minime possessionem ademerunt ei, qui neque vi, neque dolo, neque clàm eam haberet: ad cujus legis exemplum verbis longe uberioribus Praetor composuit edictum *uti possidetis*. Quod jus convenit cum Aristotele in problemat. ubi ait possidentem permansurum quoad fuerit judicatum. (*a*) Hanc autem possessionis controversiam veteres *vindiciarum causam* appellabant, a *vindicando* sive *asserendo*, quod rem interea sibi possessor assereret. Cujus deinde vocabuli significatio propter similitudinem, & affinitatem rerum inter se conjunctarum excurrit latius: nam & ipsam possessionem, & possessionis controversiam, & rem, de qua controversia esset, ipsumque agrum, vel glebam imaginem agri, de qua inferius, vindiciarum vocabulo comprehenderunt: ut mirer aliquos adeo certare inter se, dum quaerunt cuinam potissimum rei hoc vocabulum conveniat: cum ex veterum testimoniis hasce significationes omnes includat, ut optime Turnebus observavit. (*b*) Ineuntes porro judicium apud Praetorem pugnae specimen quoddam praebebant veteres, qui nihil sine aliquo solenni signo aggrediebantur: quod judiciarium bellum exprimebant commissis inter se gladiorum loco festucis, instar militum inter se manus conserentium: quam *vim civilem*, *quotidianam*,

(a) Baldain. cap. 24.

b) *Vide* Festum *in verbo* vindiciae. Gell. *lib.* 20. Alex. ab Alex. *lib.* 6. *c.* 10. Turneb. *lib.* 13. *adverſ. cap.* 23.

Digitized by Google

& festucariam appellabant, & tum *vim fieri moribus* dicebant. (a) Quae simulata concertatio umbra fortasse fuit verae dimicationis, quae, cum Hothomanno suspicor, veteres Romanos utpote rudiores, ac prope immanes, more veterum Longobardorum diremisse lites: ut cum alter alterum ad singulare certamen provocasset, is haberetur in jure potior, cui sors victoriam obtulisset. (b) Quem cum illi morem exuissent, atque induissent humaniorem, verum praelium versum fuit in simulatum; ac pugnam tantum retinuerunt imaginariam festucis expressam. (c) Etenim initio litigantes de possessione fundi Praetorem adibant, ut eum deducerent in fundum de quo controversia esset, quo judicaret utrius possessio foret: idque dicebatur venire *in rem praesentem*: indeque cum Praetore redibant: ejusque judicium expectabant. Verum quia Praetor multitudine negotiorum impediebatur una cum litigantibus ire; JCti rationem excogitarunt, qua profectionis molestia sublata, veterum judiciorum figura, & religio maneret. Itaque priscam illam profectionem imaginibus, verbisque simularunt, instituentes, ut in fundi gleba, veluti super toto fundo, cujus gleba illa simulacrum erat, judicium exerceretur. Quamobrem satis erat Praetorem adire, ut apud eum judicium intenderent: Praetor autem in Vrbe manebat, cum litigantes ipsi ex jure, sive ex loco, ubi jus reddebatur, proficiscerentur in fundum, unde glebam tollebant, eamque in judicium adducebant,

(a) Cic. pro Caecin.

(b) Hothom. 3. observ. cap. 15.

(c) Cic. pro Muren.

Digitized by Google

bant, ut per eam, quam & vindiciam vocabant, totus fundus, & profectio Praetoris in rem praesentem adumbraretur: ac rei loco imago illa subjiceretur. (a) Si de possessione igitur quaereretur, Praetor, quoad in judicio proprietatis alteri rem addicendam constaret, possessorem tuebatur. At secus erat in causa libertatis: In qua non possessionis titulus potior erat, sed libertatis: quia magis reipubl. conducit liberis urbem impleri, quam servis. Ideo in liberalibus causis, ubi alter in libertatem, alter in servitutem assereret reum, vindicia, sive possessio durante causa status dabatur secundum libertatem ut maneret liber, donec plane servum esse constaret. Id cum lege sua Decemviri constituissent, qui tamen inter eos auctoritate praestabat Appius Claudius, calumniosa interpretatione telam retexere conabatur: quippe qui senserat sua sibi lege praecludum libidinosi consilii exitum. Notum est enim eum forma Virginiae virginis captum clientem suum M. Claudium absente Virginio patre subjeciſſe, qui eam peteret in servitutem, sive suam servam esse contenderet. Cum autem Decemvirali lege durante judicio libera permanere deberet, Appius ejus potiundae spe puellam M. Claudio tradere in servitutem cogitabat: verum quia sua ipsius lege prohibebatur, negabat beneficio legis gaudere, qui ab alio, quam a patre in libertatem assereretur. Itaque pronunciavit absente patre vindicias dandas secundum ser-

(a) Brisson. de formul. lib. 5. cap. 6. Raevard. ad legem XII. Tabul. c. 6. Rosin. de judic. lib. 2. cap. 13.

Digitized by Google

vitutem, sive tradendam virginem interea in Servitutem ei, qui sibi dominium assereret illius: cum non a patre, utpote absente, sed ab avunculo vindicaretur in libertatem. Quae ferox libido, & atrox calumnia, quam seditionem excitaverit, quantaque de auctoritate, atque imperio dejecerit Decemviros satis liquet ex historiis Romanorum. (a) Antequam tamen is, qui status controversiam patiebatur, ad quasi possessionem libertatis rediret, sponsores dare oportebat, qui eum judicio stituros promitterent. Atque haec sane libertatis gratia sunt constituta. Ceterum reliquarum possessio rerum, si nec vi, nec dolo, neque clam capta fuisset, judicii tempore apud ipsum permanebat possessorem. Si vero aliquis falso vindiciam tulisset, sive falso rei alienae possessionem sibi asseruisset, hoc est si praedo esset, & malae fidei; tum tribus arbitris rei cognoscendae captis, duplum fructuum ex ea re perceptorum reddere damnabatur. Quod jus conservatum in Codice Theodosiano fuit, (b) quamvis in Justiniani libros minime traductum. Is enim satis habuit praedonem fructus omnes reddere, bonae fidei vero possessorem restituere fructus a die rei in judicium deductae. (c) Cujacius autem docet duplicium fructuum praestationem ante Justinianum obsoleviſſe. En autem leges.

(a) Livius *lib. 3.* Dionys. *lib. 4.* Pompon. *l. 2. §. 24. ff. de orig. jur.*

(b) *l. 1. C. Theodos. de fruct. & lit. expens. l. 1. §. ex die ff. unde vi.*

(c) *l. 1. §. ex die ff. vi, & vi armata. l. 2. §. ult. ff. de interdict. l. videamus 38. §. Fabian. ff. de usuris. Instit. de offic. jud. §. 1.*

Si qui in jure manu conserunt, utrisque superstitibus praesentibus secundum

Digitized by Google

dum eum qui possidet. Aſt ſi qui quem liberali cauſa manu adſerat, ſecundum libertatem vindicias dato.

Si vindiciam falſam tulit, Praetor rei, ſive ſtlitis arbitros tris dato: eorum arbitrio fructi duplione decidito.

Manu conſerunt) hoc eſt *ſi apud judicem diſceptetur*.

Vtrisque ſuperſtitibus) *ſuperſtites* dicebantur veteribus *teſtes*, quod rei ſuperesſent. (*a*)

(a) Feſtus in verb. ſuperſtites.

Si quem liberali) hoc eſt *ſi quis quem adſerat in libertatem*.

Secundum) dare vindicias ſecundum libertatem, eſt in libertatis poſſeſſione ponere.

Si vindiciam) hoc eſt *ſi injuſtam poſſeſſionem ſibi abſtulit, ſive ſi rei alienae poſſeſſionem occupavit*. Totius autem legis hic eſt ſenſus: *Malae fidei poſſeſſionem ſi quis nactus ſit, Praetor ei rei definiendae tres arbitros dato: eorumque arbitrio malae fidei poſſeſſor fructus in duplum praeſtato.*

Rei ſive ſtlitis) jam diximus veteres *ſtlitem* dixiſſe pro *litem*: *ſtlocum* pro *locum*. differt autem *res* a *lite* quod *res* eſt idipſum de quo

quo disceptatur; *Lis* est ipsa rei disceptatio: unde *res* est extra judicium, *lis* semper in judicio. Quam JCtorum distinctionem falsè deridet Cicero in orat. pro Muren. nempe ut callidus dicendi artifex Jurisconsultorum auctoritatem, qua maxime in ea causa premebatur, extenuaret. Frequens est autem apud veteres JCtos horum verborum conjunctio. Varro 4. de ling. lat. *quam rem, sive litem dicere oportet.*

Arbitros) hic numerus erat solennis dandorum arbitrorum.

Fructi duplione) hoc est *fructus duplionis: fructi* enim genitivus est veterum, qui nomina quarti ordinis ad normam etiam secundi ordinis flectebant; unde *fructus fructus* dicebant, & *fructus fructi.*

LXXII. De Sententia, et re Judicata.

Controversiae judiciorum, atque litium discordiae sententiis judicum praecluduntur; quae sententiae in rebus singularibus funguntur vice legum in generalibus. Rursus sicuti publicae res, atque status civitatis legum auctoritate componitur; ita privatorum negotia, & jurgia sententiarum auctoritate sedantur: ut e privatis rebus in tranquillum adductis, etiam quies publica exoriatur. Vnde summa vis tribuitur rebus judicatis: ne si judicum sententiae rescindantur, turbato statu singulorum, publica etiam tranquillitas obumbretur. Itaque Decemviri auctoritatem rerum judicatarum suis legibus maxime munientes, eodemque loco habentes eum, qui debitum confessus esset in judicio, cum

Digitized by Google

cum eo qui ejus debiti nomine convictus a testibus esset, & a judice damnatus: triginta dierum spacium judicato faciendo, aut confessae pecuniae contrahendae solutionis causa praestiterunt. Quos dies *justos* appellarunt, nomen, & praefinitionem temporis ducentes a militia: unde non paucae similitudines ad rem forensem commigrarunt: cum non aliud sint judicia, quam praelia verborum, quae loco verorum praeliorum, quibus jure naturae homines contendebant, successerunt. Vt igitur *dies justi* vocabantur in bello triginta illi dies, quibus non licebat hostem lacessere, vel res repetere, dum vexillum rufi coloris in arce defixum erat, & exercitus imperatus: hisque oppositi erant *praeliares dies*; (a) ita & in re judiciaria dies illi triginta post sententiam, quibus judicium quiescebat justi appellantur. Hoc autem tempus initio menstruum, sequenti tempore protractum fuit ad bimestre, (b) atque demum a Justiniano ad quatuor menses: praeterquam in possessoribus rerum alienarum, quarum auferendarum etiam manu militari jus habent domini statim post sententiam. (c) Lapsis autem triginta diebus, nisi judicatum faceret reus, aut vindicem inveniret, qui fidem ejus praestaret, adprobanteque creditore debitum in se susciperet; jus erat creditori, manus in debitorem injicere, ut eum ad Praetorem raperet, ac pro servo sibi addicendum curaret: isque creditori debiti gratia sic addictus, appellabatur nexus, & obaeratus, propter statum servitutis, quem ex

(a) Gell. *lib.* 20. *cap.* 1. Festus *in verbo justi.* Macrob. 1. *Saturnal.*

(b) *l.* 2. *in princ. C. de usur. rer. judic. l. penult. & ult. §. ult. C. eod. l.* 2. C. Theodos. *eod.*

(c) Cujac. *in C. de exec. rei judic.*

Digitized by Google

aere alieno subibat. Quem etiam Romani morem sumserunt ab Athenienſibus, etsi jam poſt Solonis legem extinctum. Licebat enim Athenis ante Solonem creditoribus injicere manus in debitores, quibus abductis, eorumque corporibus oppigneratis pro ſervis uterentur, itque homines creditoribus obnoxii ἀγώγιμοι vocabantur. (a) Ne vero ſic addicti aufugerent, dominis licuit eos nervo, & compedibus vincere propria in domo creditoris, tamquam in carcere privato, catena injecta non majore quindecim pondo. (b) Porro ita vinctum, aut ex ejus ſubſtantiis, ſi quidem vellet, & poſſet, vivere oportebat; aut ex ipſius creditoris bonis capere cibum, & veſtitum, qui victus nomine veniunt. (c) Victum vero Decemviri definierunt *libras farris in dies*, ſive ut interpretantur eruditi libram farris in ſingulos dies. Haec autem verba XII. tabul. ex Gellio deſumta, fuerunt ſuſpecta eruditorum compluribus, tum propter obſcuritatem; tum quia nimis large pro veteri parcitate, ac duritie cibus videtur definiri libra farris: cum ſelibra victus fuerit hominum frugi quotidianus, quibus obaerati, & ſervi non debuiſſent tractari benignius. Bibaculus (d) de Valerio Catone.

(a) Plutarch. *in Solon. & libel. de vit. ære alieno.*

(b) Plutarch. *Bacchid. ſcaen. ult. & Menech. Sc. 2.* Terent. *Phorm. act. 2. Sc. 2.* Cic. *2. de orat.*

(c) *l. ſi victum 34. ff. de re judic. l. quos nos hoſtes 233. ff. V. S.*

(d) *apud* Nonium.

Quem tres cauliculi, ſelibra farris
Racemi duo, tegula ſub una
Ad ſummam prope nutriunt ſenectam.

Et Titinius:

- - - - - *libram ajebat ſatis*

Eſſe

Digitized by Google

Esse ambobus farris intriti; plus comest sola
Vxor - - - - -

Me tamen aeedem auctoritates in veteri lectione retinent. Siquidem his victus tenuitas per selibram farris significatur. Quis autem credat tenuem fuisse victum obaeratorum, quibus ad serviles operas, durumque laborem corpore opus erat firmo, & viribus integris? ut non mirum si eis integra libra praeberetur. His autem sic addictis datum est LX. dierum spatium ad paciscendum cum creditore, impetrandumque ab eo majores inducias, aut oneris levamen aliquod. Ac si creditor esset inexorabilis, post triginta dies ducere debitorem poterat ad Praetorem; ac deinde per trinundinum, sive ternis diebus nundinalibus, quibus majori populus frequentia negotiorum causa ex agris in Vrbem concedebat, eum producebat in publicum, aut palam in foro proclamandum curabat quanti esset damnatus, ut emtorem inveniret. Ita vero initium harum nundinarum sumere oportet, ut extremus nundinarum dies incidat in sexagesimum, ut in hac lege sententiarum repugnantiam victemus, quam primus & notavit, & hac interpretatione sustulit Hotthomannus. Si vero nemo civium emeret, tum licebat debitorem vendere peregrino, eumque ob id trans Tyberim ducere. At si pluribus creditoribus teneretur, tum crudele in speciem explum in eum erat constitutum. In speciem, in-

Digitized by Google

quam: nam revera nihil mitius ea poena, quae terrore suo delinquendi consilium aufert; ut hujus legis exitus demonstravit: nunquam enim ea vigente quisquam in hanc poenam incurrit, quia metu poenae nemo plus aeris alieni contrahebat, quam suae substentiae tolerarent. Igitur lege XII. tabul. permittebatur creditoribus, debitoris corpore conciso, membrum sibi viritim tollere, quam immanitatem vehementer detestatur in legibus Decemviralibus Favorinus apud Gellium. (a) Cui contra Coecilius JCtus regerit lenitudinis causa id fuisse sancitum, ob rationem a nobis allatam, ut supplicii nempe metu periculum criminis averteretur, & caverent homines suscipere supra facultates. Quae tamen lex abrogata deinde fuit; ac pro sectione corporis subjecta sectio bonorum, missis in possessionem bonorum rei creditoribus ex edicto Praetoris, (b) ut iis venditis pecuniam quisque suam servaret: remansitque sectionis nomen a corpore translatum ad bona, propter venerationem vetustae legis, ut sententia illius in vocabulo conservari videretur. At si creditor careret sufficientibus bonis, invalvit beneficium cessionis. (c) Sed jam legem proferamus.

(a) Gell. *cap. 1. lib. 20.* Tertul. *Apologet. cap. 4.*

(b) Livius *dec. ad. 1. l. 8.* Quintanadu-egn. *de jurisdict. lib. 1 tit. 5. part. 2. n. 35.* Cujac. *lib. 3. obs. cap. 36. & parat. C. qui bon. ced. poss.*

(c) *C. qui bon. ced. poss.*

AEris confessi rebusque jure judicatis XXX. dies justi sunto, post deinde manus injectio esto, in jus ducito. Ni judicatum facit, aut quips endo eo in jure

re vindicit secum educito, vincito, aut nervo, aut compedibus XV. pondo ne majore: aut si volet minore vincito.

Si volet suo vivito: ni suo vivit, qui em vinctum habebit, libras farris endo dies dato: si volet plus dato.

Ni cum eo pacit LX. dies endo vinculis retineto. Interibi trinis nundinis continuis in comitium procitato, aerisque aestimiam judicati praedicato.

At si plures erunt rei tertiis nundinis partes secanto: si plus, minusve secuerint se fraude esto: si volent uls Tyberim peregre venumdanto.

Confessi) confessus hic παθητικῶς accipipitur, pro quo barbari confessatus; unde ajunt *dos confessata*. Est hic autem ellypsis, ac subauditur *nomine*, ut sit *aeris confessi nomine*.

Justi) hoc est *legitimi*.

Post deinde) geminatio elegans, & usitata veteribus. vide Paraeum in lexico critico.

Quips endo) ita legit Cujacius ex veteri Codice (a) prisce, *pro quis endo eo in jure vindicit*. Ita Cujacius recte ex veteri Codice reposuit, usitatum est enim veteribus *vindicare in aliqua re*, ut *in agro vindicare*. (a) *obser. 3. cap. 39.*

Endo) autem pro in satis notum.

Digitized by Google

Vindicit) vero dixerunt veteres, ut etiam nunc dicimus lavit: olim & sonit dicebant Accius Phoenis.

Vnda subundis subunda sonit.

vindicere autem pro vindicare Lucret. lib. 3.

Ipse sui miseret neque enim se vindicet hilus.

Nervo) *nervus* est proprie vinculum, quo vincitur collum; *compedes* in quos pedes conjiciuntur.

Ne majore) ita prudentissime reposuit Cujacius pro *ne minore*. Cur enim immitiores Decemviri, quam ipsimet creditores, qui rem amiserant?

Farris) *far* hic significat farinam, ex qua pultem farream conficiebant. (*a*) cibus enim veteribus Romanis consuetus erat farina cum aqua, & sale cocta, & interdum etiam lacte. Vnde Plautus Romanos vocat *pultiphagos*. Hinc Juvenalis:

(a) Varro *lib. alt. cap. 5.*

Grandes fumabant pultibus ollae.

Aestimiam) *aestimia* dicebant veteres pro *aestimatio*.

Se fraude) hoc est *sine fraude*, *se* pro *sine* veteres.

Vls) pro *ultra* veteres. Varro de ling. lat. *Quod ea sacra, & eis, & uls Tyberim non mediocri ritu fiant*. vide Popmam de usu antiquae locutionis.

Rei) hoc est *actores, creditores*: diximus enim per *reum* significari tum petitorem, tum eum unde petitur. Brevis autem harum legum haec est explicatio: *Si*

Digitized by Google

Si debitum confessus quis fuerit, vel condemnatus jure, hoc est in judicio fuerit (ut explicat Cujacius ad l. 29. ff. de donat.) *inducae ei mensiruae triginta dierum ad debitum exsolvendum dantor. Sin intra dies illos triginta debitor non satisfaciat, tum creditori capere eum, sive prehendere, atque in jus ducere jus esto. Debitor ita nexus si poterit suo vivat, si non habeat, tum creditor qui eum vinctum habebit singulas farris libras in singulos dies ei dato: si volet plus ei pro arbitrio dare liceto.*

Si & tum judicatum non solvat, neque intereà quisquam eum in jure defendat, proque eo interveniat, in privatum carcerem in vincula adducere creditori jus esto, eumque vel nervo, vel compedibus vincire; sic tamen ut vincula non sint graviora, quam XV. pondo: leviora enim adhibere pro arbitrio jus esto.

Paciscendi interea addicto cum creditore jus esto: si non pactus fuerit. LX. diebus creditori addictum in vincula habere jus esto: intra eos dies trinis nundinis ad Praetorem in campum producitor, quantaeque pecuniae judicatus fuerit praedicator. At si plures erunt creditores tertiis nundinis vigesimo septimo die rei corpus in partes secanto, si plus minusve secuerint sine fraude esto: si malint trans Tyberim venundato.

LXXIII. De Jure Publico, et de Legislatione.

Naturae ordinem tenentes simplicia percurrimus, ut ad composita deferremur. Itaque legibus absolutis, quae singulas privatasque personas, ac certas res, & negotia privatorum complectuntur, enitamur jam ad culmen, ac rerum tandem summam, e sin-

Digitized by Google

e singulis privatisque pluribus coactam, atq; compositam capessamus; exponentes publici regiminis leges: quibus evolutis contendemus altius, ac veluti a terra in coelum advolantes rerum sacrarum, atque divinarum leges, quas publici quoque juris portionem fecimus, interpretabimur, lumina eruditionis more nostro adferentes necessaria, & quae unice ad declarandum jus vetus, non ad memoriae laudem augendam adducatur. Jam enim tanto numero collectiones rerum vetustarum prodierunt, ut doctus ab indocto non tam copia, quam delectu rerum discernatur: & gravitas judiciumque scribentis non minus ex his, quae rejecerit, quam ex his quae retinuerit aestimetur. Exordium autem hujus expositionis merito ducimus a legumlatione, sive a facultate publica ferendarum, & jubendarum legum, inde vim, & potestatem accipientium. Notum est autem ab instituta Repub. legum ferendarum jus penes magistratus majores, posteaque penes Tribunum etiam fuisse plebis: Populum vero jussisse, ac sciviſse legem eo suffragiorum ordine, atque eo ritu, quem superiore libro demonstravimus. At quoniam populi saepe voluntas a veteri lege ad novam, vel concionibus magistratuum, vel propositis majoribus utilitatibus, vel mutatione temporum traducebatur; ideo ne duae, pluresve inter se simul pugnantes leges civitatem distraherent, concordiamque civium turbarent, neve jure incerto respublica jactaretur; Decemviri constituerunt, ut populi voluntas posterior, sive legum eadem de re ultima,

leges

Digitized by Google

leges aboleret antiquiores; ac sublato jure veteri maneret id, quod populus postremo jussisset, sive abrogando, id est legem prorsus contrariam ferendo; sive derogando, id est partem prioris legis detrahendo; sive subrogando, id est aliquid ad priorem legem adjiciendo; sive obrogando, id est immutando ex priori lege aliquid. Cujus legis vis in universum jus civile penetravit. Nam & in pactis, & in transactionibus, & in testamentis, in sententiis, in constitutionibus principum, in rescriptis, in consuetudine, in mora, in fama: denique in possessionibus, in interpretationibus id semper servatur, ut a posterioribus priora submoveantur. Legis autem haec verba feruntur.

Quod postremum populus jussit, id jus ratum esto.

LXXIV. DE PRIVILEGIIS NON IROGANDIS.

At praeter jus legibus comprehensum, & in cives universos explicatum, aliquando certum jus, & peculiare in privati alicujus personam constituitur, quod legis nomen minime meretur, quia lex complectitur omnes, & privilegium est tantum unius, veluti privata lex: unde Vlpianus ait, *jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur.* (a) Etenim in privatas personas non leges, sed judicia feruntur, per quae leges ad negotia privatorum accommodantur. Ideo vetitum fuit in privatum ferre legem, hoc est privilegia irrogare: quod ex Athenienſium disciplina, & Solonis legibus defluxit in leges Romanorum. Nam

(a) *l. 8. ff. de legibus.*

Digitized by Google

(a) *In myster.* Demosth. *καὶ χειροτεχν.* Cujac. *obs.* 15. *c.* 8.

ut ex Andocide, (*a*) Demosthene, & AEnea Gareo in Theophrastum habemus, non licebat Athenis condere legem in privatum, nisi occultis sex mille civium suffragiis juberetur: occultis nempe, ut gratia, & odium simul abesset. Et ne quis miretur suffragiorum exiguum ex tanta urbe numerum, admonitum velim Athenis, etsi supra quadringentum millia hominum habitarent, numerum tamen civium ad viginti millia fuisse a Cecropis usque tempore: qui numerum cognituros civium, jussit, ut in medium quisque conjiceret lapidem; quibus numeratis eam collegit summam, quae Demetrii Phaleraei tempore haud mutaverat. (*b*) Eadem ratione Decemviri vetuerunt, ne privilegia in quemquam irrogarentur, nisi comitiis centuriatis, ubi describebantur cives non confuse in tribus, sed per ordines, & aetates in singulas centurias; proptereaque major inde diligentia majusque consilium oriebatur. Hic nos propter summam Jacobi Cujacii auctoritatem aliquanto subsistemus. (*c*) Is enim ne quidem comitiis centuriatis privilegia irrogari potuisse contendit, ideoque adjectionem illam *nisi maximo comitiatu* pertinere tantum putat ad legem de capite civis Romani, quam mox subjungemus, quamque a Cicerone cum ista conjunctam invenimus. Sed Cujacium videtur idem confutare Tullius, (*d*) qui statim post duarum legum mentionem, repetens eam de privilegiis, hanc adjecit clausulam, quae nisi contemto, perturbatoque ordine verborum, & sententiarum, nequit ad solam le-

(b) Petit. *ad leg. Attic. lib.* 2. *tit.* 1. *pag.* 114.

(c) 15. *obser.* 8.

(d) *lib.* 3. *de leg. in fin.*

Digitized by Google

legem de capite contrahi. Vt patet vel ex lectione vulgata, quae ut alibi corrupta sit, hic tamen locus suspicionem habet nullam. Nam ut hanc legis clausulam inseramus, monet auctoritas legum Atticarum, & ratio publica, quae aliquando postulat, ut privilegia irrogentur, dummodo majoris partis de necessitate publica judicantis consensus accedat. Sed sufficiet verba haec Ciceronis expendere: *Praeclarissimae de XII. tabul. translatae duae, quarum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat.*

Postea subjicit:

Cum legis haec vis sit, scitum est jussum in omnes: ferri de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt.

Cum haec igitur Cicero opponat *jussum in omnes*, qualis est lex, & *ferri de singulis*, quod est privilegium; patet id, quod sequitur, *nisi centuriatis comitiis* pertinere ad privilegia; nec ferri de singulis accipiendum esse solum de capite civis Romani, sed de omnibus privilegiis aliis, sive scitis unius privati causa, tum in poenam, tum in praemium illius; adeo ut exceptio *nisi maximo comitiatu* ad utrumque referatur. Quamvis autem privilegia irroganda non sint, propterea tamen minime sublata facultas est ferendi juris singularis, quod aliud prorsus est a privilegiis, utcumque haec posterior actus confuderit, ac privilegium etiam appellarit ea, quae sunt juris singularis, nempe dotium, creditorum, militiae, Eccle-

siarum; quae non in privatam personam, sed in certum hominum, aut negotiorum genus concipiuntur. (a) Dicuntur vero Decemviris privilegia, quae in singulas personas feruntur, quia veteres pro *singulis* dicebant *privi*, unde *privatus*, & *privilegium*, quasi *lex de privatis*, *lex de singulis*. Porro etsi verbum *irrogare* plerumque contineat poenam; ex hoc tamen XII. tabul. loco apparet etiam pertinere ad utilitatem; nam hic utramque complectitur, retinetque significationem originis. Etenim *irrogare* compositum est ex *in*, & *rogare*, hoc est *rogare in aliquem*; sive ob damnum, sive ob utilitatem. Ob damnum privilegium irrogatum fuit ab Ephesiis adversus Heraclitum: (b) quem etsi non directo, tamen obliique notarunt, cum ante occasum solis excedere jusserunt hominem, qui oderet omnes, & nunquam rideret. Quae in unum Heraclitum conveniebant. Noxium quoque privilegium irrogavit Clodius contra Ciceronem ferens, *ut qui civem Romanum indemnatum necasset, ei aqua, & igni interdiceretur*. Quibus verbis non obscure Ciceronis caput appetebatur. Item & illud in Eumenem: *ne cui regi Romam venire liceret*. Utilia vero privilegiorum exempla sunt illa, nempe rogatio de reditu M. Tullii, lex Manilia de imperio Cn. Pompeji Magni, & similia. En vero legem Decemviralem:

(a) Cujac. *obs.* 15. *cap.* 3.

(b) *in epist. ad Hermod.* Vid. Petit. *in leg. Attic. pag.* 106.

Privilegia ne irroganto nisi maximo comitiatu.

Com-

Digitized by Google

LXXV. DE CAPITE CIVIS ROMANI.

Consequitur hanc legem illa de capite civis Romani, de quo decernere per leges XII. tabul. non licebat, nisi comitiis centuriatis. Vnde apparet quanti civis Romanus putaretur: cum de eo nonnisi populus judicarit universus eadem solennitate, atque ordine convocatus, ac si de summa reipublicae & de creatione majorum magistratuum ageretur. Hinc merito Cicero nihil de se actum jure dicebat, nihil legibus; nihil more majorum a P. Clodio: quia cum nemo tolli de civitate potuerit sine judicio; de capite civis Romani ne judicari quidem licuerit, nisi comitiis centuriatis. Quod cum alibi saepe inculcet, tum lib. 3. de legibus L. Cottae sententia comprobat. Capitis autem appellatione vita, libertas, civitas, familia, & aestimatio continetur, ut patet ex pluribus Ciceronis locis. (a) Praeterea indemnatum neminem interfici voluerunt. (b) Quod ex Isicurgi legibus translatum suspicatur Cujacius, ex Valerio. (c) Eam ob causam a populo quaestores parricidii creabantur, qui exercerent in singulis causis criminale judicium. Sed jam legem adferamus.

(a) In Verrem Quint. Gell. lib. 5. cap. 19.
(b) Salvian. de gubernat. Dei lib. 8. in fine. Aug. de civit. Dei lib. 1.
(c) obs. 4. c. 12.

De capite civis Romani, nisi per maximum comitiatum ne ferunto.

LXXVI. DE INDVLGENTIA IN HOSTES.

Denique ad eam publici juris legem veniamus, quae ob utilitatem reipubl. atque humanitatis laudem omnibus antecellit. Est autem illa, quae paria jura, & aequam vitae, civitatisque conditionem statuebat, inter bonos cives, ami-

Digitized by Google

cosque Pop. Roman., qui semper in fide mansissent, & eos, qui aliquando deficientes, postea resipuissent, rediissentque in Pop. Rom. gratiam. (a) Ea lex, quae spem pristini status minime adimebat, maximum Reipubl. fuit incrementum, quia qui spem amicitiae retineret, nunquam ad extremum inimicitiae ferebatur. Ideo qui a Populo Romano desciverant, facile redibant in fidem, cum intelligerent paratam semper fore gratiam: iisque accedentibus Vrbs & Pop. Roman. oppido augebatur. Quod jus non discrepabat ab Athenienſium lege Theseo adscripta, ut scilicet omnibus civibus, ejusdem esset aequa communio juris. (b) Hac eadem Decemvirali lege continebatur, ut nexi, sive addicti creditoribus; si soluti essent, sive e potestate creditorum exiissent, eodem jure cum reliquis civibus uterentur. Hanc vero legem abrogatum putat Hothomannus lege Ebutia ob id lata, ut obsoletae XII. tabul. leges neque jam Reipubl. congruentes abrogarentur. Erat autem haec XII. tab. lex his fere concepta verbis.

(a) Festus *in verbo* sanates. Gell. *lib.* 16.

(b) Plutarch. *in Thes.* Petit. *ad leg. Attic. lib.* 1. *cap.* 3.

Nexo soluto forti sanati siremps jus esto.

Nexo soluto) hoc est dimisso debitore e potestate creditoris.

Forti) hoc est bono. Nam ut Festus tradit & nos supra innuimus, veteres *horctum* pro *bono* dicebant, ex *horctum* natum *forctum*, ver-

Digitized by Google

verſo *b* in *f.* digamma aeolicum: quod aſperioris adſpirationis nota erat. Vnde in pluribus vocibus pro *b* ſubſtitutum eſt *f.* ut *Felena* pro *Helena.* Priſcianus libr. 1. & ex antiquo *baba* factum *faba*, ut ſcribit Velius Longus, & Scaurus lib. 1. de orthograph. tandem *forctum* peperit *forctis*, & poſt *fortis:* quod apud veteres non ſolum validum, ſed hominem integrae fidei ſignificabat.

Sanati) Sanates, inquit Paullus ex Feſto, dicebantur, qui ſupra, infraque Romam habitarent: quod nomen his fuit, qui cum defeciſſent a Pop. Rom. poſtea quaſi pacata mente in amicitiam redierunt. Hic juvat adſcribere ejusdem Feſti ſententiam ex reſtitutione Joſephi Scaligeri, qui e corruptiſſimo loco hunc eruit ſenſum. *Sulpitius aucem Sanates, & Opilios ajunt dici inferioris loci gentes, ut Tiburtes, & alios, qui cum pop. Tiburt. habitarent in agro Tiburti, id eſt omnes peregrinos, inferiorisque loci. Et infra ſunt qui intelligunt colonias, quae deductae ſunt in priſcos latinos a Tarquinio Priſco, quas inegerit ſecundum mare infra Romam in civitates Latinorum: eosque Sanates propterea, quod praeter opinionem eos pacaviſſet, ſanaviſſetque, & cum eis paciſci potuiſſet, nominavit, ut auctores ſunt Cincius lib. 2. de officio jurisconſult.* & quae ſequuntur

Siremps) priſcum, & ſolenne verbum in ferendis legibus, quod explicatur *ſimilis re ipſa:* ex quibus vocibus componitur. Feſtus,

Si-

Sirempse legem jusit esse Juppiter.

Plautus ait. unde Cujacius locum illum Senecae *XCII.* ep.

Ambitio omnium, quae terram premunt seromil. s esto. restituit *Ambitio omnium, quae terram premunt siremps lex esto.*

LXXVI. DE JVRE SACRO, ET RELIGIOSO, ET SACRIS PRIVATIS.

Sed ad sacra jam accedamus, de quibus plurimas fuisse XII. tab. leges, easque de Numae potissimum institutis translatas opinamur. Verum ne inepte auguremur, eas tantum hic adducemus, quarum in veteribus monumentis certa vestigia supersunt. Nam quas multi de Ciceronis libris, tamquam de legum XII. tab. corpore sumserunt; non referemus in hunc ordinem, nisi certis testimoniis de XII. tabulis venire comprobentur; cum pleraeque illarum fuerint ab ipsomet Cicerone confictae, ut perfecta civilis juris forma illinc exlüberetur. Antequam igitur singulas explicemus, prodere constituimus aliqua priscae superstitionis exordia: tum ut legum capita magis illustremus; tum ut hinc etiam ostendamus, quantis ex erroribus Dei, & Filii sui Jesu Christi beneficio erepserimus, Hominis natura communis parentis defectione perduellis, hostisque divini Numinis a D. O. M., qui finis est extremumque bonorum omnium, ad rerum creatarum amorem, & falsa gaudia vertebatur: propriaeque cupiditatis nexibus implicata, cum ad sapientiam contenderet maxime, tum ab ea longius abstrahebatur. Rerum

Digitized by Google

rum enim divinarum notitiam non a fonte ipso, sed a corruptionis nostrae radice petebamus; Deum ipsum affectionibus nostris involventes, eique desideria, curasque nostras adplicantes. Vnde sibi homines singuli constituebant suarum simulacra cupiditatum, & affectionum humanarum, quae pro numinibus colerent. Igitur ex insita imperandi cupiditate fuit excitatus Juppiter, & ex contentione Mars, ex libidine Venus, ex industria Pallas, ex superbia Juno, ex mortalitate Pluto, ex navigatione Neptunus, ex tristitia Saturnus, ex ebrietate Bacchus: aliaque ex aliis affectionibus, & actibus hominum Numina extiterunt, nempe Spes, Labor, Morbus, Febris, Pestis, pluraque alia monstra furore hominum procreata locum inter Deos invenerunt; ut non aliter homines a Diis discreparent, nisi quod homines vitia participarent, Dii vero ipsa essent natura vitiorum; & quod inchoatur in hominibus, in Diis absolveretur: immo in eorum singulis vitium ipsum exculperetur. Itaque cultum his pro humano ingenio tribuerunt, ea tradentes, quae singulorum naturae convenirent; muneraque Diis offerenda non ex divinitate naturae, sed ex hominum aestimatione pendentes. Hinc certa erant instituta sacrificia, praescriptique actus corporis, & motus, quos praefinito exprimebant: quas caeremonias dicimus. Hinc & ludi edebantur in honorem Deorum, & festi dies tripudiis, & molliculis cantibus celebrabantur, quasi natura divina iisdem, quibus huma-

na caperetur, & quasi se quisque in unius ex proceribus fidem, & patrocinium traderet; singulae nationes, & urbes suos praecipuos habebant Deos, in quorum honorem certa sacrificia publice instituebantur: item & singulae familiae suos Deos sibi familiares adsciscebant, quos Lares vocabant, & Penates. Quamobrem privatis etiam, & anniversariis sacrificiis eos venerabantur. (a) Quae sacra genti erant jure Pontificio perpetuo addicta. Hinc plebs a patribus non honore tantum, sed & sacris discernebatur: cum alia sacra plebejorum essent; alia patriciorum. Vnde Virginia, excluſa sacris Pudicitiae Patriciae, aram dicavit Pudicitiae Plebejae. (b) Haec eadem causa distulit communionem juris conjugalis inter patricios, & plebejos, quia enim in mariti sacra, & familiam uxor transibat, ideo perturbatum iri sacrorum jus praedicabat Consul contra plebejos differens, si conjugia mutua inter patricios, & plebejos permitterentur. (c) Hinc intelligitur Modestini locus, ubi habetur *naptiis divinum jus communicari*: quia scilicet mulier sacrorum mariti fieret particeps. (d) Publica igitur sacra pro populo publico sumtu fiebant; privata vero sumtu privato pro singulis hominibus, familiis, gentibus, (e) ac praeter sacra, ferias quoque familiae proprias habebant, quales habuit Claudia, Cornelia, Julia, AEmilia. (f) Haec autem sacra, quo numquam interirent, & ex legibus XII. tabul. in familiis perpetuo manerent, Pontifices constituerunt, ut eo migrarent, quo vel fa-

(a) Cic. de Arusp. resp.

(b) Livius lib. 10. cap. 23.

(c) Livius lib. 4. cap. 1.

(d) l. 1. ff. ritu nupt.

(e) Festus.

(f) Macrob. lib. 1. cap. 16.

Digitized by Google

mi-

miliae nomen, vel hereditas transiret, (a) vel pars major bonorum, quantum scilicet caperent heredes. Vnde quae pars legatariorum aeri alieno suberat, sacrorum onere carebat, quia, ut Cujacius (b) docet, bona sacris obligabantur deducto aere alieno. Itaque praeter uxorem filius cum naturalis, tum adoptivus, qui novae familiae nomen adsumebat, & quivis heres, itemque legatarius partiarius, & quicumque majorem bonorum partem usucepisset, ejus familiae, unde bona veniebant, sacris obligabatur. Addit Cicero: (c) *Quarto si nemo sit, qui ullam rem ceperit, de creditoribus ejus* (scilicet obligatur) *qui plurimum servet. Extrema illa persona est, ut is, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, neminique eam solverit, perinde habeatur, quasi eam pecuniam ceperit.* Hisque personis publice *calatis*, hoc est *vocatis comitiis* detestabantur sacra, sive adhibitis testibus denunciabatur, ut sacra susciperent; ac si ea recusarint, bonis plectebantur. Detestari enim est absenti testato denunciare: unde detestatio sacrorum, quae hoc ritu peragebatur. (d) Hinc frequens illud veteribus proverbium: *sine sacris hereditas*: quo significabatur lucrum sine incommodo, veluti hereditas deducto onere sacrorum: quorum sumtus non exiguam bonorum partem absumebat. (e) Sed nequidquam Pontifices tanta religione sacra munierunt. Etenim ne qui plures hereditates obtinuisset, tot sacrorum incommodis obrueretur, jurisconsulti jus Pontificium in speciem, sive verba illius tantum

(a) Cic. lib. 2. de leg. Festus verbo sine sacris.

(b) ad l. 39. ff. V. S.

(c) de legibus pag. 424.

(d) Cujac. ibi. l. 39. & ad leg. plebs 238. ff. V. S.

(e) Plaut. in Trinum. Fest. verbo sine sacris.

honoris causa retinuerunt, re vero abrogarunt; excogitantes, atque introducentes translationem quamdam hereditarii nominis per simulatas venditiones in senem aliquem decrepitum, ac pene mortuum, cui heres futurus esset nullus: in quem senem caderet nomen tantum hereditarium, & dominii titulus absque re, absque bonis ullis, una cum onere sacrorum: in quorum sumtus pecuniam ab herede capiebat, ut ea curaret quoad viveret. Quo sine bonis moriente, ac hereditario, familiaeque nomine cum eo una pereunte; jus quoque sacrorum extinguebatur, bonaque tum libera remanebant apud possessorem illorum, a quibus ea de causa ille familiae nomen, & dominii titulum divellerat; ut translata in senem eum emtum, quem propterea *coëmtionalem* vocabant, morte illius occiderent, & cum dominii titulo familiaeque nomine, sacra etiam interirent. Scio alios aliter exponere quid sint senes coëmtionales apud Plautum in Bacchide. (a) Sed ut nulli nos in re tam perplexa, & obscura divinationem invidemus; ita & iidem ferendi sumus, si facultate utamur eadem: praesertim cum hujus interpretationis adscriptorem habeamus Josephum Scaligerum: qui ad Festum in verbis *puri probi* scribit, plures inventas a JCis artes sacrorum interimendorum, sive, ut idem vocat, praestigias; praecipue vero imaginariam quamdam venditionem, quae *coëmtio* vocabatur adhibitis senibus coëmtionalibus, qui asse Cajano, hoc est sextertio

Senes Coëmtionales qui

(a) *Act. 4. Sc. 3. Vers. 3. Gronov. lib. 3. obser. 20. & de pecun. vet. lib. 4. cap. 8. pag. 693.*

dicis

dicis causa ter accepto, & rursus reddito, heredem absolvebant. Legem vero ita retulit Cicero.

Sacra privata perpetuo manento.

LXXVIII. DE RELIGIONIS, ET SVMTIBVS FVNERVM.

A sacris ad religiosa, nempe ad cadaverum humationem transeamus. Cujusmodi ritus Romani ab exteris, & antiquioribus acceperunt: praesertim cadaverum combustionem, quae diu antea fuerat usitata. Auctoritatem enim ustionis cadaverum apud Graecos arguit Homerus, apud quem omnia Graecorum, ac Trojanorum cadavera comburuntur, ut colligitur ex pluribus Iliados locis, (a) praecipue vero ex Patrocli funere: unde discimus congeri consuevisse in extructum rogum, quae defuncto essent cariora. Etenim Achilles in Patrocli rogum conjecit arma, & quatuor equos, & canes duos, mactatis ibidem XII. lectissimis Trojanis adolescentibus. Nam militiae necessitas, & putrescentium foetor cremandorum cadaverum morem facile induxit. Censebant autem ex superstitione sua veteres illi excoqui sordes animorum igne, atque elementi levitate facile animos in coelum attolli: & inde flammis immortalitatem tribui existimabant. Vnde Gymnosophistae sese vivos in ignem conjiciebant, quo exuta citius mortalitate corporis, immortalitatem animi reciperent. Qua opinione Hercules, cui cremandi cadaveris initium tribuitur, cum bellum inferret Laomedonti, fertur amici sui Licimnii filium sibi socium adjunxisse, patrique incolumem redditurum juravisse: adolescente vero in acie caeso cre-

(a) Iliad. 7. & 8. 23. 24. & Odiss. 24.

Digitized by Google

masse cadaver illius, & patri cineres tradidisse, ac sese jurisjurandi religione solutum putasse, quasi patri filium longe meliorem reddidisset, utpote immortalem inde factum. Romani autem initio ignem non adhibebant, sed humo cadavera obruebant, unde *humatio*, & *humare*: a quibus differt *sepulchrum*, & *sepelire*, quod haec pateant latius, & ad quodlibet funeris genus extendantur. Usum vero ustionis postea Romani acceperunt, (a) quia longinquis bellis terra obrutos erui cognoverunt, manesque turbari; plures vero familiae vetustam humationem retinuerunt: de quibus Cornelia, de qua primus Sylla suum corpus cremari voluit: quia cum per contumeliam Caji Marii apud Anienem sitas reliquias dissipari jussisset; eamdem ipse suo in corpore formidabat. (b) Neque tamen corpus continuo post mortem cremabatur, sed octavo demum die in extructum rogum imponebatur, subjectis facibus, nono die sepeliendum: (c) unde Horatius: *Novendiales dissipare cineres*. Primo enim die cadaver calida aqua abluebant, & postquam unguento perfuderant, conclamabant, ut si qui spiritus vitales residerent, calore, atque clamoribus excitarentur. Contigit enim aliquando, ut qui mortuus putaretur e rogo surrexerit, ac superante corpus flamma perierit, altero die nocturnis horis flentes subtili velo corpus involvebant ad diem octavum usque lugendum, adhibitis ad hoc officium muliebribus, quas praeficas vocabant. Efferebatur vero funus praeeuntibus facibus. Curandorum autem funerum diebus familia funesta manebat, & dice-

(a) Plin. *lib. 7. cap. 54.*

(b) Cic. 2. *de legibus.*

(c) Virg. 5. *Aeneid. vers. 64. ubi Servius. Turnel. ad fest. 24. cap. 23.*

Digitized by Google

dicebatur *humilior* usque ad humationem, nisi mendum sit apud Varronem, (*a*) ut Scaliger suspicatur. Cadavere autem exusto, & sepelitis cineribus, supererat humatio: sine qua familia nondum purgata putabatur: unde membro defuncti, nempe digito deciso, in eo tamquam toto super cadavere justa persolvebantur, injectaque gleba corpus dicebatur humatum, ob membrum humo tectum: itaque locus fiebat religiosus. (*b*) Novem vero hisce diebus, quibus heres atra indutus veste funeribus faciendis, justisque curandis occuparetur, neque in jus vocari poterat; neque alius quisquam, a quo defunctus lugeretur, aliqua petitione vexari. (*c*) Vetustioribus autem Romanae temporibus sepulcra cadaverum in Vrbe, imo etiam domi pro Diis Penatibus colebantur: quem morem significat Virgilius (*d*) in illis verbis:

(a) Varro *de leg. ubi* Scalig.

(b) Cic. a. de Fest. *verb. praecidan.* Var. 4. *de ling. lat. pag. 6. ubi* Turneb. & Scaliger.

(c) *l. 1. & 3. ff. de in jus voc. l. 38. ff. de judic.* Cujac. *ad l. ult. ff. de his qui not. infam. in quaest. Pap. lib. 12.*

(d) Aeneid. 15. & lib. 3.

- - - - *Vrbique remittunt.*
Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro.

Vbi vetus interpres hoc de more disputat, qui postea sublatus fuit: nam Senatus vetuit, quemquam in Vrbe uri, aut sepeliri, quod in XII. invenitur tabulis. Vnde qui legibus solvebantur, veluti ob virtutem clariores viri, & Imperatores, & Vestales sepeliebantur in Vrbe; ceteri vero extra Vrbem, exemplo Athenienſium, quos eadem religione usos ex epist. Servi Sulpicii scimus: qui refert Marcello mortuo locum in civitate ab Athenienſibus cadaveri sepeliendo impetrare nequisse. Hoc autem constitutum videtur, ne flebil-

bilibus officiis, & lethali aura cives contristarentur. Cum autem Romani honoris causa sepulchrum in Vrbe alicui concederent; ad id patebat Exquilinus campus, quem Augustus Mecoenati concessit: ut occupato jam alia in re loco, potestas cuiquam in Vrbe sepeliendi amplius non fieret. (a) Eamdem religionem fortasse neglectam rescripto suo sucitavit Adrianus, (b) qui poenam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepelirent, quam fisco inferri jussit; & in Magistratus, eadem qui passi sunt; & locum publicari jussit, & corpus transferri: ad quae accesserunt aliorum scripta Imperatorum. (c) Legem autem XII. tabul. his verbis exhibet Cicero lib. 2. de leg.

(a) *Vide* Balduin. *ad hanc l. 3. XII. tabul.*

(b) *l. 3. §. 5. ff. de sepul. viol.*

(c) *ff. de relig. & sumt. fun.*

Hominem mortuum in Vrbe ne sepelito, neve urito.

Nunc de sumtibus sepulchrorum.

Nullius rei cura homines tangere minus deberet, quam magnificentia sepulchrorum, & humanae gloriae consideratio post mortem: quae rebus nos omnino solvit humanis. Verum adeo miseri haeremus corpori, mortalisque hujus vitae cupiditate tantopere tenemur; ut unde abscedit animus, ibi literis tamen, & rebus gestis, & insanis sumtibus aedificiorum, ac si non re, verbo tamen ne habitare contendamus, [illegible] sumtuose moriamur, [illegible] de laborantes, qu[illegible] Deo habitanti[illegible] spe decide[illegible] Ergo quid [illegible]

Digitized by Google

fatuitatem ; quid regum [illegible] . Tu exiguum cinerem edictis ac Caerum numerum condiderunt ? Quae [illegible] pulorum orientabus, ac Smaum [illegible] titiam, quorum maxima pars [illegible] bitione confumitur ? [illegible] nem ab AEgyptiorum [illegible] aliis moribus translatam a [illegible] gimus : Amicoque jure [illegible] cero, (a) ne quis [illegible] quam quod decem homines [illegible] ne id opere rectoris [illegible] Hermae imponerentur ; [illegible] Mercurium animabus [illegible] esse putabant. Et quoniam [illegible] exornabant, earum quoque [illegible] fcuit Phalaracus, qui [illegible] luit quid fieri, nisi [illegible] non altiorem, aut [illegible] to vero venit in [illegible] sepulchrum capere ; [illegible] rem eo tumulo, quem [illegible] nec lapides [illegible] ut quatuor heroicis [illegible] mortui laudem. Haec legum Amicarum [illegible] manis [illegible] ti ab [illegible] cet [illegible] [illegible] [illegible]

bilibus officiis, & lethali aura cives contristarentur. Cum autem Romani honoris causa sepulchrum in Vrbe alicui concederent; ad id patebat Exquilinus campus, quem Augustus Mecoenati concessit: ut occupato jam alia in re loco, potestas cuiquam in Vrbe sepeliendi amplius non fieret. (a) Eamdem religionem fortasse neglectam rescripto suo sucitavit Adrianus, (b) qui poenam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepelirent, quam fisco inferri jussit; & in Magistratus, eadem qui passi sunt; & locum publicari jussit, & corpus transferri: ad quae accesserunt aliorum scripta Imperatorum. (c) Legem autem XII. tabul. his verbis exhibet Cicero lib. 2. de leg.

(a) *Vide* Balduin. *ad hanc l. 3. XII. tabul.*

(b) *L. 3. §. 5. ff. de sepul. viol.*

(c) *ff. de relig. & sumt. fun.*

Hominem mortuum in Vrbe ne sepelito, neve urito.

Nunc de sumtibus sepulchrorum.

Nullius rei cura homines tangere minus deberet, quam magnificentia sepulchrorum, & humanae gloriae consideratio post mortem: quae rebus nos omnino solvit humanis. Verum adeo miseri haeremus corpori, mortalisque hujus vitae cupiditate tantopere tenemur; ut unde abscedit animus, ibi literis tamen, & rebus gestis, & insanis sumtibus aedificiorum, ac si non re, verbo tamen, ac nomine habitare contendamus, misere viventes, ac sumtuose moriamur; totaque vita pro ea laude laborantes, quae vel condemnenda erit cum Deo habitantibus; vel a beatitudinis aeternae spe decidentibus aeterno tempore poenitenda Ergo quid commemorem veterum AEgyptiorum fatui-

Digitized by Google

fatuitatem; quid regum eorum insaniam, qui exiguum cinerem eductis ad Coelum montibus condiderunt? Quid aetate quoque nostra populorum orientalium, ac Sinarum praecipue stultitiam, quorum maxima pars opum funeris ambitione consumitur? Profusionem hanc inanem ab AEgyptiorum exemplo ad Graecos cum aliis moribus translatam a Solone compressam legimus: Atticoque jure constitutum refert Cicero, (a) ne quis sepulchrum operosius faceret, quam quod decem homines effecerint triduo; ac ne id opere rectorio exornaretur, neque ibi Hermae imponerentur; quod ideo fiebat, quia Mercurium animabus ad inferos deducendis praesse putabant. Et quoniam sepulchra columnis exornabant, earum quoque insolentiam compescuit Phalaraeus, qui super terrae tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis non altiorem, aut mensam, aut labellum. Plato vero vetuit in parte agri foecunda locum ad sepulchrum capere; vetuit item aggerem altiorem eo tumulo, quem viri quinque extruxerint; nec lapides superextrui passus est majores, quam ut quatuor heroicos versus complecterentur in mortui laudem. Hanc legum Atticarum sobrietatem, atque modestiam imitati Decemviri a Romanis funeribus sumtuum insaniam amoverunt, praefati ab initio pauca haec *hoc plus ne facito*, ne scilicet plus facerent, quam subjectis continuo legum capitibus permissum invenirent. Quae verba male Raevardus eo loco movet:

(a) *lib. 2. de legibus.*

bilibus officiis, & lethali aura cives contristarentur. Cum autem Romani honoris causa sepulchrum in Vrbe alicui concederent; ad id patebat Exquilinus campus, quem Augustus Mecoenati concessit: ut occupato jam alia in re loco, potestas cuiquam in Vrbe sepeliendi amplius non fieret. (a) Eamdem religionem fortasse neglectam rescripto suo sucitavit Adrianus, (b) qui poenam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepelirent, quam fisco inferri jussit; & in Magistratus, eadem qui passi sunt; & locum publicari jussit, & corpus transferri: ad quae accesserunt aliorum scripta Imperatorum. (c) Legem autem XII. tabul. his verbis exhibet Cicero lib. 2. de leg.

(a) *Vide* Balduin. *ad hanc l. 3. XII. tabul.*

(b) *L. 3. §. 5. ff. de sepul. viol.*

(c) *ff. de relig. & sumt. fun.*

Hominem mortuum in Vrbe ne sepelito, neve urito.

Nunc de sumtibus sepulchrorum.

Nullius rei cura homines tangere minus deberet, quam magnificentia sepulchrorum, & humanae gloriae consideratio post mortem: quae rebus nos omnino solvit humanis. Verum adeo miseri haeremus corpori, mortalisque hujus vitae cupiditate tantopere tenemur; ut unde abscedit animus, ibi literis tamen, & rebus gestis, & insanis sumtibus aedificiorum, ac si non re, verbo tamen, ac nomine habitare contendamus, misere viventes, ac sumtuose moriamur; totaque vita pro ea laude laborantes, quae vel condemnenda erit cum Deo habitantibus; vel a beatitudinis aeternae spe decidentibus aeterno tempore poenitenda Ergo quid commemorem veterum AEgyptiorum fatui-

Digitized by Google

fatuitatem ; quid regum eorum insaniam , qui exiguum cinerem eductis ad Coelum montibus condiderunt ? Quid aetate quoque nostra populorum orientalium, ac Sinarum praecipue stultitiam , quorum maxima pars opum funeris ambitione consumitur ? Profusionem hanc inanem ab AEgyptiorum exemplo ad Graecos cum aliis moribus translatam a Solone compressam legimus : Atticoque jure constitutum refert Cicero , (a) ne quis sepulchrum operosius faceret, quam quod decem homines effecerint triduo ; ac ne id opere rectorio exornaretur , neque ibi Hermae imponerentur ; quod ideo fiebat , quia Mercurium animabus ad inferos deducendis praesse putabant. Et quoniam sepulchra columnis exornabant , earum quoque insolentiam compescuit Phalaraeus , qui super terrae tumulum noluit quid statui , nisi columellam tribus cubitis non altiorem , aut mensam, aut labellum. Plato vero vetuit in parte agri foecunda locum ad sepulchrum capere ; vetuit item aggerem altiorem eo tumulo, quem viri quinque extruxerint ; nec lapides superextrui passus est majores , quam ut quatuor heroicos versus complecterentur in mortui laudem. Hanc legum Atticarum sobrietatem, atque modestiam imitati Decemviri a Romanis funeribus sumtuum insaniam amoverunt, praefati ab initio pauca haec *hoc plus ne facito* , ne scilicet plus facerent , quam subjectis continuo legum capitibus permissum invenirent. Quae verba male Raevardus eo loco movet :

(a) *lib. 2. de legibus.*

bilibus officiis, & lethali aura cives contristarentur. Cum autem Romani honoris causa sepulchrum in Vrbe alicui concederent; ad id patebat Exquilinus campus, quem Augustus Mecoenati concessit: ut occupato jam alia in re loco, potestas cuiquam in Vrbe sepeliendi amplius non fieret. (a) Eamdem religionem fortasse neglectam rescripto suo sucitavit Adrianus, (b) qui poenam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepelirent, quam fisco inferri jussit; & in Magistratus, eadem qui passi sunt; & locum publicari jussit, & corpus transferri: ad quae accesserunt aliorum scripta Imperatorum. (c) Legem autem XII. tabul. his verbis exhibet Cicero lib. 2. de leg.

(a) *Vide* Balduin. *ad hanc l. 3. XII. tabul.*

(b) *L. 3. §. 5. ff. de sepul. viol.*

(c) *ff. de relig. & sumt. fun.*

Hominem mortuum in Vrbe ne sepelito, neve urito.

Nunc de sumtibus sepulchrorum.

Nullius rei cura homines tangere minus deberet, quam magnificentia sepulchrorum, & humanae gloriae consideratio post mortem: quae rebus nos omnino solvit humanis. Verum adeo miseri haeremus corpori, mortalisque hujus vitae cupiditate tantopere tenemur; ut unde abscedit animus, ibi literis tamen, & rebus gestis, & insanis sumtibus aedificiorum, ac si non re, verbo tamen, ac nomine habitare contendamus, misere viventes, ac sumtuose moriamur; totaque vita pro ea laude laborantes, quae vel condemnenda erit cum Deo habitantibus; vel a beatitudinis aeternae spe decidentibus aeterno tempore poenitenda Ergo quid commemorem veterum AEgyptiorum fatui-

Digitized by Google

fatuitatem ; quid regum eorum insaniam , qui exiguum cinerem eductis ad Coelum montibus condiderunt ? Quid aetate quoque nostra populorum orientalium, ac Sinarum praecipue stultitiam , quorum maxima pars opum funeris ambitione consumitur ? Profusionem hanc inanem ab AEgyptiorum exemplo ad Graecos cum aliis moribus translatam a Solone compressam legimus : Atticoque jure constitutum refert Cicero , (a) ne quis sepulchrum operosius faceret, quam quod decem homines effecerint triduo; ac ne id opere rectorio exornaretur , neque ibi Hermae imponerentur ; quod ideo fiebat , quia Mercurium animabus ad inferos deducendis praesse putabant. Et quoniam sepulchra columnis exornabant , earum quoque insolentiam compescuit Phalaraeus , qui super terrae tumulum noluit quid statui , nisi columellam tribus cubitis non altiorem , aut mensam, aut labellum. Plato vero vetuit in parte agri foecunda locum ad sepulchrum capere ; vetuit item aggerem altiorem eo tumulo, quem viri quinque extruxerint ; nec lapides superextrui passus est majores , quam ut quatuor heroicos versus complecterentur in mortui laudem. Hanc legum Atticarum sobrietatem, atque modestiam imitati Decemviri a Romanis funeribus sumtuum insaniam amoverunt, praefati ab initio pauca haec *hoc plus ne facito* , ne scilicet plus facerent , quam subjectis continuo legum capitibus permissum. invenirent. Quae verba male Raevardus eo loco movet :

(a) *lib. 2. de legibus.*

bilibus officiis, & lethali aura cives contristarentur. Cum autem Romani honoris causa sepulchrum in Vrbe alicui concederent; ad id patebat Exquilinus campus, quem Augustus Mecoenati concessit: ut occupato jam alia in re loco, potestas cuiquam in Vrbe sepeliendi amplius non fieret. (a) Eamdem religionem fortasse neglectam rescripto suo sucitavit Adrianus, (b) qui poenam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepelirent, quam fisco inferri jussit; & in Magistratus, eadem qui passi sunt; & locum publicari jussit, & corpus transferri: ad quae accesserunt aliorum scripta Imperatorum. (c) Legem autem XII. tabul. his verbis exhibet Cicero lib. 2. de leg.

(a) *Vide* Balduin. *ad hanc l. 3. XII. tabul.*

(b) *L. 3. §. 5. ff. de sepul. viol.*

(c) *ff. de relig. & sumt. fun.*

Hominem mortuum in Vrbe ne sepelito, neve urito.

Nunc de sumtibus sepulchrorum. Nullius rei cura homines tangere minus deberet, quam magnificentia sepulchrorum, & humanae gloriae consideratio post mortem: quae rebus nos omnino solvit humanis. Verum adeo miseri haeremus corpori, mortalisque hujus vitae cupiditate tantopere tenemur; ut unde abscedit animus, ibi literis tamen, & rebus gestis, & insanis sumtibus aedificiorum, ac si non re, verbo tamen, ac nomine habitare contendamus, misere viventes, ac sumtuose moriamur; totaque vita pro ea laude laborantes, quae vel condemnenda erit cum Deo habitantibus; vel a beatitudinis aeternae spe decidentibus aeterno tempore poenitenda Ergo quid commemorem veterum AEgyptiorum fatui-

Digitized by Google

fatuitatem ; quid regum eorum insaniam , qui exiguum cinerem eductis ad Coelum montibus condiderunt ? Quid aetate quoque nostra populorum orientalium, ac Sinarum praecipue stultitiam , quorum maxima pars opum funeris ambitione consumitur ? Profusionem hanc inanem ab AEgyptiorum exemplo ad Graecos cum aliis moribus translatam a Solone compressam legimus : Atticoque jure constitutum refert Cicero , (a) ne quis sepulchrum operosius faceret, quam quod decem homines effecerint triduo ; ac ne id opere rectorio exornaretur , neque ibi Hermae imponerentur ; quod ideo fiebat , quia Mercurium animabus ad inferos deducendis praesse putabant. Et quoniam sepulchra columnis exornabant , earum quoque insolentiam compescuit Phalaraeus , qui super terrae tumulum noluit quid statui , nisi columellam tribus cubitis non altiorem , aut mensam, aut labellum. Plato vero vetuit in parte agri foecunda locum ad sepulchrum capere ; vetuit item aggerem altiorem eo tumulo, quem viri quinque extruxerint ; nec lapides superextrui passus est majores , quam ut quatuor heroicos versus complecterentur in mortui laudem. Hanc legum Atticarum sobrietatem, atque modestiam imitati Decemviri a Romanis funeribus sumtuum insaniam amoverunt, praefati ab initio pauca haec *hoc plus ne facito* , ne scilicet plus facerent , quam subjectis continuo legum capitibus permissum. invenirent. Quae verba male Raevardus eo loco movet :

(a) *lib. 2. de legibus.*

ut aliis capitibus nulla ratione interponeret. Ac primo Decemviri artificii sumtum in extruendo rogo prohibuerunt, jubentes, ut e rudibus, & impolitis lignis componeretur, ac vetantes ne ascia, sive dolabrum ad elegantiam adhiberetur. Quorsum enim ars, & industria in opere paucarum horarum? Et quoniam veteres, uti diximus, in ornandis funeribus adeo furebant, ut praecioſa quaeque, atque cariora defuncto, cum ipso corpore conderent; vetuit Solon (*a*) plus quam tribus vestibus mortui corpus onerari; cujus frugalitatem etiam Decemviri aemulantes legem tulerunt, ne ad cadaver componendum adjicerentur plura, quam tria ricinia, (*b*) quae vestes erant quadratae purpureae. Vnde Varro ait fuisse tuarum togarum instar, quarum dimidium retrorsum jaciebatur, indeque dictum ricinium: atque antiquissimum ricinium fuisse mulierum, postea vero duplex fuisse virorum. Vnde Servius ait ex ricinii usu patere, mulieres olim habuisse togas; & Cicero ait, riciniis mulieres usas in luctu. (*c*) Minus praeterea quoddam erat ricinium, quae rica dicebatur, eratque velamentum capitis muliebre, modestiae causa genas tegens, quo in sacrificiis utebantur. Riciniis igitur involvebant cadaver, quorum singula involucra, ut suspicor, distinguebant fasciis purpureis: propterea lex, ut Cicero tradit, non tulit plusquam tria vincula purpurae, (*d*) quae interpretor fascias purpureas, quarum singulis ricinia corpori colligabantur. Ad eam solennitatem funeris veteres com-

(*a*) Plutarchus *in Solon.*

(*b*) Festus *in verbo* rica. Varro *lib. 4. de ling. lat.*

(*c*) *de legibus. lib. 2.* Turneb. *in Varron. 4. de ling. lat.*

(*d*) Cic. *de leg. 2.* Cujac. *ad l. ult. ff. his qui not. infam. sive ad lib. 2 qu aest.* Rapin.

Digitized by Google

conducebant tibicines adhibita muliere, quae praefica nuncupabatur: eaeque cantiones lugubres appellabantur *naeniae*, quaeque apud sitos, hoc est mortuos, & humi conditos, vel condendos canerent *siticines*. (*a*) In majoribus autem exequiis adhibebantur tubae. Cujusmodi sumtus, quia modum excederent, Decemviri vetuerunt, ne plusquam decem tibicines ad funus vocarentur. Vnde Ovidius fastor. 6.

(a) Gell. *lib.* 20. *cap.* 2.

Adde quod AEdilis, pompa, qui funeris irent
Artifices solos jusserat esse decem.

AEdilium enim munus erat curare solennitates, tum ludorum, tum festorum dierum, tum etiam funerum, quo rite omnia peragerentur. Vnde miror, cur Jacobus Gothofredus pro *AEdilis* substituerit *edictis*. Corruptis autem Pop. Roman. moribus haec in sumtibus modestia in oblivionem venerat. Ac Jurisconsulti, quia regendae humanae vitae studia colebant, pro viribus huic amentiae occurrerunt. Vnde Vlpianus: (*b*) *Non oportere*, ait, *ornamenta cum corporibus condi: nec quid aliud hujusmodi, quod homines simpliciores faciunt.* Et Papinianus ait: *ineptas voluntates defunctorum circa sepulturam; veluti vestes, aut si qua alia supervacua, ut in funus impendantur.* Nec tantum sumtus immodicos, verum & effusos, ac muliebres questus, & ejulationes molliores, aliaque infirmorum animorum argumenta Decemviri a Romanis institutis averterunt: ne his imbecillitatis exemplis assueta bello pectora,

(b) *l. & si quis impediat 14. ff. de relig. & sumt. fun. §. non autem.*

& diuturnis praeliis roborata dissolverentur. Longiores enim fletus, & insueti moeroris adspectus augent mortis opinionem, ad cujus contemtum assuefaciendus fuit populus omnibus gentibus imperaturus. Vetuerunt igitur XII. tab. leges mulieribus radere, & dilaniare genas, ut mos erat earum, vel quo se acerbius cruciarent; vel quo sanguinem suum funderent, si deesset sanguis gladiatorum. Ludi enim gladiatorum in funeribus edebantur, de quo more testis est Servius ad locum illum AEneid. xx.

Et roseas laniata genas.

ubi hujus verba legis profert Servius, aetate, aut scriptorum imperitia fortasse corrupta. Simul cum laniatu genarum vetitus fuit etiam ejulatus, & questus effractior, atque abjectio animi, ploratusque importunus, quos *lessum* veteres vocabant, ut suspicabatur Sex AElius, quem simul cum L. AElio Cicero refert, (a) nullam hujus verbi certam significationem elicere potuisse: quippe vetustas eam subduxerat. Vnde nec nobis quidquam supereſt praeter conjecturam. Sane hanc sententiam hujus fuisse legis arguit lex Solonis, qui nimios fletus teste Plutarcho, & Cicerone inhibuerat: quam legem in suas Decemviri tabulas transtulerunt. Quam tamen gravitatem Solon legibus exegit, moriens ipse minime praestitit: siquidem haec illa de suo funere, quae Cicero transtulit. (b)

(a) *lib. 2. de legibus.*

(b) *lib. 1. Tuscul.*

Mors mea ne careat lacrymis, linquamus amicis

Mor-

Digitized by Google

Moerorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Quamobrem jure a Cicerone praefertur Ennii oratio haec:

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit: cur? volito vivo per ora virum.

Plato vero in suis legibus minime sollicitus est de prohibendis, aut concedendis lacrymis: dum ne planctu, & clamore mortuum extra domum comitentur. Credo ne publico adspectu lacrymarum, civium animi debilitentur. Praeterea Decemviri moderandorum sumtuum curam susceperunt providentes, caventesque, ne praeter justa jam persoluta, & humationes ossis decisi, quae supra memoravimus, benevoli, & cognati ossa legerent referenda domum, ut super iis justa repeterentur, itaque sumtus, & lacrymae augerentur. Neque enim celebrari poterat funus, nisi super ossibus. Hinc mari mersus, aut flumine, cujus cadaver ad litus, aut ripam non emersisset, nullis funeribus decorabatur. Quamobrem cum nullum super terra os defuncti extaret; heres nulla funeris obligatione premebatur, neque jure Pontificio tenebatur porcam immolare Cereri, ac Telluri quotannis; quam praecidaneam porcam vocabant, quia caedenda erat antequam novae fruges caperentur. Et haec annua immolatio poena erat heredis, qui cum posset, justa non fecisset. (a) At ejus qui cecidisset in acie, quamvis ossa nulla invenirentur, tamen virtutis ergo funus duce-

(a) Cujac. *l. ult. ff. de his qui not. infam. in Papin. lib. 2. quaest.*

Digitized by Google

batur, & memoria exornabatur exequiis. Immo etsi forte fuisset a commilitonibus crematus; tamen permittebatur heredi, & cognatis legere ossa, quae invenissent, ut super iis justa facerent. (a) Ad alios nunc sumtus a Decemviris resectos accedamus, nempe ad unctiuram servilem, respersionem, murratam potionem, & longas coronas. Vnctura cadaverum pluribus quidem populis consueta, (b) veluti AEgyptiis, Graecis, & Persis; Romanis vero fuit maxime necessaria, qui novem dies funus protrahentes, unctione olei, atque odorati liquoris, putredinem prohibere cogebantur: praesertim quia oportebat corporis poros aqua calida laxatos unguentis opplere, ne aër viscera liberius permeando corporis compagem celerius solveret. Quamobrem non omnem unctiuram Decemviri sustulerunt, quippe cum sumtum hunc ingenuorum cadaveribus necessarium cognoscerent; ideoque unctionem eam inter impensas funeris positam invenimus; (c) unctiuram vero tantum servilem prohibuerunt, tum ne par honos tribueretur cadaveribus servorum; tum etiam quia neque ea solennia, neque idem dierum spatium ad servorum funus adhibebatur. Sequitur circumpotatio, (d) sive epulae ferales, aut sepulchralis coena, & convivium, quod inibatur post cadaver conditum: quae & *parentalia* dicebantur, & *silicernia*, quasi *coena ad silices*; veteres enim *cesna* pro *coena* dixisse testis est Varro in Meleagris; (e) qui mos & Romanorum fuit, & Athenienssium, & aliarum gentium vetustissimus,

(u) Cujac. *l. c. ex Cic. lib. 2. de leg.*

(c) Herodot. *lib. 2. cap. 1.* Diod. Sicul. *lib. 1. Scholiast. Aristoph. in Plut.*

(c) *l. 37. ff. de relig. & sumt. funer.*

(d) Cic. *2. de leg.*

(e) Nonus. *vide* Lauremberg. *verbo silicernium.*

Digitized by Google

mus, cujus testis est Homerus. (a) Atque ad has epulas accedebant post coenam ipsis mortuis datam, mortuos enim convivio excipere se credebant coenam flammis injicientes: quasi flammarum faucibus eam defuncti vorarent. Haec vero, quae diximus, convivia tanta magnificentia instruebantur, ut Decemviri profusionem hanc inutilem moderandam existimarint, sed frustra. (b) nam subactae moribus leges furori hominum reprimendo minime suffecerunt. Quippe superstitionis amentia verebantur fame necare mortuos, atque ipsos Deos: ni viventes, & mortales, pro mortuis, & immortalibus se vino, & epulis explerent: quasi hominum dentibus Dii superi, atque inferi manderent. adeo luxurie, atque crapula numen venerabantur inane. Hanc autem Decemviri legem etiam de Solone sumserunt, cui tamen jacturae hujus, inanisque luxus coërcendi consilium nihilo processit felicius. Quis enim vulgarem affectionem coërcuerit, quando cupiditas religione munitur? Omnem autem circumpotationem Decemviri sustulerunt, cum varia esset crapula, & circumpotatio, & etiam ad fores mulsum daretur. (c) Resperſiones quoque rogi, & cinerum, quae Numae tempore vino, Decemvirorum vero aetate murrata potione fiebat, XII. tabul. prohibuerunt: cum amovendis supervacuis sumtibus etiam vini resperſionem Numa prohibuisset, quam tamen Decemviri tolerarunt, nisi sumtuosior esset: qualis erat murrata potio, quae rogo, sive fragran-

(a) Iliad. ω.

(b) Tertull. Apol. c. 14.

(c) Theodor. Marc. cap. 94. pag. 258. ad leg. XII. tabul.

Digitized by Google

bilibus officiis, & lethali aura cives contristarentur. Cum autem Romani honoris causa sepulchrum in Vrbe alicui concederent; ad id patebat Exquilinus campus, quem Augustus Mecoenati concessit: ut occupato jam alia in re loco, potestas cuiquam in Vrbe sepeliendi amplius non fieret. (a) Eamdem religionem fortasse neglectam rescripto suo sucitavit Adrianus, (b) qui poenam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepelirent, quam fisco inferri jussit; & in Magistratus, eadem qui passi sunt; & locum publicari jussit, & corpus transferri: ad quae accesserunt aliorum scripta Imperatorum. (c) Legem autem XII. tabul. his verbis exhibet Cicero lib. 2. de leg.

(a) *Vide* Balduin. *ad hanc l. 3. XII. tabul.*

(b) *l. 3. §. 5. ff. de sepul. viol.*

(c) *ff. de relig. & sumt. fun.*

Hominem mortuum in Vrbe ne sepelito, neve urito.

Nunc de sumtibus sepulchrorum.

Nullius rei cura homines tangere minus deberet, quam magnificentia sepulchrorum, & humanae gloriae consideratio post mortem: quae rebus nos omnino solvit humanis. Verum adeo miseri haeremus corpori, mortalisque hujus vitae cupiditate tantopere tenemur; ut unde abscedit animus, ibi literis tamen, & rebus gestis, & insanis sumtibus aedificiorum, ac si non re, verbo tamen, ac nomine habitare contendamus, misere viventes, ac sumtuose moriamur; totaque vita pro ea laude laborantes, quae vel condemnenda erit cum Deo habitantibus; vel a beatitudinis aeternae spe decidentibus aeterno tempore poenitenda Ergo quid commemorem veterum AEgyptiorum fatui-

Digitized by Google

fatuitatem ; quid regum eorum insaniam , qui exiguum cinerem eductis ad Coelum montibus condiderunt ? Quid aetate quoque nostra populorum orientalium, ac Sinarum praecipue stultitiam , quorum maxima pars opum funeris ambitione consumitur ? Profusionem hanc inanem ab AEgyptiorum exemplo ad Graecos cum aliis moribus translatam a Solone compressam legimus : Atticoque jure constitutum refert Cicero , (a) ne quis sepulchrum operosius faceret, quam quod decem homines effecerint triduo; ac ne id opere rectorio exornaretur , neque ibi Hermae imponerentur ; quod ideo fiebat , quia Mercurium animabus ad inferos deducendis praesse putabant. Et quoniam sepulchra columnis exornabant , earum quoque insolentiam compescuit Phalaraeus , qui super terrae tumulum noluit quid statui , nisi columellam tribus cubitis non altiorem , aut mensam, aut labellum. Plato vero vetuit in parte agri foecunda locum ad sepulchrum capere ; vetuit item aggerem altiorem eo tumulo, quem viri quinque extruxerint ; nec lapides superextrui passus est majores , quam ut quatuor heroicos versus complecterentur in mortui laudem. Hanc legum Atticarum sobrietatem, atque modestiam imitati Decemviri a Romanis funeribus sumtuum insaniam amoverunt, praefati ab initio pauca haec *hoc plus ne facito* , ne scilicet plus facerent , quam subjectis continuo legum capitibus permissum invenirent. Quae verba male Raevardus eo loco movet :

(a) *lib. 2. de legibus.*

ut aliis capitibus nulla ratione interponeret. Ac primo Decemviri artificii sumtum in extruendo rogo prohibuerunt, jubentes, ut e rudibus, & impolitis lignis componeretur, ac vetantes ne ascia, sive dolabrum ad elegantiam adhiberetur. Quorsum enim ars, & industria in opere paucarum horarum? Et quoniam veteres, uti diximus, in ornandis funeribus adeo furebant, ut praecioſa quaeque, atque cariora defuncto, eum ipso corpore conderent; vetuit Solon (*a*) plus quam tribus vestibus mortui corpus onerari: cujus frugalitatem etiam Decemviri aemulantes legem tulerunt, ne ad cadaver componendum adjicerentur plura, quam tria ricinia, (*b*) quae vestes erant quadratae purpureae. Vnde Varro ait fuisse tuarum togarum instar, quarum dimidium retrorsum jaciebatur, indeque dictum ricinium: atque antiquissimum ricinium fuisse mulierum, postea vero duplex fuisse virorum. Vnde Servius ait ex ricinii usu patere, mulieres olim habuisse togas; & Cicero ait, riciniis mulieres usas in luctu. (*c*) Minus praeterea quoddam erat ricinium, quae rica dicebatur, eratque velamentum capitis muliebre, modestiae causa genas tegens, quo in sacrificiis utebantur. Riciniis igitur involvebant cadaver, quorum singula involucra, ut suspicor, distinguebant fasciis purpureis: propterea lex, ut Cicero tradit, non tulit plusquam tria vincula purpurae, (*d*) quae interpretor fascias purpureas, quarum singulis ricinia corpori colligabantur. Ad eam solennitatem funeris veteres con-

(a) Plutarchus *in Solon.*

(b) Festus *in verbo* rica. Varro *lib. 4. de ling. lat.*

(c) *de legibus. lib. 2.* Turneb. *in Varron. 4. de ling. lat.*

(d) Cic. *de leg. 2.* Cujac. *ad l. alt. ff. his qui not. infam. sive ad lib. 2 qu aest.* Rapin.

Digitized by Google

conducebant tibicines adhibita muliere, quae praefica nuncupabatur : eaeque cantiones lugubres appellabantur *naeniae*, quaeque apud sitos, hoc est mortuos, & humi conditos, vel condendos canerent *siticines*. (*a*) In majoribus autem exequiis adhibebantur tubae. Cujusmodi sumtus, quia modum excederent, Decemviri vetuerunt, ne plusquam decem tibicines ad funus vocarentur. Vnde Ovidius fastor. 6.

(a) Gell. *lib.* 20. *cap.* 2.

Adde quod AEdilis, pompa, qui funeris irent
Artifices solos jusserat esse decem.

AEdilium enim munus erat curare solennitates, tum ludorum, tum festorum dierum, tum etiam funerum, quo rite omnia peragerentur. Vnde miror, cur Jacobus Gothofredus pro *AEdilis* substituerit *edictis*. Corruptis autem Pop. Roman. moribus haec in sumtibus modestia in oblivionem venerat. Ac Jurisconsulti, quia regendae humanae vitae studia colebant, pro viribus huic amentiae occurrerunt. Vnde Vlpianus : (*b*) *Non oportere*, ait, *ornamenta cum corporibus condi : nec quid aliud hujusmodi, quod homines simpliciores faciunt.* Et Papinianus ait : *ineptas voluntates defunctorum circa sepulturam ; veluti vestes, aut si qua alia supervacua, ut in funus impendantur.* Nec tantum sumtus immodicos, verum & effusos, ac muliebres questus, & ejulationes molliores, aliaque infirmorum animorum argumenta Decemviri a Romanis institutis averterunt : ne his imbecillitatis exemplis assueta bello pectora,

(b) *l. & si quis impediat 14. ff. de relig. & sumt. fun. §. non autem.*

Digitized by Google

& diuturnis praeliis roborata dissolverentur. Longiores enim fletus, & insueti moeroris adspectus augent mortis opinionem, ad cujus contemtum assuefaciendus fuit populus omnibus gentibus imperaturus. Vetuerunt igitur XII. tab. leges mulieribus radere, & dilaniare genas, ut mos erat earum, vel quo se acerbius cruciarent; vel quo sanguinem suum funderent, si deesset sanguis gladiatorum. Ludi enim gladiatorum in funeribus edebantur, de quo more testis est Servius ad locum illum AEneid. xx.

Et roseas laniata genas. - - -

ubi hujus verba legis profert Servius, aetate, aut scriptorum imperitia fortasse corrupta. Simul cum laniatu genarum vetitus fuit etiam ejulatus, & questus effractior, atque abjectio animi, ploratusque importunus, quos *lessum* veteres vocabant, ut suspicabatur Sex AElius, quem simul cum L. AElio Cicero refert, (a) nullam hujus verbi certam significationem elicere potuisse: quippe vetustas eam subduxerat. Vnde nec nobis quidquam supereſt praeter conjecturam. Sane hanc sententiam hujus fuisse legis arguit lex Solonis, qui nimios fletus teste Plutarcho, & Cicerone inhibuerat: quam legem in suas Decemviri tabulas transtulerunt. Quam tamen gravitatem Solon legibus exegit, moriens ipse minime praestitit: siquidem haec illa de suo funere, quae Cicero transtulit. (b)

(a) *lib. 2. de legibus.*

(b) *lib. 1. Tuscul.*

Mors mea ne careat lacrymis, linquamus amicis

Mo-

Moerorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Quamobrem jure a Cicerone praefertur Ennii oratio haec:

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit: cur? volito vivo per ora virum.

Plato vero in suis legibus minime sollicitus est de prohibendis, aut concedendis lacrymis: dum ne planctu, & clamore mortuum extra domum comitentur. Credo ne publico adspectu lacrymarum, civium animi debilitentur. Praeterea Decemviri moderandorum sumtuum curam susceperunt providentes, caventesque, ne praeter justa jam persoluta, & humationes ossis decisi, quae supra memoravimus, benevoli, & cognati ossa legerent referenda domum, ut super iis justa repeterentur, itaque sumtus, & lacrymae augerentur. Neque enim celebrari poterat funus, nisi super ossibus. Hinc mari mersus, aut flumine, cujus cadaver ad litus, aut ripam non emersisset, nullis funeribus decorabatur. Quamobrem cum nullum super terra os defuncti extaret; heres nulla funeris obligatione premebatur, neque jure Pontificio tenebatur porcam immolare Cereri, ac Telluri quotannis; quam praecidaneam porcam vocabant, quia caedenda erat antequam novae fruges caperentur. Et haec annua immolatio poena erat heredis, qui cum posset, justa non fecisset. (a) At ejus qui cecidisset in acie, quamvis ossa nulla invenirentur, tamen virtutis ergo funus duce-

(a) Cujac. *l. ult. ff. de his qui not. infam. in Papin. lib. 2. quaest.*

batur, & memoria exornabatur exequiis. Immo etsi forte fuisset a commilitonibus crematus; tamen permittebatur heredi, & cognatis legere ossa, quae invenissent, ut super iis justa facerent. (a) Ad alios nunc sumtus a Decemviris resectos accedamus, nempe ad unctiuram servilem, respersionem, murratam potionem, & longas coronas. Vnctura cadaverum pluribus quidem populis consueta, (b) veluti AEgyptiis, Graecis, & Persis; Romanis vero fuit maxime necessaria, qui novem dies funus protrahentes, unctione olei, atque odorati liquoris, putredinem prohibere cogebantur: praesertim quia oportebat corporis poros aqua calida laxatos unguentis opplere, ne aër viscera liberius permeando corporis compagem celerius solveret. Quamobrem non omnem unctiuram Decemviri sustulerunt, quippe cum sumtum hunc ingenuorum cadaveribus necessarium cognoscerent; ideoque unctionem eam inter impensas funeris positam invenimus; (c) unctiuram vero tantum servilem prohibuerunt, tum ne par honos tribueretur cadaveribus servorum; tum etiam quia neque ea solennia, neque idem dierum spatium ad servorum funus adhibebatur. Sequitur circumpotatio, (d) sive epulae ferales, aut sepulchralis coena, & convivium, quod inibatur post cadaver conditum: quae & *parentalia* dicebantur, & *silicernia*, quasi *coena ad silices*; veteres enim *cesna* pro *coena* dixisse testis est Varro in Meleagris; (e) qui mos & Romanorum fuit, & Athenienſium, & aliarum gentium vetustissimus,

(u) Cujac. *l. c. ex Cic. lib. 2. de leg.*

(c) Herodot. *lib. 2. cap. 1.* Diod. Sicul. *lib. 1. Scholiast. Aristoph. in Plut.*

(c) *l. 37. ff. de relig. & sumt. funer.*

(d) Cic. *2. de leg.*

(e) Nonus. *vide* Lauremberg. *verbo silicernium.*

Digitized by Google

mus, cujus testis est Homerus. (a) Atque ad has epulas accedebant post coenam ipsis mortuis datam, mortuos enim convivio excipere se credebant coenam flammis injicientes: quasi flammarum faucibus eam defuncti vorarent. Haec vero, quae diximus, convivia tanta magnificentia instruebantur, ut Decemviri profusionem hanc inutilem moderandam existimarint, sed frustra. (b) nam subactae moribus leges furori hominum reprimendo minime suffecerunt. Quippe superstitionis amentia verebantur fame necare mortuos, atque ipsos Deos: ni viventes, & mortales, pro mortuis, & immortalibus se vino, & epulis explerent: quasi hominum dentibus Dii superi, atque inferi manderent. adeo luxuriae, atque crapula numen venerabantur inane. Hanc autem Decemviri legem etiam de Solone sumserunt, cui tamen jacturae hujus, inanisque luxus coërcendi consilium nihilo processit felicius. Quis enim vulgarem affectionem coërcuerit, quando cupiditas religione munitur? Omnem autem circumpotationem Decemviri sustulerunt, cum varia esset crapula, & circumpotatio, & etiam ad fores mulsum daretur. (c) Resperſiones quoque rogi, & cinerum, quae Numae tempore vino, Decemvirorum vero aetate murrata potione fiebat, XII. tabul. prohibuerunt: cum amovendis supervacuis sumtibus etiam vini resperſionem Numa prohibuisset, quam tamen Decemviri tolerarunt, nisi sumtuosior esset: qualis erat murrata potio, quae rogo, sive flagran-

(a) Iliad. ω.

(b) Tertull. Apol. c. 14.

(c) Theodor. Marc. cap. 94. pag. 258. ad leg. XII. tabul.

Digitized by Google

granti, sive combusto, aut cineribus adspergebatur. Hanc enim respersionem lege XII. tabul. prohiberi recte meo judicio J. Gothofredus existimat. Eadem autem prohibitione comprehenduntur liquores omnes precioſi, quos posterior aetas invenit: quosque Decemviri, & si non sibi notos, tamen legis virtute vetuerunt: consilium enim legum conditorum fuit inutiles resecare sumtus. Quid autem fuerit murrata potio, non satis est exploratum. Alii enim scribunt *murinum* a μύρῳ ab unguenti odore, quod & *nectar* Latinis appellabatur, eratque potio dulcis ebrietati oppoſita, quae propterea, & foeminis concedebatur: alii vero *murrhinum*, quasi myrrha conditum, unde myrrhatum vinum. (a) Hujus odore scribit Plinius proditum L. Plotium proscriptum a Triumviris, cum in Salernitana latebra se conderet. Rursus, ut quam minimo sumtu mors hominum honoraretur, prohibuere Decemviri longas coronas, diversas scilicet a rotundis contextis ut capita redimirent. Erant autem longae coronae, quibus implicabantur cadavera, & busta, & sepulchra, & sellae, curules, & fores. (b) unde Tibullus:

(a) Festus *Verb. murrata.* Plin. *14. c. 13.* Plaut. *in Perſa.* Mercur. *lib. 5. Var. lect. cap. 1.* Turneb. *advers. lib. 28. c. 6.*

(b) Ovid. *lib. 4. Fast.* Plin. *lib. 21. cap. 3.* Tertul. *de coron. milit.*

Flava Ceres tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores.

Rejecerunt postremo Decemviri, moderandorum sumtuum causa, etiam odorem, a funeribus amoto acerrae usu: quae sive ara fuit ante cadaver adolendis odoribus posita, sive arcu-

Digitized by Google

arcula incendendo thuri constructa, ut aliqui putant; certe ad odorum edendorum usum in funeribus adhibebatur. Concludamus vero locum hunc de moderandis funerum sumtibus ea lege, quae vetuit ne uni plura fierent funera, neve plures lecti sternerentur, quod forsan erat ante consuetum. (a) Sed antequam transeamus ad alias proferamus eas, quas adhuc explicavimus.

(a) Cic. lib. 2. de leg. ferè. in lib. 5. & 6. Aeneid.

Sumtus, & luctus a Deorum Manium jure removeto.

Hoc plus ne facito. Rogum ascia ne polito.

Tribus riciniis, ac x. tibicinibus foris efferre jus esto.

Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.

Homini mortuo ossa ne legito, quo post funus facias.

Servilis unctura, omnisque circumpotatio auferitor: Murrata potio ne inditor. Ne longae coronae, neve acerrae proferuntor. Vni plura funera ne facitor.

Notis abstinemus, cum satis pateat sensus e superioribus disputationibus. Tantum addimus ad primam legem *Deos Manes* esse Deos inferos,

ros, jusque *Deorum Manium* esse jus sepulchrorum, & funerum. Dicuntur autem Manes, ut Varro tradit; (a) quia veteres *bonum* dicebant *manum*. Dii autem inferi quamvis mali haberentur, tamen ut pax cum eis esset, prisci illi bono illos nomine demulcebant; quod mali bonis nominibus placarentur. Occurrit lex alia, (b) quae exceptio est prohibitionis hujusce funerum: permittitur enim, ut aurum, quo forte defuncti dentes in vita decidui revincti fuissent, flammis, & humo, si liberet, traderetur. Videbatur enim nimis avidum ob tantillum auri dentium defuncti ordinem dissolvere. Unde lex fuit:

(a) *lib. 5. de ling. lat.*

(b) Cic. *lib. 2. de legib.*

Neve aurum addito: Ast si cui auro dentes vincti escint, im cum illo sepelire urereve se fraude esto.

Escint) pro erunt, ut exposuimus non semel.

Im) pro *eum*, ut supra exposuimus.

Se fraude) pro *sine fraude*, hoc est, *impune esto*, *liceto*, *ne sit ei damno*. Sequitur exceptio alia superiorum legum, illiusque praecipue, quae coronarum luxum profligavit. Etenim ut praemiis virtus excitaretur, Decemviri coronae potestatem fecerunt ei, qui ludis, & certaminibus publicis victor eam meruisset, sive per semet, sive per servos, equosve suos, quos pecuniae nomine lex complectitur: nec victoris tantum cadaveri coronam eam imponere licuit, sed etiam

Digitized by Google

iam parentis ejus. Siquidem, ut mos fuit Graeciae, ubi summa cum celebritate certamina sunt instituta; qui publicis in ludis vicisset, non sibi tantum, sed & patri, & patriae suae gloriam pariebat, & voce praeconis cum ipse victor, tum patria ejus, & pater appellabantur. (a) Vnde non mirum si coronae honorem Romanarum legum conditores etiam parenti tribuerint: post elatum enim filium coronam eamdem domum referebant, ut argumentum virtutis usque ad funus parentum in familia maneret. Sed novorum temporum luxuries, praecipue sub Imperatoribus, hanc omnem disciplinam evertit, coronasque communes reddidit omnibus, (b) exceptis Christianis, qui superstitiosum ritum abhorrebant. Legem autem, quam & plures sarcire tentarunt, en qualem restituit Jac. Gothofredus.

(a) Pindar. ode 5. ubi Scholiast. Plin. l. 2. 6. cap. 4.

(b) Juven. Sat. 12. Minut. Foelix. Tertul. de coron. milit.

Qui coronam parit ipse pecuniaeve ejus virtutis ergo arguitor: & ipsi mortuo parentibusque ejus dum intus positus escit, forisque effertur se fraude esto.

Parit) male Raevardus figmentis assuetus mutavit in *pacit*. *Parit* praeteritum est antiquum pro *peperit*. Nam ut observavit Popina (c) veteres aliquando praeteritum etiam per praesens exprimebant, unde sunt illa *discedi* pro *discessi*, & *decedi* pro *decessi*, (d) *si sine liberis decederit*

(c) de usu antiq. locution. cap. 12.

(d) Varro de re rustic.

Digitized by Google

derit apud Paul. & apud Cat. in orat. de bello Carthagin. *aures nobis calleſcerunt*; & in *clepo*, *clepi*. Cic. de leg. *ſacrum ſacrove commendatum, qui cleperit.* Hinc & in lege noſtra *pani* pro *peperi* a *pario*.

Pecuniae) pecuniae nomine venit quidquid eſt in dominio noſtro, ut ſervi, & equi, (a) quibus cum uterentur in circenſibus, ob eorum laborem, praemium vertebatur in dominium.

(a) *l. pecuniae ff. de V. S.*

Arguitor) nihil temere mutandum, ut illi faciunt, qui *dicitor*, *addicitor*, reponunt. Senſus enim optime conſtat, cum *arguitor* ſignificet *arguatur virtus*, *declaretur*. Tota vero haec lex ita verbis comunibus commode, atque uſitatis exponetur.

Qui cororam meruerit in ludicris, ſive ipſe, ſive ſervi ejus, equive in funere ob virtutem laudator: ipſique mortuo, & ejus parentibus, & quamdiu domi pro novem dies tollendum eſt cadaver, & cum effertur coronam illam imponi jus eſto.

Sed jam diſputationem noſtram de XII. tabul. leg. concludamus, pervenimus enim ad poſtremam in ordine a nobis inſtituto: eſtque lex illa, quae ſpatium praefinit, quod inter aedes alienas, & buſtum, rogumque debeat intercedere, (b) quod LX. pedum ſtatuitur: ne rogo propius admoto aedes vicinae volitante flamma conflagrent: neve ex vicinitate foetor cadaveris proximiores inſiliat. Ex qua ſpatii amplitudine

(b) Cic. *lib. 2. de legib.*

Digitized by Google

dine arguitur legem hanc pertinere ad aedes rusticas extra pomerium: nam urbis angustia, & proximitas urbanorum aedificiorum hunc sensum satis excludunt. Et quoniam lex privatis cavet, ut incendium ab eorum domibus arceat, atque foetorem; sequitur domino permittente aedium fas esse propius rogum extruere: adeo ut nequeat postea prohibere dominus, ne alius mortuus eodem inferatur. Quo pertinent Pomponii verba in l. si propius ff. de mortuo inferendo, ubi *legitimum modum* intelligit Jurisconsultus spatium hoc LX. pedum a XII. tab. leg. praescriptum; ut optime Antonius Augustinus interpretatur. Tandem progrediuntur Decemviri ad muniendam auctoritate legis religionem sepulchrorum, quae satis ipso religiosi nomine ab usucapione eximebantur; cum non liceat res sacras, sanctas, & religiosas usucapere, tamen nominatim de vestibulo sepulchri cavere voluerunt: ne forum sive vestibulum sepulchri tamquam a re religiosa separatum usucaperetur: jubentes, ut accessio illa sepulchri ejusdem sepulchri jure frueretur: atque adjicientes, ne bustum usucapare liceret. Quod bustum cum Hotthomanno interpretor locum, ubi cadaver fuerat exustum, siquidem alibi conditum fuisset: quamvis locus ustionis proprie diceretur ustrina. (a) Si enim bustum pro ipso sepulchro hic accipiemus, inutilem hanc reddemus legem. Siquidem sepulchra per se satis ipso religiosi jure usucapionem excludebant: nec

(a) Festus in verbo bust.

Digitized by Google

quidquam nominatim nova lege caveri oportebat. Cavet autem lex quia buſtum, ſive locus, ubi cadaver tantum fuiſſet crematum neque conſeptum erat, neque religioſum: & interdum monumento conjungebatur, interdum vero conjungi prohibebatur, ut hae antiquae inſcriptiones teſtantur.

Huic monumento uſtrinam adplicare non licet. (a) En autem leges ipſas ex Cicerone quantum potuit reſtitutas.

(a) Vid. Popm. de diff. verbor. verb. buſtum.

Rogum buſtumve novum alienas aedes propius LX. pedes, ſi dominus nolet ne adjicito.

Fori buſtive aeterna auctoritas eſto.

Rogum) de his verbis haec habet Servius in fragmentis. *Apparatus mortuorum funus dici ſolet; extructio lignorum rogus; ſubjectio ignis pyra; crematio cadaveris buſtum; locus uſtrina, operis conſtructio ſepulchrum, inſcriptum nomen, memoriaque monumentum.* Sed non ſemper in uſu loquendi diſcrimem hoc religioſe obſervatur.

Buſtive) hac voce diximus hic ſignificari locum ubi corpus crematum eſt, at non conditum: cujus interpretationis non modo Hotthomannum auctorem, ſed & adſcriptorem Popmam habemus de differen. verbor. verb. buſtum ubi ait.

Interdum buſtum appellatur locus, in quo mortuus crematus, non etiam ſepultus eſt, ut notat

Digitized by Google

τὰς Servius in illud AEneid. XI. ſemiuſtaque ſervant buſta; & Strabo lib. 5. ſcribit *τὰς καύσεις id eſt buſtum Auguſti fuiſſe in campo Martio, & ab eo diverſum Mauſoleum in quo cineres conditae.* His addo Donatum, qui *buſta*, inquit, *ſunt loca, in quibus jam corpora arſerunt.* Quam ſententiam etiam probat Voſſius ethimolog; qui ait, *Quemadmodum buſtum eſſe poteſt aliquid, ubi ſepulchrum non eſſet: ita eſſe poſſe ſepulchrum ubi non eſt buſtum.* Atque hactenus leges XII. tabul. explicaſſe ſufficiat.

LXXIX. De Jvre Flaviano.

Propoſitis autem XII. tabulis, jus quidem patebat omnibus, at uſus illius, & ratio, qua quisque ſuum perſequeretur a populo ignorabatur. Quamobrem inventi ſunt, qui leges redderent actuoſas, inſtrumentaque tractandi juris ex arcana diſciplina depromta civibus miniſtrarent. Vnde conſtituti ſunt a prudentibus certi exercendi juris ritus, quorum ſolenniores, legis actiones vocabantur: certisque verborum conceptionibus, ſive formulis cujusque contractus vis, actusque omnes excipiebantur. Romani enim a primo rudes quidquid agerent certis verbis, atque ſignis mentem exprimebant, quaſi nihil foret legitimum, niſi ea verborum, & ſignorum religione fuiſſet obſignatum; nihilque ratum habebant, niſi quod ſuis eſſet ritibus, expeditum. Hinc in ſponſalibus ferreum annulum dabant, *a*) nec annulis uſae ſunt foeminae, niſi quos virgines a ſponſis acceperant, (*b*) in contrahendis nuptiis aqua, & ignis, quaſi nota communis vitae adhibebatur;

(a) Hotthom. *lib. X. obſer. cap. 7.*

(b) Plin. *lib. 33. cap. 1.*

Digitized by Google

(a) Isid. *lib. 20. et himolog item lib. de divin. off. l. si donatae. 36. §. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.*

(b) Varro *4. de ling. lat.*

(c) *l. penult. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Cujac. *11. obs. cap. 2.* Plutarch. *in problemat.*

(d) Festus Pomp. Cic. Phil. 2. Ambros. *epist. 65.*

(e) *l. de pupillo. § meminisse. ff. de novi oper. nunciat. l. vlt. C. de emancip. & novel. 8.* Cornutus *in Pers. l. directis X. ff. de test. manum.* Plaut. *in milit.*

(f) Cic. *3. de orator.*

(g) Gellius *lib. 20. cap. 9.* Cic. *pro* Caecin.

tur; (*a*) quorum ignis marem significabat, aqua foeminam; quia vi, & humore foetus coalescit. (*b*) Igne autem, & aqua vitam constare vetus sapientia praedicabat. Vnde aqua, & ignis certum erat contracti matrimonii signum, sine quibus nullae erant nuptiae, ut colligitur ex Scaevola, quia per ea vitae communio inducebatur. (*c*) Vxori domum deductae traditione clavium dominium tradebatur; dimissae vero per divortium earumdem ademtione eripiebatur. Clavibus enim custodia rerum significabatur; quod institutum Numae Plutarchus adscripsit. Prohibitio novi operis fiebat solenni jactu lapilli. (*d*) Filio vero emancipato colaphum infligebant. (*e*) Item & servo manumisso, quem etiam circumagebant, ut post dimissus liber esset, quo respexit Persius.

Verterit hunc dominus momento turbinis exit
Marcus Dama - - -

Festuca etiam eos attingebant, & tonsos pileo donabant, quae libertatis nota erat: unde rex ille nomine regio prorsus indignus, cum sese profiteretur P. R. libertum, raso capite, atque pileatus obviam legatis procedebat. Vsurpabant autem, sive usucapionem interrumpebant defringendo surculum arboris. (*f*) Vindiciae, sive lites de fundo, instituebantur conserta manu per ludricam pugnae speciem, & simulata concertatione festucas committebant, praelium imitantes, eaque dicebatur vis moribus facta. (*g*) Cum testem aliquem faceret imam aurem illius digitis primoribus atterebant,

Digitized by Google

bant, quasi memoriae sedem. (a) In qualibet translatione dominii rerum earum, quae mancipi vocabantur, quarum proprietatem in nostro dominio habemus, adhibebant aes, & libram, cujus lanx altera aere percutiebatur, quod etiam fiebat in testamentis, quia per ea dominium transfertur: (b) eademque solennitas adhibebatur in adoptionibus, quia per id adolescens ex una in aliam familiam discedit; quae supra latius exposuimus. In auctionibus, qui pluris liceret, sive qui plus offerret, digitum tollebat. (c) Instituto heredi testator annulum tradebat. (d) Pignoris nota erat manus compressio, unde Jurisconsultus ait pignus dictum a pugno. (e) Hinc apparet pignus proprie ad res mobiles pertinere. Mandatum dabatur tradita manu. Inde quasi manus datio mandatum. Item a mandato mando, quasi manum do. (f) Stipulabantur autem frangendo stipulas; easque committendo, atque in speciem redintegrando sponsionem quisque suam agnoscebat. Hereditas adibatur adprehensione corporis hereditarii, & percussione digitorum, ut saepe Cujacius notavit. (g) Hanc autem populi Romani superstionem prudentes ex usu suo esse duxerunt, atque ut omnia negotia privatorum ad se traherent, singulos actus, atque cogitationes contrahentium, & in foro disputantium conceptis verbis, & praescriptis formulis devinxere, ita ut omnem populum ad suam ipsorum auctoritatem traduxerint. Nihil enim agere petereve licebat, nisi consultis

(a) Plinius *lib. 11. c. 45.* Plaut. *in Pers.* Horat. *serm. lib. 1 sat. 9*

(b) Plinius *lib. 33. cap. 3.*

(c) Cic. *in Ver. 3. & s.*

(d) Val. Max. *lib. 3. cap. 9.* Corn. Nep. *in Eumene.* Diod. *lib. 18.*

(e) *l. 238. §. 2. ff. V. S.*

(f) Isid. *etbim. lib. 5. c. 24.*

(g) Cujac. *obs. 3. cap. 28. & paratit. C. de jure deliberandi.*

Digitized by Google

Jurisprudentibus, apud quos manebat scientia fastorum, & nefastorum, sive dierum, quibus licebat fari aut non in judicio, quod erat lege agere. Manebat etiam apud eos ratio exercendi judicii, ut ab iis forma judiciorum, sive actio efflagitaretur, & dies. Quae autem certis verbis ad exercitium legum, & juris ministerium composita fuerunt, actiones legis appellabantur, & actus legitimi, quibus jus civile XII. tabul. consignatum, atque commissum evocabatur in forum, & ex umbra in campum, atque in aciem educebatur: eaque tertia juris civilis portio fuit. Erat videlicet in XII. tabulas mentio manus consertionis, & mancipationis; harum autem ritus, & formulae quemadmodum explicarentur excogitatae fuerunt a prudentibus, & in Pontificum conditae penetralibus. Pontifices enim non modo consequentibus temporibus de media Jurisprudentia suscipiebantur; sed initio Reipublicae auctores fuerunt illius, atque custodes. Etenim interpretatio legum, unde Jurisprudentia manavit, e Pontificum Collegio procedebat: utpote cum eorum unus operam daret juri privato civibus suis interpretando; (a) reliqui vero religioni praeessent, & caerimoniis sacrorum. Itaque ex eo Collegio, ubi arcana legum disciplina condebatur, civibus responsa dabantur veluti ex Phebi cortina. In iis igitur penetralibus adversabantur legis actiones, & formulae, quas in librum digesserat Appius Claudius Caecus, quo libro arcana juris civilis scientia con-

(a) *l. 2. ff. de orig. juris §. hu leg.* Livius *lib. 9. 46.* Dionys. *lib. X.*

ti-

Digitized by Google

timebatur. Hunc autem Appio ſubreptum, ejus ſcriba Cn. Flavius libertino patre populo prodidit, & ſacra Jurisprudentiae reſeravit. (a) Quo munere homo alioqui obſcurus adeptus eſt tribunatum plebis, & ſenatoriam dignitatem, (b) ad quam libertinorum filiis aditus nunquam patuit ante Appium Claudium Cenſorem. (c) Livius AEdilem Curulem factum tradit: (d) cum antea ſcriba fuiſſet, & tabularius, & apparitor Cenſoris.

(a) Cic. *pro Muren. p. 330.*
(b) Pomp. *l. 2. de orig. jur. §. poſtea.*
(c) Livius *lib. 9. in fine.*
(d) *Vide* Cujac. *ad l. 2. §. poſtea ff. de orig. juris.*

Ex hoc igitur Jurisprudentiae ſacrario profectae ſunt actiones legis, vel actus legitimi, quos cum breviter inter ſolennes ritus enumeraverimus, nunc aliquanto fuſius expediemus. Eorum enim cognitio maxime aperit ea, quae in operis progreſſu ſeſe offerent. Ac ne difficultatibus iis involvamur, quae latent in pluribus juris locis, in quibus vel doctiſſimi labuntur, quorum exemplum eſſe poteſt Hothomannus; (e) cavendum eſt, ne legis actiones, & actus legitimos una eademque ſignificatione ubique accipiamus. Sane lege agere tum ad actores, & reos, & lictores, & apparitores, & eos omnes, quorum opera in judiciis verſabatur; (f) ſicut verbum diſceptare litigantium eſt & magiſtratus. Quamobrem legis actio latiſſime patet: etenim legis actiones dicuntur actiones omnes, quibus jus noſtrum perſequimur, actusque alii, qui in judiciorum ordine interveniunt: quo ſenſu Pomponius (g) legis actiones appellavit legitimas actiones quod Hotthomannus injuria

LXXX.

DE ACTIBVS LEGITIMIS, SIVE ACTIONIBVS LEGIS.

(e) *obſ. 12. 13. & quaeſt. illuſt. 34.* P. Faber, *lib. 2. ſemeſtr. cap. 12. & ſqq.*
(f) Briſ. *ſelect. lib. 4. cap. 20.*
(g) *l. 2. ff. de orig. juris.*

Digitized by Google

reprehendit. Item & actus legitimi nomen latius patet (a) in aliquibus juris locis, porrigiturque ad actus omnes lege permissos, lege imperatos, lege probatos, quibus scilicet jus civile tribuit auctoritatem. quo sensu accipitur in l. penult. C. de Heretic. qui locus fraudi fuit Hothomanno. Sed eaedem istae appellationes, nempe legis actiones, & actus legitimi aliquando coangustantur, & tantum complectuntur ritus illos solenniores, qui non modo proprias habent formulas, sine quibus nihil fere peragebatur; sed ex certae legis praescripto processerunt, & ex ejus legis sententia, atque auctoritate solenniter in jure celebrabantur; quibus proprium erat, primo ut in jure fierent, sive apud Magistratum; deinde ut adjecta expresse conditione, aut die vitiarentur. Tertio ut semel fierent, & iterari nequirent. Quarto ut ne per procuratorem expedirentur, quod jure antiquo commune erat omnium actionum, quibus in jure disceptatur. Etenim neque intendere actionem per alium licebat, neque excipere; quae severitas juris sublata ex actionibus ceteris mansit tantum in actibus legitimis, sive hisce solennioribus, in quibus hac in re nullum discrimen est inter privatos, & Magistratus. Nam sicuti privato non licet legitimos actus exercere per alium, veluti adoptionem, aut emancipationem, & similia: Ita nec magistratui licet lege agere per alium, sive harum actionum exercitium committere ei, cui mandavit jurisdictio-

(a) Cujac. l. actus legitimi ff. de reg jur. in Papin.

Digitized by Google

ctionem,(a) superiora vero omnia congruunt iis actibus, qui partim recensentur a Papiniano, partim innuuntur in aliis Jurisconsultis, ex quibus colligimus actuum legitimorum numerum, quem referemus. Perperam autem Hothomannus in l. actus legit. ff. de regul. jur. interposuit negationem, ut commentum suum confirmaret de duplici actuum legitimorum genere, quorum alios dixit recipere diem, & conditionem, alios non. ex quo errore dilapsus est ad innumeros, ut antestationem, & testimonii dictionem, & stipulationem, & quidquid denique solennius perageretur, ad actus legitimos retulerit. quod absurdum ut vitaret Cujacius, & Florentinam lectionem retinuit, & actus legitimos ab aliis immodice auctos, intra orbem a Papiniano, & aliis Jurisconsultis definitum retraxit. Igitur Papinianus ex Florentina lectione ita scripsit: (b) *Actus legitimi, qui recipiunt diem, vel conditionem, veluti mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, servi optio, datio tutoris in totum vitiantur per temporis, vel conditionis adjectionem.* Cur vitiantur adjecto tempore, vel conditione, si initio tradiderat actus legitimos suapte natura recipere temporis, & conditionis adjectionem? Hothomannus ut hanc orationis repugnantiam tolleret ex Haloandro legit; *actus legitimi, qui non recipiunt*, praeter quos alios actus legitimos constituit, qui diem conditionemque recipiunt, quique ut ipse putat in hac Jurisconsulti enumeratione desiderantur. Hinc mirum,

(a) *l. 2. de offic. Proconf. l. nec mandante ff. de tut. & curat.* Cujac. *in actus legit. ff. de regul. juris.*

(b) *l. actus legitimi ff. de regul. jur.*

Digitized by Google

quantum ex illius sententia actuum legitimorum numerus increbuerit: utpote cum positum a Jurisconsulto modum sustulerit. Cujacius vero longe peritius nihil de Florentina lectione mutavit; sed priora tantum verba interpretatus congruam, & convenientem sibi sententiam extulit. Itaque sic explicat: *actus legitimi, qui recipiunt diem, & conditionem, id est actus legitimi, quibus conditio, & dies adjicitur; ut* scilicet non suscipiatur ab actuum legitimorum natura conditio, & dies, sed adjiciantur ab homine: *actus*, inquit, *legitimi, quorum e numero sunt emancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, servi optio, datio tutoris, vitiantur in totum, si eis conditio, & dies fuerit adjecta: non vitiantur tamen, si eis tacite dies, & conditio subsit.* atque hic est germanus hujus legis sensus simplicior, & expeditior. Haec oportuit perstringere breviter, ut actus legitimos ab aliis actibus solennibus discerneremus, utque vim, & naturam eorum clarius aperiremus. Haec sunt igitur summa capita, ad quae legis actiones, sive actus legitimi a Jurisconsultis nostris sparsim in variis Pandectarum locis expressi vocantur.

I. Mancipatio.
II. Manumissio.
III. Emancipatio.
IV. Cessio in jure.
V. He-

Digitized by Google

V. Hereditatis aditio, & repudiatio.
VI. Servi optio.
VII. Datio tutoris.
VIII. Acceptilatio.

LXXXI. DE MANCIPATIONE.

Exordiamur a mancipatione, qui fons est omnium civilium obligationum, deinde ad adoptionem, & ad testamenti factionem, quae sub mancipatione comprehenduntur, itemque ad emancipationem, & manumissionem, quae eodem revocantur, accedamus. Igitur ut alibi diximus, cives Rom. quaedam bona in suo dominio habebant, quaedam non: sed earum proprietas penes populum erat, usus tantum, & possessio penes privatos: unde Jurisconsultus possessiones appellat agros, de quibus vectigal pendebatur populo, cujus erat & proprietas. Quae in pleno civium Rom. dominio erant, (a) res appellabantur mancipi, quasi quod manu caperetur, sive in nostram potestatem deduceretur, cujusmodi erant res mobiles, & animalia, praeter ea, quae sunt ferae naturae, quorum dominium, ubi nostram custodiam effugerint, a nobis abscedit, unde nunquam perpetuo nostra esse censentur, ideoque inter res mancipi non ponuntur. Ex immobilibus vero Italica praedia res mancipi dicebantur, quia jure optimo possidebantur a civibus Romanis, hoc est ad eos transibat simul cum possessione, atque usu proprietas: ejusdemque generis erant jura praediorum rusticorum, ut iter, actus, via. Praediorum vero provin-

(a) Vlp. tit. 19. Boët. in topic. Cic.

vincialium proprietas penes pop. remanebat, nec in privatorum commercium perveniebat, nisi possessio, & usus. Propterea res nec mancipi dicebantur, quia eorum dominium nemini privato erat in manu, sed totum penes pop. cui vectigal pendebatur. Ex hoc juris discrimine rerum mancipi, & nec mancipi est orta distinctio nominum. Rerum autem mancipi abalienatio versari tantum poterat inter cives Rom., quibus erat communio juris civilis, quibusque tantum competebant jura nexus, quae fuit ratio transferendi dominium jure Quiritium. Siquidem ante Justinianum nuda traditione dominium non transferebatur, unde res tradita sine nexu dicebatur esse in bonis accipientis, in dominio vero ejus qui tradiderat. (a) Est autem nexus AElio Gallo teste nomen generis, (b) quo exprimitur quidquid geritur per aes, & libram, & per simulatam venditionem, quae ad omnem dominii translationem, atque ad obligationes omnes, & etiam ad donationes adhibebatur. (c) Accito enim libripende, & quinque testibus venditor sive mancipio tradens fingebatur accipere ab emtore pecuniam, quam exprimebant parvo aere, quod rauduſculum appellabatur a raudo, sive aere: unde in veteribus mancupiis adscribi solebat *rauduſculo libram ferito.* (d) eoque aere emtor, sive qui mancipio acciperet, libram tangebat, quod ubi venditor, sive qui rem mancipio traderet, accepisset quasi precium, dominium transferebatur in emtorem, eamque simulatio-

(a) Vlp. *Instit. tit. 1. §. in bonis.*

(b) Festus *verbo nexus.* Varro *4. de ling. lat.*

(c) Tertul. *lib. 2. adverſ. Marc.* Cic. *in topic.* Cujac. *eod.*

(d) Varro *lib. 4. de ling. lat.*

Digitized by Google

tionem, sive imaginariam venditionem, inter veteres jure civili contractus iniebantur: unde Horatius.

Si proprium est quod quis libra mercatur, & aere.

Simili ratione nexi quoque dicebantur ii, qui ob aes alienum sese creditoribus dabant in servitutem: nexus igitur est mancipatio, sive venditio rerum mancipi, & translatio dominii per aes, & libram. Porro tribus tantum modis dominium rerum mancipi de uno migrare in alterum poterat: mancipatione, in jure cessione, usucapione. Res vero non mancipi tantum transferebantur cessione in jure, de qua infra, quia proprietas earum nunquam abscedebat a pop. Rom. sed usus tantum illius in privatos, & possessio transibat: Hinc apud Ciceronem (a) locus ille perelegans: *cujus quando proprium te esse scribis mancipio, & nexu, meum autem usu, & fructu, contentus sum.* Lucretius peritissime:

(a) *lib. 7. epist. fam.*

Vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu.

Verbaque certa, & solennia mancipationis haec erant:

Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, isque mihi emtus esto, hoc aere aeneaque libra.

Quae verba pronunciabantur ab emtore, qui mancupio accipiebat. (b)

(b) Boët. in topic. Cic.

Digitized by Google

LXXXII. De Cessione in Jvre.

Alia ratio mutandi dominii fuit cessio in jure, quae communis erat rebus mancipi, & nec mancipi. (a) Res igitur nec mancipi tantum per cessionem in jure transferebantur, si essent immobilia; mobilia vero per nudam traditionem, veluti ferae bestiae, leones, ursi, & similia, quorum sicuti non retinemus, ita nec transferimus dominium, sed tantum possessionem, etenim fuga sese recipere possunt in libertatem. Porro in cessione tres interveniebant, dominus qui cedebat, is cui cedebatur, & Praetor qui addicebat, vel praeses provinciae: apud quem is cui cedebatur, rem tenens ita vindicabat.

(a) Vlp. tit. 19. §. in jure cessio.

Hanc ego rem ex jure Quiritium meam esse ajo.

Postea Praetor conversus ad cedentem interrogabat, an contra vindicaret, & sese opponeret? qui si taceret, aut sese oppositurum negaret, Praetor vindicanti rem addicebat, quem actum inter legis actiones, & actus legitimos Boëtius locavit. (b) Nunc redeamus ad mancipationem, aliquando quis non mancipabat, sive non alienabat rem, ut in perpetuum vellet ejus ab sese abdicare dominium, sed eo animo, ut rem ad tempus ad se revocaret, forte quia juvaret nomen, ac dominium alienum praetendere rei suae, ut eam vel a vi eriperet, vel ab insidiis, vel a frequentibus eorum temporum proscriptionibus. Ideo amico alicui probatae fidei simulata venditione, aut donatione per aes, & libram ex com-

(b) Boëtius in topic. Cic. relatus ad leg. XII. tabul. cap. 26. Brisson. lib. 5. de formulis. P. Faber. lib. 2. Semestr. cap. 23.

Digitized by Google

compacto tradebat, ut post certum tempus eamdem rem emtor venditori remanciparet, sive iterum venderet: eaque mancipatio dicebatur *fiducia*, quia ea conditione mancipabatur, ut aliquo post tempore per venditorem ab emtore reciperetur, cujus contractus haec erat formula:

Vti ne propter te fidemque tuam captus fraudatusque sim. Ac si quis suo tempore fidem suam non liberaret, dabatur in eum judicium, in quo de fracta fide quaerebatur per hanc formulam.

Vt inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione. Quo respexit Cicero in epist. ad Trebatium, & in orat. pro Rosc. Comoedo.

LXXXIII. DE EMANCIPATIONE.

Ad hoc autem fiduciariae mancipationis genus refertur emancipatio filiifam. per aes, & libram. Siquidem ea fiducia pater naturalis filium vendebat adhibito libripende, & quinque testibus, ut post tres imaginarias venditiones eodem, vel sequentibus diebus factas, filius manumissus libertatem nanciscetur: (a) de quo supra. Etenim ut retulimus nonnisi post tres mancipationes, & tres manumissiones patria potestate filius eximebatur, ut pro extraneo haberetur. Nam post secundam manumissionem filius praeteritus rumpebat patris testamentum, quia in ejus potestatem reversus suus heres agnoscebatur. (b) Emancipatus vero post ter-

(a) Paul. *sent. lib. 2. cap. 25. §. 2.* Cajus *Instit. tit. 6.*

(b) (Vlp. *tit. 23. §. agnascitur.*

Digitized by Google

tertiam manumissionem servorum more circumducebatur, quasi ei libera daretur facultas abeundi quo vellet, & colapho percutiebatur. (a) Fiebat autem emancipatio ante Magistratum, ut ceteri actus legitimi, (b) nec diem, aut conditionem recipiebat, hoc est nemo poterat ad diem, & sub conditione manumitti, (c) neque eam repetere fas erat.

(a) *Novel. 81. Cujac. parat. 8. C tit. 48.*
(b) *l. 4. ff. de adop. Paul. sent. 2. tit. 26. Justin. novel. 81.*
(c) *Cajus Instit. cap. 6. l. actus legit. ff. de reg. jur.*

LXXXIV. De Adoptione.

Species mancipationis etiam erat adoptio, utpote alienatio proprii filii, ejusque in alienam translatio, unde & ipsa actus legitimus, ut perspicue docetur in pluribus juris locis. (d) Quamobrem inter praesentes fiebat, (e) & apud magistratum, (f) neque iterari licebat, (g) neque tempus, aut conditionem recipiebat, (h) & nexu, sive per aes, & libram expediebatur: nam adoptio, quae testamento fiebat, in actuum legitimorum numero non ponitur. Igitur vel filiusfam. adoptabatur, vel homo sui juris, quod genus adoptionis dicitur adrogatio: Quia futurus filius interrogabatur *auctor ne esset*, sive consentiret, ut *in eo Titius* (v. g.) *vitae, necisque potestatem haberet uti in filio*: vel, ut alii cum Gellio putant, quod populus rogaretur; idque commune erat aliis negotiis, quae cum populo gerebantur. Cum autem filiumfam. pater in adoptionem daret, eum adoptanti mancipabat, (i) sive imaginaria venditione tradebat: isque filius sta-

(d) *l. 3. ff. de off. Proconsul. l. 2. ff. de offic. jurisdic. l. 1. de adopt.*
(e) *l. neque absentes 29. l. seq. ff. de adopt.*
(f) *l. 3. & 4. de adopt. Gel. lib. 5. cap. 19.*
(g) *l. adoptare 37. ff. eod.*
(h) *l. quaesitum 34. ff. eod.*
(i) *Cajus Instit. tit. 5. Ulp. cap 8 l. ult. C. de adopt. Gel. lib. 5. cap. 19.*

Digitized by Google

statim ab adoptivo manumittebatur, ac manumissus recidebat in patris naturalis potestatem, a quo denuo patri adoptivo simulata venditione mancipabatur: adoptivus illum rursus manumittebat, isque manumissus relabebatur iterum in potestatem patris naturalis, a quo tertio mancipatus, & adoptivo traditus filius, in adoptantis potestatem, familiam, & sacra transibat. Sacra enim erant, ut diximus, perpetuo infixa familiis, eaque pecuniam, & hereditatem sequebantur. (a) Itaque trinis mancipationibus naturalis patris, & binis manumissionibus adoptivi, potestas, & familia permutabatur. Qui vero in locum nepotis adoptaretur unica venditione, (b) sive mancipatione adoptivi familiam jure antiquo nanciscebatur. Item adoptio foeminarum absolvebatur unica mancipatione. (c)

(a) Gluckerus *de jure Pontif. lib. 2. cap. 5.*

(b) *l. ult. C. de adopt.*

(c) Cujac. *in 6. nov. C. de adopt.*

LXXXV. DE ADROGATIONE.

Adrogatio vero erat longe majoris operis; tractabatur enim tamquam publica populi causa, utpote cum liberum civis Rom. caput, & exordium futurae familiae in alienam potestatem, alienamque familiam traduceretur. Cui consilio fraus aliquando suberat, vel lucri cupiditate, vel honorum assequendorum gratia, quando scilicet per adrogationem plebejae, atque patriciae familiae permutabantur, quo patricius tribunatum plebis, qui solis plebeis patebat, consequeretur. (d) Ideo res ad populi judicium deducebatur comitiis curiatis, accersi-

(d) Cic. *in orat. pro domo sua.*

Digitized by Google

tis Pontificibus, qui cognoscerent de iis, quae ad eorum collegium pertinebant, ut ex his Ciceronis verbis: *Quid est*, inquit, *Pontificis jus adoptionis* (quo sub nomine etiam adrogatio venit, & de adrogatione loquitur:) *nempe ut is adoptet, qui neque procreare jam liberos possit; & cum potuerit sit expertus; quae deinde causa cuique sit adoptionis, quae ratio generum, ac dignitatis, quae sacrorum quaeri a Pontificum collegio solet. Quid est horum in ista adoptione Clodii quaesitum? adoptat annos viginti natus etiam minor Senatorem; liberorumne causa? at procreare potest, habet uxorem, suscepit etiam liberos: exheredabit igitur pater filium. Quid sacra Clodiae gentis, cur intereunt, quod in te est? quae omnis notio Pontificum cum adoptaret esse debuit.* Praeterea adhibebantur Pontifices propter religionem jurisjurandi, quo adoptio, sive adrogatio ab omni calumnia, & fraude pura praestabatur. Deinde interrogabatur adrogator: an eum filium habere vellet? Item & filius an auctor fieret, sive an vellet in alienam familiam e propria migrare? quibus adsentientibus tum rogabatur populus his verbis: *Velitis jubeatis Quirites, uti L. Valerius L. Titio tam jure, legeque filius sibi siet, quam si ex eo patre, matreque familias ejus natus esset: utique ei vitae necisque in eum potestas siet, ut pariendo filio est. Hoc ita ut dixi, ita vos Quirites rogo.*

Imò potiq ideò, qa Adoptivi relictis Sacris Familiae in alterig Gentis Sacra transibant. Heinecc. in Antiq. Rom. ad Just. l. xi, 7.

Con-

Digitized by Google

Consuetudinem hanc adrogandi jussu populi, ad Antonini tempora tenuisse colligitur ex Vlpiano, (a) auctore tamen principe, qui cum sibi Pontificis Maximi jus, & nomen adjunxisset, ejusdem quoque Pontificis munus in hac solennitate praestabat; quod jus ereptum populo jam esse, temporibus Diocletiani ex illus verbis apparet. (b) Hodie hujusmodi solennitates prorsus e foro cesserunt: nam adoptio ante Magistratum fit per acta publica, & adrogatio per principis rescriptum. (c) Vnde etiam foeminae, nempe matresfam. possunt adrogari, quod antea non licebat: quia ob sexus verecundiam non dabatur foeminis facultas comitiorum. Ad mancipationem etiam redigitur testamenti factio (d) illa, quae per aes, & libram celebrabatur; nam testamenta, quae fiebant a militibus in castris, (e) nulla solennitate, sed sola nuncupatione coram commilitonibus pugnaturis, quae propterea in procinctu facta dicebantur, (f) quia procincta vocabatur classis ad bellum parata; (g) & alia quae fiebant calatis, sive vocatis comitiis, quae ob eam causam bis in anno cogebantur, ut coram omni populo pro collegio Pontificum suum quisque testamentum conderet. (h) Haec inquam genera vetustissima testamentorum jamdiu obsoleverant. Igitur eorum loco fuit a Jurisconsultis inventa mancipatio familiae, sive heredis institutio per aes, & libram, ita ut etiam ultimae hominum voluntates ad verum nexum redigerentur. A Praetore vero inducta

(a) *frag. tit. 8.*

(b) *l. 2. C. de adopt.*

(c) *l. ult. eodem.*

(d) *Vide* Vin. *Instit. lib. 2. cap. 10. §. 1.*

(e) Vlp. *in fragm. tit. 20. Inst. de test.*

(f) Gell. *lib. 5. cap. 27.*

(g) Festus *in verbo procinctu.*

(h) Theophil. *de test.* Cic. *I. de oratore.*

Digitized by Google

ducta fuit ea testamenti factio: quam adhuc retinemus a Justiniano cautius, atque solennius constitutam, & excultam. Cujus cognitio satis est ex communibus juris libris evulgata. Quamobrem in mancipatione familae consistemus. Itaque ad hoc testamentum solenni more mancipationum adhibebantur quinque testes cives Romani puberes, cum quibus testamenti factio esset, & libripens, exclusis a testium, & libripendis munere iis, qui essent in potestate testatoris, & familiae emtoris. Coram testibus vero, & libripende testator simulabat sese vendere familiam, sive hereditatem alteri, qui aderat, emtorque familiae dicebatur, quique *dicis causa*, hoc est pro preciii symbolo exiguum aes numerabat venditori, atque illius ad sese familiam, pecuniam, & sacra traducebat. Duo autem simul (*a*) in hac solennitate jungebantur mancipatio scilicet, & nuncupatio testamenti, quae fiebat his verbis: *Haec uti his tabulis, cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor, itaque vos Quirites testimonium perhibetote.* Quiritium enim appellatio respicit quinque testes. (*b*) Cum igitur haec nuncupatio necessaria fuisset, ideo qui voce careret, ut mutus, hujuscemodi testamenti factione interdicebatur, & surdus item; quia verba, quibus familiae emtor venditoris orationem excipiebat, exaudire non poterat. (*c*) Emtor porro no-

(a) Vlpian. *frag. tit. 20.*

(b) Raevard. *de antt. prud. cap: 1.*

(c) Vlp. *tit. 20.*

Digitized by Google

nomen tantum ferebat heredis : (a) nam bona perveniebant ad alium, de quo inter emtorem familiae, ac teſtatorem convenerat. Quſmos Romanorum Plutarcho videtur abſurdus. (b) exemplo ſit Domitius, qui in teſtamento Auguſti familiae ſe praeſtitit emtorem, nihilque de hereditate cepit ; cum ne ſextula quidem fuerit adſperſus. (c)

(a) Cujac. in tit. Vlp. 20. §. inter teſtator.

(b) de ſem. numinis vind.

(c) Sueton. in Aug. cap. 101.

LXXXVI. DE MANVMISSIONE.

Nunc veniamus ad manumiſſionem inter actus legitimos a Jurisconſultis relatam, iisdemque conditionibus obnoxiam, quibus aliae legis actiones. (d) Hujus autem duo ſunt genera pro duobus generibus libertatis, altera enim latina dicebatur ; altera juſta libertas. A latina libertus beneficio elatus, atque animo tumefactus a domino ad priſtinam ſervitutem revocari poterat : vel ſi melius usque de domino mereretur, majori precio afficiebatur accepta pleniori libertate, quae adimi amplius nequibat. Latina enim non erat integra libertas, nec ſoluta prorſus nexu ſervitutis ; ſed inſtituta fuit, ut ejus animus quodammodo probaretur an dignus eſſet, qui ad integram libertatem perveniret, de quo & lib. 3. fuſius. Cum autem latina libertas daretur, vel inter amicos, vel per epiſtolam, vel ſervo adhibito ad convivia ſolennia, quae de more inter cognatos, & affines componendis jurgiis agitabantur ; juſta vero libertas ex M. Tullii diſtribu-

(d) Paul. ſent. lib. 2. tit. 25. l. 2. & 3. ff. de off. Proconſul. l. ult. C. de manumiſ. vindict.

(a) *in topicis.*

tione, (*a*) vel testamento concederetur, vel censu, sive professione servilium facultatum, & impositione nominis Roman. per dominum apud Censores, vel denique vindicta; postremam hanc dandae libertatis rationem inter actus legitimos in libris juris descriptam invenimus: (*b*) cum haec tantum ante magistratum ederetur. Fiebat enim in jure apud Praetorem, (*c*) vel Consulem Romae; in provinciis vero apud Praesidem, vel Proconsulem: coram quibus dominus prehenso servi capite, vel alia corporis parte verba haec solennia pronunciabat. (*d*)

(b) *l. actus legit. ff. de reg. jur.*

(c) *l. 5. & seq. ff. de manumiss. vindic.*

(d) Festus.

Hunc hominem liberum esse volo.

eumque postea impacto colapho circumagebat, (*e*) ut libertatem, abeundi quo vellet ei datam, indicaret. Praetor autem audita justa manumissionis causa, sive titulo [quo adducto in hoc manumissionis genere opus erat,] (*f*) impositaque illius capiti virgula, quam vindictam appellabant, domini verba solenni hac excipiebat formula: *Ajo te liberum esse jure Quiritium.* Servus vero libertatem adeptus, (*g*) abraso capite statim capiebat pileum. Nulla tamen manumissio, ni fallor, tribum, sive suffragii jus tribuebat: id enim olim a populo, postea tantum a principe concedebatur: poterant enim sine suffragio adipisci civitatem. (*b*) Ex quo intelligitur Scaevolae locus de patrono, qui

(e) Pers. *satyr.* 5.

(f) Donat. *in* Terent Asconius *pro Mil. l.* 2. *ff. de manumiss. vindicta.*

(g) Plaut. *in* Amphitruon. Livius 48. 24. 29.

(b) Livius *lib.* 38.

Digitized by Google

qui per heredem tribum liberto emendam jusserat. (a) quae vero manumissio censu fiebat, exolevit, ejusque locum occupavit manumissio in Ecclesia. Quamobrem *Ecclesiae* vocem loco nominis *census* a Triboniano subjectam fuisse in scriptis Caji arbitrantur eruditi.

(a) *l. patronus ff. de leg. 3.* Gic. *pro* Cornel. Cujac. *obs. 3. cap. 14.*

LXXXVII. DE ADITIONE HEREDITATIS.

Offert se nunc aditio hereditatis, quae aliquando cum cretione fiebat, aliquando sine cretione, prout fuisset heres in testamento scriptus: quandoquidem, vel cum cretione scribebatur heres, vel sine cretione. Est autem cretio judicium heredis, & deliberatio adire vellet nec ne, ductumque verbum est a cernendo, sive inspiciendo, quia hereditatem aditurus in rem praesentem solenni ritu veniebat inspecturus hereditatem, atque deliberaturus, an e re sua esset illam adire. *cerno* enim, non ut Varro a *creo* natum puto, sed ut Scaliger (b) suspicatur a κρίνω; unde cum dies ab ipso testatore ad decernendum heredi dabatur, tum dicebatur cum cretione institutus heres hac verborum formula. (c)

(b) Conjectan. *in* Varr. *de ling. lat. lib. 5. pag. 65.*

(c) Vlp. *tit. 22.* Isid. *lib. 5. orig.* Var. *5. de ling. lat.* Cic. *Attic. epist. 4. lib. 13.*

Titius heres esto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus scieris, poterisque: nisi ita creveris exheres esto.

Multum autem intererat cum cretione quis fuisset heres institutus, an non: etenim

Digitized by Google

cum cretione inſtitutus fiebat heres cernendo, ſive hereditatem adeundo ſolenniter : inſtitutus vero ſine cretione fiebat heres, gerendo ſe pro herede ; veluti res hereditarias diſtrahendo, aliaque agendo, quae ſine heredis nomine fieri nequeunt. Item inſtitutus ſine cretione ſtatim, ut conſtituiſſet hereditate ſe abſtinere, jure adeundi excidebat : at inſtitutus cum cretione quocumque modo animum ſuum prodidiſſet, ac recuſare ſe oſtendiſſet, non tamen arcebatur hereditate, niſi poſt dies a teſtatore praeſtitutos, ac per eos totos dies locus erat poenitentiae, licebatque dicta revocare. Porro cretio duplex erat vulgaris ſcilicet, & continua. vulgaris erat cum jubebatur quis adire certis diebus, quibus poſſet, & ſciret ; unde adjiciebantur ea verba : *quibus ſcieris, poterisque*, ne ſcilicet tempus ignoranti curreret, aut impedito, atque ut eſſet tempus utile, non continuum ; cretio vero continua erat illa, cui adjecta non erant memorata verba : nam ſi haec deeſſent, currebat tempus etiam ignoranti, & impedito, ut poſt certorum dierum lapſum adeundi facultas omnino praecluderetur. Itaque in aditione vulgari dicebatur :

Titius heres eſto, cernitoque in diebus C. proximis, quibus ſcieris, poterisque.

In continua vero ſimpliciter ſine adjectione ulla :

Ti-

Digitized by Google

Titius heres esto, cernitoque in diebus C. proximis.

Fiebatque cretio solenniter testibus praesentibus, (*a*) & digitorum percussione, (*b*) verbis ita conceptis:

Cum me Maevius heredem instituerit, eam hereditatem adeo, cernoque.

Ideo Arcadius, & Honorius, & Theodosius l. 13. C. de jur. delib. ajunt *sibi visum esse scrupulosam solennitatem cretionum amputare.* Cum igitur antea heredes plerumque cum cretione instituerentur, quique hereditatem cerneret, simul adiret; inde natum est, ut cretio, & aditio a probatis auctoribus promiscue acciperentur, ac per cretionem quaelibet hereditatis aditio exprimeretur, cum cernere diceret pro adire: quamvis hereditas non solum cernendo adiretur; sed & pro herede gerendo, cum quis sine cretione instituebatur. Adire enim hereditatem est proprie suscipere, & quasi aditum in eam ferre; (*c*) Cernere vero est decernere se heredem esse velle. (*d*) Ceterum sicut aditionem, ita & repudiationem hereditatis ex contrariorum natura in actis legitimis ponimus, eademque haec solennibus verbis solenniter explicabatur, (*e*) & iisdem conditionibus suberat, quibus aditio, quam nullum diem, & conditionem recepisse (*f*) patet ex pluribus juris locis, ut nec iterari potuisset: (*g*) neque alteri mandari licuisset. (*h*)

(a) Varro *lib. 5. de ling. lat.*
(b) Cujac. *obs. 7. cap. 34.*
(c) *l. filius §. penult. ff. de lib. & posthum.*
(d) *l. is qui heres §. penult. ff. de lib. & posthum.* Cujac. *obs. 7. cap. 34.*
(e) *l. 4. C. de rep. vel abstinen. hered. l. sum ibidem.* Cujac. *ad l. actus legit. ff. de reg. jur.* P. Faber *semest. lib 22. c. 20.*
(f) *l. eum qui, & l. heres 34. ff. de adquir. her. l. actus legit. ff. de reg. juris.*
(g) *l. si solus §. in fine ff. de adquirend. hered.*
(h) *l. 1. §. est hoc praecipuum ff. de off. Procur. Caesar.*

Digitized by Google

Itaque per procuratorem hereditas adibatur inutiliter, ut docet Paullus; (a) sive legamus *per curatorem*, ut in Pandectis Florentinis, sive *per procuratorem*, ut in aliis codicibus rectius. Etenim neque per procuratorem, neque per tutorem, aut curatorem recte aditur, quamvis adeatur a pupillo tutore auctore: siquidem non tutor, sed ipse pupillus adeundo adquirit. Fallitur enim Duarenus, (b) qui aliter docet, putatque per procuratorem ad eam causam datum adiri hereditatem jure antiquo posse. quod esse manifesto falsum evincitur ex eo, quod praecipuum id conceditur procuratori Caesaris, ut scilicet pro Caesare adire possit hereditatem, (c) immo si vulgo licuisset hereditatem per alium adire, cur Senatores legationes liberas in longinquas regiones hereditatum adeundarum causa impetrassent: ut optime observat Hothomannus. (d) Neque hac in re differret jus Praetorium a civili, si hereditas per procuratorem jure civili recte adquireretur, sicuti adquiritur bonorum possessio, quae descendit a jure Praetorio, ideoque soluta est religionibus juris civilis. Jus enim civile directum est, & asperum, ut eleganter Cujacius; (e) Praetorium vero moderatum, & mite.

(a) *l. 9. ff. de adquir. hered.*

(b) *lib. 1. disp. anniverf. c. 27.*

(c) *l. 1. §. est hoc praecip. ff. de off. Procumt. Caes.* Cujac. *lib. 1. obs 34.*

(d) *quaest. illustr. cap. 34.*

(e) *lib. 1. obs. 34.*

LXXXVIII. DE OPTIONE.

Ab aditione hereditatis transire convenit ad optionem legati, quae certae rei exemplo, per servi optionem significatur. Fiebat autem optio post aditam hereditatem die a Praetore dato, productis palam rebus omnibus ejus generis, de quo erat

Digitized by Google

erat optandum, nempe familia universa si legata fuisset optio servorum, atque adhibebantur concepta verba, ut Labeo (a) indicat cum ait: *omne jus legati consumi prima testatione*, hoc est solennitate verborum in jure, ut interpretatur Cujacius. (b) ex quo Jurisconsulti loco ostenditur fieri oportuisse semel tantum ex natura actuum legitimorum, & pure, & testibus praesentibus. (c) Dabatur autem legatario a testatore optio his verbis: (d) *ipsa sibi quae volet eligat*, vel *hominem optato eligito*, (e) vel *lances, quas elegerit quatuor*. (f)

(a) *l. 22. ff. de opt.*
(b) *l. actus legit. ff. de regul. juris. in fine.*
(c) P. Faber *lib. 12. semest. cap. 22. §. optio.*
(d) *l. filium ff. de aur. & arg. legato.*
(e) Vlp. *tit. 24.*
(f) *l. ult. ff. optio legat.*

Sequitur tutoris datio, non quidem illa ex testamento, quae privata ex auctoritate procedit, nec actuum legitimorum nomine continetur; sed illa, quae auctorem habet Magistratum, nempe Praetorem, vel Consulem, vel Praesidem provinciae. qua in datione tutoris, interveniebat solennitas actuum, & verborum, facta inquisitione a magistratu, qui ex pupilli amicis, optimisque viris optabat eum, quem pupillo magis profuturum cognoscebat: non enim (g) ante poterat Praetor decretum interponere, quam inquirendo comperisset, quis esset magis idoneus, eumque pro tribunali causa cognita dabat hac verborum formula: (h) *Tutorem do.*

LXXXIX. DE TVTORIS DATIONE.

(g) *l. tutor. ff. de adminis. tutor.*
(h) *l. in dando. l. 5. jus ff. de tut. & curat. dat. l. naturali §. si quaeratur. & §. ult. ff. de confirm. tut. l. nequidquam §. ub. decretū ff. de off. Procons.* Brisson. *de form. lib. 3. pag. 408.*

Actus legitimos acceptilatione claudamus, quae sane cum primo loco positis conjungi potuisset; nisi natura solutionis postremum in ordine

XC. DE ACCEPTILATIONE.

dine locum postulasset. Igitur meminisse oportet veteres non modo dominium transtulisse per nexum, sive per aes & libram, sed omnem fere obligationem eo modo contraxisse; solus enim nexus auctoritatem juris contractibus dabat. At quoniam eo modo, quid solvi debet, quo fuit adstrictum; ideo obligatio nexu devincta, contrario nexu solvebatur, ac debitum acceptum ferebatur imaginaria solutione per aes, & libram, quae vetus erat acceptilatio, ejusque haec erat verborum formula:

Accepta facis X? Facio. (a) quam Festus (b) nexus liberationem vocat, & ad aes, & libram refert. Cum autem esset actus legitimus, fieri non poterat per procuratorem, qui ut acceptum pro alio ferre posset, necesse erat, ut dominus ei debitorem delegaret, ac deinde procurator proprio nomine novaret obligationem, ut eam posset postremo per se dissolvere. (c) At quoniam alia obligationum genera sunt, quibus ea acceptilationis ratio minime conveniebat, cum sola verborum obligatio hac acceptilatione tolleretur; inventus est C. Aquilius, qui celeberrima illa formula, de qua late in Institutionibus, (d) obligationes omnes in stipulatum deduxit, easque per acceptilationem, facta novatione, retexuit.

(a) Brisson. *de form. lib. 6. pag. 580.*
b) *Verbo nexus.* Varro *6. de ling. lat.* P. Faber. *Semest. cap. 22. pag. 56.* Cujac. *l. actus legit. ff. de reg. jur.*
(c) Cujac. *l. actus leg. ff. eod.*
(d) *lib. 3. cap. 29.*

Finis Libri Secundi.

TABV-

Digitized by Google

- - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - -

I. SIN * JVS VOCAT QVEAT.

NIT, * ANTETSAMINO: IGITVR, EM CAPITO.

SI CALVITVR, PEDEMVE STRVIT MANVM ENDO JACITO.

SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESCIT, QVIN * JVS VOCABIT JVMENTVM DATO: SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO.

II. SI ENSIET, qui in jus vocatum vindicit miTito.

ASIDVO VINDEX ASIDVS ESTO: PROLETARIO, CVIQVI VOLET VINDEX ESTO.

Endo via REM * VTI PAICVNT, * ORATO:

III. Cognitio Praetoris. NITA * PAICVNT, IN COMITIO, AVT IN FORO ab ORTV ANTE MERIDIEM CAVSAM CONSCITO, * CVM PERORANT AMBO PRAESENTES. *

POST MERIDIEM PRAESENTI STLITEM ADICITO.

SOL OCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO.

Caj *lib. 1. ad leg. XII. tab. cujus pars prior huic primae tab. respondet.* Cajus *l. 18. 20. 22. in pr. ff. de in jus voc.*

* *Id est si in jus vocat atque eat.* Porphyriō. *ad l. b. 1. Satyrar.* Horatius *Sat 9.*

* *id est nitis.* Cajus *l. 233 in pr. ff. V. S.* Gellius *lib. 20. cap. 1.*

* *id est qui in.* Cajus *l. 22. §. 2. ff. de in jus voc.*

* *ubi.*

* *rato.*

* *Id est nita: puta, vindice dato vel pacto inito.*

Digitized by Google

Paraphrasis.

Si quis aliquem in jus vocet, vocatus statim sequitor.

Si in jus vocatus non sequatur, qui vocabit testes ante adhibeto, & tum in jus vocatum sistere ei jus esto.

Si & tum in jus vocatus moretur, frustetur, fugamve adornet, manum ei injicere jus esto.

Si imbecillitas, aut invalentia quaedam aetasve senilis impedimento sit, quominus vocatus in jus sequatur, qui in jus vocabit vocato vectabulum, seu vehiculum, quod adjunctis pecoribus trahatur, dato: si nolet is, qui in jus vocabit vocato petenti plaustrum undique tectum, munitumque sternere ne cogitor.

Si tamen sit aliquis, qui in jus vocatum, vel prensum defendat dimittitor.

Ceterum locupleti vindex locuplex esto: pauperi prolem tantum Reipub. sufficienti quilibet vindex esto.

Item si de re transactum fuerit inter vocantem, & vocatum dum in jus venitur, ita jus ratumque esto.

Si neque vindex aliquis sit, neque de re in via transactum fuerit, tum in comitio, aut in foro Praetor causam cognoscito, ante meridiem, cum ambo litigatores praesentes perorant.

Post meridiem, etiamsi unus tantum praesens sit, praesenti actionem dato, judiciumque constituito.

Sole occidente supremus terminus judiciorum esto, seu judicia solvuntor. Ad Solem proinde occasum Praetor jus reddito.

Digitized by Google

De Judiciis. I. Numa R. II.

- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - VADES SVBVADES - - - - -
extra quam si MORBVS SONTICVS - - - VOTVM*
absentia ReipublicaErgo, AVT STATVS DIES CVM HOSTE intercedat : nam si QVID HORVM FVAT VNVM* JVDICI ARBITROVE, REOVE, EO DIE DIFENSVS ESTO.
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
CVI TESTIMONIVM DEFVERIT, IS TERTIS DIEBVS OB PORTVM OBVAGVLATVM ITO.

De Furtis I. de nocturno fure. 2. de diurno. 1. manifesto. vel quasi

SI NOX FVRTVM FAXIT, SIM ALIQVIS OCISIT JVRE CAESVS ESTO.*

Si luci furtum faxit sIm aliquis endo ipso capsit verberator iLique, cui furtum factum escit, aDicitor.
Servus, virgis coesus, saxo deIcitor:
Inpubes, Praetoris arbitratu verberator noxiamque decernito.
SI SE TELO * defensint, quiritato ENDOQVE PLORATO: post deinde si coesi escint, se fraude esto.
Si furtum lance licioque conceptum escit, atque uti manifestum vindicator.

2. nec manifesto.

SI ADORAT FVRTO, QVOD NEC MANIFESTVM ESCIT, duplione decidito.*

3. de arboribus furtim caesis.

SIn juri alienas arbores coesit, in singulas xxv. aeris luito.

4. Communia de furtis.

Si pro fure damnum decisum escit, furti ne adorato.
Furtivae rei aeternAuctoritas esto.

Caj. lib. 1. ad leg. XII. tab. cujus pars posterior huic secundae tabulae respondet.
* Numae R. lex II. tab. II. Capite apud Festum verb. Reus.
* Cajus l. 233. §. 1. ff. V. S.
* Cajus l. 6. ff. si quis caut.
* al. Vitium, ut supra tab. I. l. 1. Si morbum aebitudve vitium escit. Labeo lib. de XII. tab. 11. de furtis egit Gellius 15.
* Forte in ipsa leg. fuit. se fraude esto. Cajus l. 233. § 2. ff. V. S.
* Luitque Cajus l. 2. & 4. ff. arborum furtim caesarum.

Digitized by Google

Paraphrasis.

Judicio constituto, judiceque adito vades, & subvades judicio sistendi utrimque dantor, iique sistore tenentor: nisi si morbus vehemens vim graviter nocendi habens, votum aliquod, absentia Reipublicae ergo intercedat, aut constitutus sit dies cum peregrino: nam si quid horum fuerit, & obvenerit judici arbitrove, vel reo, judicii dies differatur.

Qui testimonium denunciare volet, is trinundino, id est ter intra XXVII. dies ad domum ejus, cui testimonium denunciat, denunciatum ito.

Si noctu furtum fiat, furem autem aliquis occiderit, impune esto.

Si interdiu furtum aliquis fecerit, eumque aliquis in ipso furto deprehenderit, verberetur, illique cui furtum factum fuerit addicatur. Servus prius virgis caesus saxo Tarpeio dejiciatur. Impubes Praetoris arbitrio verberetur, noxaque ob eo facta sarciatur.

Quod si se telo defendant, dominus cum clamore prius id testificetur: tum si occisi fuerint, jure caesi sunto.

Si furtum per lancem, & licium conceptum erit, perinde ac si manifestum foret vindicator.

Si agatur de furto non manifesto, fur dupli damnator.

Qui injuria, seu furtim alienas arbores cecideris, pro singulis arboribus caesis XXV assibus multator.

De furto paciscii jus esto: & si pactum intercesserit, furti amplius agere jus non esto.

Furtivam rem usucapere jus ne esto.

Digitized by Google

Caj. lib. 2. ad leg. XII. tab. cujus pars prior huic tertiae tab. respondet.

- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -

1. De depositio.
2. de foenore.

Si quid endo depositio dolo malo factum escit, duplione luito.
Si qui unciario foenore amplius foeneraSit quadruplione luito.

- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -

3. de jure crediti persequendi adversus hostem, id est peregrinum.

ADVERSVS HOSTEM * AETERNAVCTORITAS ESTO.

* Caj. l. 234. in princ. ff. V. S.

2. Confessum judicatum.

AERIS CONFESI,* REBVSQVE JVRE JVDICATIS XXX. DIES JVSTI SVNTO:

* confessis.

POST DEINDE MANVS INJECTIO ESTO, IN JVS DVCITO:

NI JVDICATVM FACIT, AVT QVIPS * ENDO EO IN JVRE VINDICIT, SECVM DVCITO, VINCITO, AVT NERVO AVT COMPEDIBVS XV. PONDO NE MAJORE: AT SI VOLET MINORE VINCITO:

* locupleti. Cajus l. 234. §. 1. ff. V. S.

SI VOLET, SVO VITO: * NI SVO VIT, QVIEM VINCTVM HABEBIT, LIBRAS FARIS ENDO DIES DATO: SI VOLET, PLVS DATO.

Cajus l. 234. §. 1. ff. V. S.

Ni cum eo pacit, LX dies endo vinculis retineto: Interibi trinus nundinis continuis in Comitium procitato, aerisque aestimiam judicati praedicato.

Ast si plures erunt rei, TERTIS NVNDINIS PARTIS SECANTO: SI PLVS MINVSVE SECVERVNT, SE FRAVDESTO: si volent uls Tiberim peregre venumdanto.

- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -

Digitized by Google

Paraphrasis.

Si quid circa rem depositam apud se depositarius dolo malo admiserit, dupli poena adscitor.

Si quis majus quam unciarium foenus (quod unciam mensruam dependit in centum) exercuerit, quadrupli poena adscitor.

Peregrinus quidquam usucapere non valeto: cujus adversus eum in perpetuum actio esto.

Si debitum quis confessus fuerit, vel condemnatus jure fuerit, inducias ei mensruas 30. dierum ad debitum exolvendum dantor.

Si intra dies 30. illos debitor non satisfaciat, tum creditori capere eum, sive prehendere, atque in jus ducere jus esto.

Debitor ita nexus si poterit suo vivat: si non habeat, tum creditori qui eum vinctum habebit, singulas farris libras in singulos dies ei dato: si volet plus ei pro arbitrio dare liceto.

Si & tum judicatum non solvat, neque interea quisquam eum in jure defendat, proque eo intervenial, in privatum carcerem, seu vincula adducere creditori jus esto, eumque vel nervo, vel compedibus vincire: sic tamen ut vincula non sint graviora quam XV. pondo: leviora enim adhibere pro arbitrio jus esto.

Paciscendi interea addicto cum creditore jus esto: si non pactus fuerit, 60. diebus creditori addictum in vinculis habere jus esto: Intra eos dies trinis nundinis continuis ad Praetorem in comitium producitor, quantaeque pecuniae judicatus esset praedicator.

Asi si plures erunt creditores, tertiis nundinis id ost 27. die corpus reum partes secanto: si plus minusve secuerint, sine fraude esto: si malent, trans Tiberim eum peregre venumdanto.

Digitized by Google

De jure patrio.

PATER insignem ad d[illegible]mitatem puerum cito necato.

Endo * liberis justis vitae necis venundandique potestas ei esto.

SI * PATER * FILIVM TER VENVMDVIT, FILIVS A PATRE LIBER ESTO.

Si qui ei in x. MENSIBVS PROXIMIS postumus natus escit, justus esto.

Caji *lib. 2. ad l. XII. tab. cujus pars posterior huic IV. tab. respondebat.*

* Dionys. Halicarnass. *lib. 2.*

* *patri felices.*

* *ἀπὸ τῦ κανῦ, ut existimo non haec ab Platone repetita.*

De jure connubii.

Supplementum harum legum de jure connubii reputo ex tab. XI. de mulieris usu agetur infra tab. 6. de repudio etiam extat lex quaedam ad. tab. 6.

Digitized by Google

Paraphrasis.

Pater filium sibi natum monstrosum, vel prodigiosum statim necato.

In liberos justis ex nuptiis quaesitos patri jus vitae necis, vendendique eos jus esto.

Si pater filium ter vendiderit, filius post tertiam venditionem plene a patre liber fiat.

Si filius patri post mortem ejus intra decem menses proximos a morte natus ex uxore erit, justus ei filius esto.

Digitized by Google

1. De testamento.

PATERFAMILIAS VTI LEGASIT, SVPER PECVNIAE TVTELAEVE SVAE REI, ITA JVS ESTO.

2. de successione ab intestato.

AST SI*NTESTATO MORITVR, CVI SVS HERES NEC ESCIT, AGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO.

2. de gentilitiis hereditatibus.

SI AGNATVS NEC ESCIT, GENTILIS FAMILIAM HERES NANCITOR.

2. de libertorum bonis.

Si libertus intestato moritur, cui sVs heres nec escit, ast patronus patronive liberi escint, EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM proximo pecuniADuitor.

3. Communia hereditatum.

Nomina inter HEREDES pro portionibus hereditarIs ERCTA, CITA sunto.

Ceterarum FAMILIAE rerum ERCTO NON CITO si volent Heredes ERCTVM CITVM faciunto: Praetor ad ERCTVM CIENDVM arbitros tris dato.

4. de legitimis agnatorum, & Gentilium tutelis.

Si paterfamilias intestato moritur, cuIimpubes suus heres escit AGNATVS PROXIMVS TVTELAM NANCITOR.

SI FVRIOSVS AVT PRODIGVS EXISTAT, AST EI GVSTOS NEC ESCIT, AGNATORVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAVEIVS POTESTAS ESTO.

Caji lib. tertio ad leg. XII. tab. cujus pars prior huic quintae tabulae respondebat. * ἀπὸ τοῦ κοινοῦ Verbum paterfamil. hic repetit auctor libro ad Herenn. & Cicero 2. de inventione, quod tamen alii omittunt.

Digitized by Google

Paterfamilias uti legem dixerit, seu prout disposuerit de bonis suis, & liberorum suorum tutela, ita post mortem ejus observator.

Ac si intestato moritur paterfamil. neque ei suus heres erit, tum agnatus proximus heres esto: si agnatus non erit, tum gentilis heres esto.

Si libertus intestato decedat, neque suum heredem reliquerit, sed patronum tantum, vel etiam patroni liberos, tum liberti bona ex ejus familia in patroni familiam translata proximo in patroni familia addicuntor.

Defuncto creditore, vel debitore ejus heredes pro portionibus hereditariis convenire, & conveniri tantum possunt: ipsoque jure inter eos obligatio dividitur. At ceterarum rerum si volent heredes divisionem faciunto: ad eam divisionem Praetor tres arbitros dato.

Si paterfamilias intestatus decedat, cui suus heres extabit impubes, agnatus proximus tutor hujus sui heredis esto.

Si qui furiosus, aut prodigus esse incipiat, neque is curato: rem habeat, agnatorum, iisque deficientibus gentilium, curae tam ipse, quam ejus bona committuntor.

Digitized by Google

1. De nexu mancipio.

QVM * NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, VTI LINGVA NVNCVPASIT ITA JVS ESTO.

Si inficias ierit, dupliione damnator.

Statuliber, EMPTORI dando, liber esto.

Res vendita TRANSQVEDATA emptori non adquiritor, donicum satisfactum escit.

Caji *lib. 3. ad leg. XII. tab. cujus pars posterior huic 6. tab. respondet.*

* Cajus *l. in traditionibus 48. ff. de pactis.*

2. De usu auctorit. id est de usucapione.

VS AVCTORITAS FVNDI, BIENNIVM, ANNVS VS ESTO.

Mulieris, quae aNum matrimonI ergo apud virum remansit, ni trinoctium ab eo usurpandi ergo abescit usus esto.

Cajus *l. fervi 235. in princ. ff. V. S.*

3. De vindic. de jure possessionis.

SI QVIN JVRE MANVM CONSERVNT, secundum eum qui poSidet.

Ast si qui quem liberali causa manu adserat, secundum libertatem vindicias dato.

TIGNVM JVNCTVM AEDIBVS VINEAEVE NE CONCAPET NE SOLVITO.

Ast qui junxit duplione damnator.

Cajus *d. l. 235. §. fabros tignarios 1. ff. V. S.*

Tigna QVANDOQVE SARPTA, DONEC DEMTA ERVNT, vindicare jus esto.

4. De repudiis.

Si vir mulieri repudium miTere volet, causam dicito haruNce unam. - - - - - - -

- - - - - - -

Cajus *l. si ex leg. repud. ff. 43. ff. ad l. Juliam de adult.*

Digitized by Google

Paraphrasis.

CVm dominus rei suae nexum faciet, vel mancipium uti nominarit, locutus pactusve erit, ita jus esto.

Statuliber sub hac conditione liber esse jussus, si hoc, vel illud dederit, si venditus postea fuerit emptori dando liber esto.

Res vendita traditaque non ante emptori acquiratur, quam ab emptore venditori aliqua ratione satisfactum fuerit.

Fundi biennio: ceterae res anno usucapiuntor.

Mulier, quamvis sine legibus viro juncta, si viro anno sine usurpatione, id est interruptione trinoctii apud unum virum fuerit, usucapta esto.

Si de qua re in jure apud Praetorem disceptatur, secundum eum qui possidet Praetor vindicias dato: excepta liberali causa, in qua secundum libertatem Praetor vindicias semper dato.

Omnis materia juncta aedibus, aut vineae ne vindicator, neque solvitor; qui alienam junxit, duplo damnator: certe ubi soluta, demptaque fuerit, tum eam vendicare jus esto.

Si vir ab uxore dispertere voluerit causam divortii dicito.

Digitized by Google

De Paupe-rie. De damno dato.

SI QVADRVPES PAVPERIEM faxit, dominus noxi aestimiam oFerto: si nolet, * quod noxit dato.

Caji *lib. 4. ad leg. XII. tab. cujus pars prior huic VII. tab. respondet.*

1. in genere.

SInjuria RVPITIAS. - - - - - - -

- - - - - - - - - - -

Aſt ſi caſu SARCITO.

2. frugibus dato.

QVI FRVGES EXCANTASIT. - - -

Qui frugem aratro quaeſitam furtim nox pavit ſecuitve ſuſpenſus Cereri necator:

Inpubes Praetoris arbitratu verberator, noxiamque duplione decernito.

* *ut tab. 7.* ſi nolet arceram ne ſternito.

Qui pecu ENDO ALIENO IMPESCIT. - - -

- - - - - - - - - - -

3. incendio facto.

QVI AEDES acervumve frumenti ad AEDES poſitum dolo ſciens INCENSIT, victus * verberatus igni necator:

Aſt ſi caſu, NOXIAM SARCITO.

Si nec idoneus eſcit, levius caſtigator.

Cajus *l. qui aedes 9. ff. de incendio.*

* *vinctus.*

De Injuriis.

SI QVINIVRIAM ALTERI FAXIT, XXV. AERIS POENAE SVNTO.

1. leviori-bus.

SI QVI PIPVLOCENTASIT CARMENVE CONDISIT, QVOD INFAMIAM FAXIT FLAGITIVMVE ALTERI fuſte ferito.

2. atrocibus.

SI MEMBRVM RVPSIT NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO.

1. loco: ſeu publicis.

QVI OS EX GENETALI FVDIT LIBERO, CCC. SERVO CL. AERIS POENAE SVNTO.

2. re.

QVI SE SIRI TESTARIER LIBRIPENSVE FVERIT, NI TESTIMONIVM FARIATVR, IMPROBVS INTESTABILISQVESTO.

De falſo.

1. ψεύδομαρτυρίων.

Si falſum teſtimonium DICASIT ſaxo deIcitor.

2. ψευδομαρτυρίων.

Si qui hominem liberum dolo ſciens morti duit.

De paricidio.

QVI MALVM CARMEN INCANTASIT, MALVMVENENVM faxit divitve PARICIDA ESTO.

Cajus *l. qui venenum 236. in pr. ff. V. S.*

1. homin's cujusliber.

QVI PARENTEM NECASIT, CAPVT OBNVBITO, coleoque inſutus in profluentem mergitor.

2. Parentis.

De Fraude.

1. Tutoris.

Si tutor DOLO MALO gerat, vituperato * quandoque finita tutela eſcit furtum duplione luito.

2. patroni.

PATRONVSI * CLIENTI FRAVDEM FAXIT, SACER ESTO.

Vel ſi patronus.

Digitized by Google

Paraphrasis.

Si quadrupes damnum dederit, dominus quadrupedis damni aestimationem offerto: vel si malit quadrupedem ipsam noxae dato.

Si per injuriam damnum dederit: Ast si casu, damnum solvito, praestato.

Qui fructus alienos, alienamve segetem incantamentis in alias terras transtulerit, pellexerit, vel ne crescerent obligaverit:

Qui frugem industrialem, aratro videlicet partam, furtim nocte paverit immaturam, vel maturam secuerit, Cereri sacer, & devotus suspendio necator. Impubes tamen si id fecerit, arbitrio Praetoris verberator, damnumque datum in duplum sarcito.

Qui pecus in alienam segetem, vel frugem immiserit pascendi gratia.

Qui aedes aut acervum frumenti juxta domum positum sciens prudens dolo incenderit, vinctus verberatus igni necator: si vero casu, id est negligentia, damnum datum sarcito: aut si minus idoneus sit, levius castigator.

Si quis injuriam leviorem sive re, sive verbis alteri fecerit 25. assibus multator.

Si quis publice aliquem diffamaverit, eique convicium fecerit, vel carmen famosum condiderit ad alterius injuriam, seu infamiam, fustibus feriatur.

Si quis alteri membrum aliquod ruperit, ni cum eo paciscí velit, membrum ei pariter rumpere injuria affecto jus esto.

Qui dentem ex gingiva excusserit libero homini, trecentis assibus multator: qui servo CL.

Qui alicui actui testis adfuerit rogatus, vel libripens, si postea testimonium ferre detrectet, infamis habetor, neque ejus testimonium deinceps admittitor, neve ipsi testimonium dicatur.

Si quis falsum testimonium dixerit, Saxo Tarpejo dejicitor.

Si quis hominem liberum dolo sciens occiderit, capitalis criminis reus esto.

Item qui magico carmine, seu incantamentis alium defixerit. Item qui malum venenum fecerit dederitve. Qui Parentem necaverit capite obvoluto, culleo insutus in aquam abjicitor.

Si tutor dolo malo tutelam gerat suspectum eum facere cuivis liceto: Si quid de rebus pupilli furatus fuerit, cum finita fuerit tutela, duplum praestato. Si quis quo tutor esset a vi, & injuria alterius sese patrocinio commiserit, patronus autem eum fefellerit, execrabilis esto.

Digitized by Google

1. De jure parietum.

AMBITVS PARIETIS, SEXTERTIVS PES ESTO.

2. De jurib. Rusticorum praediorū.

SODALES, legem * quam volent, dum ne quid ex publica co Rompant, sibi ferunto.

- - - - - - - - - - - -

3. De jure finium.

de FINIVM ratione lex * incerta, ad exemplum legis - - - - - - - - - Atticae Solonis. - - - - - - -

Intra V. P. aetern Auctoritas esto.

SI IVRGANT adfines, finibus regundis Praetor arbitros tris aDicito.

4. De jure possessionum.

- - - - - HORTVS - - - - - -
- - - - - HEREDIVM - - - - -
- - - - - TVGVRIVM - - - - -

Si arbor in vicini fundum impendet, XV. P. altius sublucator.

SI GLANS in EM caduca fiet, domino legere jus esto.

5. De jure aquarum.

SI AQVA PLVIA MANV NOCET, Praetor arcendae aquae arbitros tris aDicito, NOXAEQVE DOMINO CAVETOR.

6. De jure itinerum.

Via in poRecto VIII. P. IN AMFRACTO XVI P. lata esto.
SI via AMSEGETES iMunita escit, qua volet, jumentum agito.

- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -
- - - - - - - - - - - -

Caji lib. 4. ad leg. XII. tab. cujus pars posterior huic VIII. tab. respondebat.

* Cajus l. ult. ff. de collegiis. Haec porro lex referri posset ad tabulam susp. 7. de delictis. de quo in notis.

* Vel pactionem.

* Cajus l. ult. ff. finium regund. Haec tria vocabula forte pertinent ad junctam illam legem de finium ratione.

Digitized by Google

Inter vicinorum aedificia ad circumeundi facultatem spatium vacuum duorum pedum, & semis relinquitor.

Sodales id est collegiati (quorum certa fuerant corpora) leges inter se ferre liceto quas volent, dummodo publicis legibus contrariae non sint.

Spatium quinque pedum (quod vacuum inter duos agros erat ad accessum, & circumductum aratri) usucapere jus esto.

Si vicini de finibus disceptent, decertent, Praetor litium dirimendae controversiae tres arbitros dato.

Si arbor ex vicini fundo in vicinum impendeat, arboris illius rami XV. pedibus altius circumcidantur.

Si fructus e vicini arbore in vicini fundum cadat, domini arboris legere fructum jus esto.

Si aqua pluvia opere manufacto nocere poterit, Praetor ad arcendam aquam ne noceat, tres arbitros dato: damni infecti nomine caveto.

Latitudo viae qua se recte porrigit via VIII. pedum esto: at ubi flexum est sedecim.

Si via ab iis qui vicinia praedia possident munita non sit, jumentum agere quo quis velit jus esto.

Digitized by Google

1. De aequalitate; & juris aequitate.

PRIVILEGIA NE INROGANTO.

NEXO SOLVTO, FORTI SANATI ſiremps jus eſto.

Si judex arbiterve jure datus, ob rem dicendam pecuniam aCepſit, capital eſto.

Caji *lib. 5. ad leg. XII. tab. cujus pars prior hujc IX. tab. reſpondebat.*

2. De capite civis.

DE CAPITE CIVIS NISI PER MAXIMVM COMITIATVM NE FERVNTO.

QVAESTORES PARICIDI, qui de rebus capitalibus quaerant, a populo creantor.

3. De pace publica.

Si quIn urbe coetus nocturnos agitaSit, capital eſto.

Si qui perdueLem concitaSit, civemve perdueLi transduit capital eſto.

Digitized by Google

Paraphrasis.

IN singulos homines leges juraque ne feruntor.

Nexo soluto, item ei, qui in fide constanter mansit, & ei, qui sanata veluti mente ad obsequium rediit, jus idem esto.

Si judex aut arbiter jure datus ob rem judicandam pecuniam acceperit, capite luito.

De vita, libertate, civitate, familia adimenda civi Rom. populi judicium esto centuriatis comitiis.

Judices rerum capitalium a populo constituuntor.

Si qui in urbe coitiones agitaverit, capite luito.

Si quis hostem in pop. Rom. seu patriam concitaverit, vel civem hosti tradiderit, prodiderit, capite punitor.

Digitized by Google

de JVREJVRANDO

1. De jurejurando.

2. De jure sepulchrorum.

HOMINEMORTVM IN VRBE NE SEPELITO, NEVE VRITO.

SVMPTVS ET LVCTVM A DEORVMANIVM JVREMOVETO. *

HOC PLVS NE FACITO.

ROGVM ASCIA NE POLITO.

Tribus ricinijs, & X. tibicinibus foris eFeRe jus esto.

MVLIERES GENAS NE RANDVNTO: NEVE LESVM FVNERIS ERGO HABENTO.

HOMINI MORTVOSA NE LEGITO, QVO POST FVNVS FACIAS, extra quam si beLi eridove hostico mortVs escit.

SERVILIS VNCTVRA, OMNISQVE CIRCVMPOTATIO auferitor MVRATA POTIO MORTVO NE INDITOR.

NE LONGAE CORONAE, NEVE ACERAE PRAEFERVNTOR.

QVI CORONAMPARIT IPSE PECVNIAVE, EJVS VIRTVTIS ERGO, ARGVITOR: * ET IPSI MORTVO PARENTIBVSQVEJVS DVM INTVS POSITVS ESCIT FORISVEFERTVR SE FRAVDE IMPOSITA SIET.

Vni plura funera ne facito, neve plures lectoSternito.

NEVE AVRVM ADITO: AST SI CVI AVRO DENTES VINCTI ESCINT, IM CVM ILO SEPELIRE VREVE SE FRAVDESTO.

Rogum bustumve noVm propius LX. P. aedis alienas, si dominus nolet, * ne adIcito.

Fori bustive aeternAuctoritas esto.

Caji lib. V. ad leg. XII. tab. cujus pars posterior huic X. tab. respondet.

Cicero lib. 2. de legibus.

* pro jure removeto.

* Id est honorator.

* Cujus l. 237. ff. V. S.

Digitized by Google

Hominem mortuum in Vrbe humare, vel urere jus ne esto.
Sumptuosa, & magnifica funera, & lamentabilia prohibentor.
Funerum modus qui nunc definitur deinceps esto, neque eum excedere licito.
Ligna ex quibus rogus comburendo cadaveri constructur, dedolando ne levigentur, sed rudia & impolita rogo adhibentor.
Tribus vinculis purpurae, neque pluribus, componi, vel uri mortuum jus esto: X. tibicines neque plures funeri adhibere jus esto.
Mulieres ne genas ungibus dilanianto, seu faciem carpunto,
Neque lugubrem ejulationem, seu fletum in funeribus adhibento.
Homini mortuo e cadavere membrum aliquod ne adimito, cujus causa postea funus, funerisque impensae de novo iterentur, nisi si quis in bello mortuus esset, vel peregre.
Servorum cadavera ne unguntor. In funeribus epulae omnes prohibentor.
Sumptuosa adspersio omnis in mortuum, & rogum amovetor.
Ne longe coronae, vel longae coronarum series, neve arae thuri adolendo aliisve odoribus funeri praeferuntor.
Qui coronam meruerit in ludricis, sive ipse, sive servi ejus equive in funere ob virtutem laudator, ipsique mortuo & ejus parentibus, & quamdiu domi per novem dies collocatum est cadaver, & cum effertur, coronam illam imponi jus esto.
Vnius hominis cadaveri funus unum fiat, & unus lectus sternitor.
Aurum a funere omnino removetor: excipitur aurum, quo dentes vincti, id enim cum cadavere sepelire, aut urere jus esto.
Rogum vel sepulchrum deinceps aedibus alienis domino invito propius 60. pedes admovere jus ne esto.
Vestibulum sepulchri, sepulchrumve usucapere jus ne esto.

Digitized by Google

QVOD POSTREMVM POPVLVS JVSIT, ID JVS RATVM ESTO.

Caji *lib. 6. ad leg. XII. tab. cujus pars prior huic XI. tab. respondet.*

Quartae tab. supplementum.

Patribus cum PLEBE * coNubI jus nec esto.

Cajus *l. 238. in pr. ff. V. S.* Dionys. Halicar. *fine lib. 10.* Tenaras *tom. 2.*

DETESTATVM
seu de SACRIS DETESTANDIS.

Quintae tab. supplement.

Cajus *l. 238. §. 1. ff. V. S.*

Digitized by Google

Posteriores populi leges prioribus potiores sunto.

Inter Patricios, & plebejos matrimonia ne contrahuntor.

Digitized by Google

Sextae tab. supplemen.

Caji *lib. 6. ad leg. XII. tab. cujus pars posterior huic ultimae tabul. respondet.*

de PIGNORE.

Si qui rem, de qua stlis siet, in sacrum delicaSit, duplione decidito. Cajus *l. 238. §. 2. ff. V. S.*

SI VINDICIAM FALSAM TVLIT, PRAETORei SIVE STLITIS ARBITROS TRIS DATO: EORVM ARBITRIO FRVCTI DVPLIONE DECIDITO. Cajus *l. ult. ff. de litigiosis.*

Cajus *l. 19. ff. usuris. & fruct.*

Septimae tab. supplemen.

SI SERVSCIENTE DOMINO FVRTVM FAXIT, NOXIAMVE NOXIT, NOXAE DEDITO. Cajus *l. 238 §. 3. ff. V. S*

Octavae tab. supplemen.

Nonae tab. supplemen.

Decimae tab. supplemen.

Digitized by Google

Paraphrasis.

REm de qua controversia est in sacrum dedicare ne jus esto: qui dedicaverit, dupli poena multator.

Mala fide possessionem si quis nactus sit, Praetor ei rei desiniendae tres arbitros dato, eorumque arbitrio malae fidei possessor fructus in duplum praestato.

Si servus domino sciente furtum fecerit, damnumve aliter dederit, dominus eum pro delicto, injuria vel damno affecto dedito.

Digitized by Google

J. VINCENTII GRAVINAE

ORIGINVM JVRIS CIVILIS

LIB. III.

QVI EST

DE

LEGIBVS, ET SENATVSCONSVLTIS,

AD

CLEMENTEM XI. PONT. MAX.

Digitized by Google

Digitized by Google

INITIO superioris libri, CLEMENS MAX. ab ipsomet hominis ingenio exordia juris naturalis, & gentium excitavimus: nunc iisdem ab hominibus, non quidem sparsis, & segregatis, verum convenientibus una inter se, inque communem vivendi societatem coëuntibus civilis regiminis causas & fundamenta, varietatesque rerumpublicarum eruemus. Cum enim civitas sit corpus ex hominibus coactum, atque compositum, si quid in corpus diffundatur universum, ex ejus oportet emanare partibus, statumque, aut mutationem, & vicem civitatis totius ex natura, & motu, moribusque singulorum hominum evenire: nam si neque in civitatem extrinsecus migraverint, neque introrsus ex ipsismet hominibus oriantur: eas ex nihilo contra naturalem rationem arcesse re compellemur.

CAusas igitur sive tranquillitatis, sive perturbationis, item interitus, mutationisque civilis, atque imaginem civitatis utcumque constitutae, tamquam in speculo in ipsamet natura humana

1. De Justitia Civili.

mana ſpectabimus. Motibus enim partium eadem ſimul incumbentium, atque flectentium totum etiam corpus una circumagitur: iisdemque putreſcentibus partibus una diſſolvitur. Quamobrem affectio, quae hominis naturam ſedat, aut exagitat, eadem ſi ſingulis in civibus multiplicetur, univerſam componit, evertitve civitatem. Quae eatenus coaleſcit quatenus partes in communem aliquem ſenſum conveniunt, & ad optimum tum adducitur ſtatum, quando cives ita cohaerent inter ſe, quemadmodum hominis membra toto cum corpore congruunt. Quam partium in civitate convenientiam, atque conſenſum inducit ſola juſtitia: cum juſtorum ſit unus concorsque ſenſus; injuſtorum vero diſcors, & varius: unde non mirum, ſi ut juſtorum animus affectionum concordia componitur, atque ſedatur, injuſtorum vero vita perturbationum diſcordia miſerrime circumvolvitur; ita & civitas juſta, ſibique conveniens perpetuo conſervetur; injuſta vero, ſibique repugnans cum ſuarum partium variatione turbinis more verſetur. Beata igitur civitas eſt, in qua unaquaeque portio munus perfecte obeat ſuum, concordique miniſterio partium, hominis bene valentis, optimaque horum temperie gaudentis reddit imaginem. Quamobrem ei naturae, quae imperio ſuo regit hominem atque tuetur, imperium eſt atque tutela committenda civitatis; menti videlicet, quae non corpori tantum humano, ſed & naturae rerum praeſidet univerſae.

Et-

Digitized by Google

Etenim a mente divina, & infinita, quae corporea omnia, & incorporea voluit procreata est mens humana, & finita, quae membris nostris, corporique praeesset: cui motus e mente, ac vita singulis momentis ingeneratur. Motus namque unde oriuntur, intereunt, & mutantur omnia non in corporis, verum in animae natura continetur: corpus enim nullum edere potest, atque ab se ciere motum, nisi aliunde acceperit: cum corporis notio quantitatem quidem, soliditatem, & figuram, non vero motum involvat: corpus enim si motu spolietur, tamen manebit idem: at quantitate, solidita-te, figuraque detracta periisse intelligeretur. Mens vero in percipiendo, cogitandoque adeo ex sua natura versatur, ut sublata cogitatione mens tibi diffugeret: at cogitatio unde animi natura profertur, actus est a mente continenter exoriens, qui, ut permaneat, opus habeat assidua productione sui ipsius; productionem vero sine motu nullam intelligimus. Vnde sive cogitatio versetur eodem, sive de re una in aliam perlabatur, assiduo motu cietur; quia mentis est actio perpetuo fluens. Vivit enim, atque alitur ex novis perpetuisque animi nixibus, qui singulis momentis multiplicati pereunt continuo, atque identidem regignuntur. Quos novos perpetuo percipiendi actus mens quomodo protulerit, sine ingenito, inditoque propriae naturae motu? Quamobrem exuere motu mentis naturam nequimus; quia eo sublato cogitatio extingueretur. Quia igitur motu, qui est incorporeae naturae

II. De Mente Humana, et eius Iure in Corpus.

turae animantur omnia, colligere hinc licebit incorpoream naturam eam esse, quae sive potestate sua procreans, volensque omnia, qualis voluntas est divina, sive ab Deo creata, Deique jussu subiens ipsa certum, ac peculiare corpus, lumen rebus ferat, & vitam: corpus vero per se, si ea luce, ac vita caruerit, pondus esse tantum, & umbram intelligimus. Vnde imperium animae in corpus humanum ab ipsa natura fuit institutum, quia corpus a mente ducitur, ac sustinetur; & ei sunt rerum gubernacula tradenda, unde res ipsae vitam accipiunt: ne si ab illius imperio eximantur, non ad libertatem, sed ad interitum potius tendant. Sicut autem ratio infinita motum ubique diffundens, rebus imperat universis; ita debet & ratio finita in qua imago infinitae rationis insculpitur, nempe mens humana, motu a Deo accepto imperare corpori humano, & rebus omnibus ex humana facultate pendentibus. Hinc homini utpote ratione praedito, & naturae praestantiori subjiciuntur muta, & inanima omnia, itemque ratione carentia, quibus hominis dominatio prodest, quia custodia, curaque nostra ferociam effugiunt animantium aliorum; ut hoc etiam nomine longe sint feliciores mansuetae animantes, & cicures, quam ferae atque indomabiles.

III. De Natura Servis, et Natura Dominis.

Hinc rudibus, agrestibusque hominibus plurimum conducit parere sapientibus. Hinc & lege naturae, quae mentem imbecilliorem praestantiori subjicit, foemineus virili sexui subjicitur, cum virilis superet ea parte, qua divinitatem attingimus,

Digitized by Google

mus, & res corporeas antecellimus. Cum igitur viri, & mulieris conjunctionem natura ipsa inveniat, & machinetur, & mulier a viro ratione vincatur, minori autem rationi ratio major lege naturae dominetur; palam est mulierem traditam esse in potestatem viri ab ipsa natura, tamquam in custodiam, & conservationem sui. Ob eamdemque rationem filii naturaliter veniunt in potestatem patris, quia liberis utilius est ut a patre regantur, quam a semetipsis: atque hinc imperium oritur domesticum. Denique universe, quia propter mutuum usum rerum, & operarum ad vitae diuturnitatem, atque securitatem inter homines lex ipsa rationis, & natura societatem instituit; neque ulla constare societas inter eos potest, qui prudentia inter se, ac ratione discrepant; nisi prudentia, & ratio minor, prudentiae subdatur, ac rationi majori, quae prospiciat imbecillioribus: nemo non viderit eos, qui mente sunt hebetiores, & ingenio pinguiores fuisse creatos ad parendum, tamquam natura servos; praestantiores vero, & sapientiores tamquam natura dominos ad imperandum; non quidem propter propriam, sed propter imbecilliorum potissimum utilitatem. Quia natura non aliam ob causam subesse homines hominibus patitur, nisi ut qui securitatem, & utilitatem nequeunt parare sibi, eam praestantioris mentis imperio consequantur: unde sapientum in ceteros dominatio, utpote fletus humanae societatis, & radix publicae salutis in communi commodum ab ipsa natura, & a rationis lege procedit.

Nam

Nam si jus imperii ducamus a potentia corporis; continuo in discordiam, & mutuam infinitamque caedem delabemur. Cum enim absit a corpore consilium; nisi motus illius ratione, ac regula gubernentur; homines feris miserabiliores affectionibus propriis assiduo inter se pugnantibus invicem dilaniaremur. Quid praeterea tam praeposterum, atque aberrans a natura, quam potestas corporis in mentem, aqua corpus accepto motu suam vim, & potestatem perpetuo trahit? Quid igitur possunt ad humanam societatem, & civilem vitam corporis vires? num ad fabrilia tantum, artesque rudiores; ad prudentiam vero, & custodiam publicam erunt prorsus inutiles? Et sane nisi metus nobis impenderet ab hostibus externis, aut a motibus intestinis, ad regimen civile corporis robur nullius forsan esset usus: utique si suae omnes, aut alienae rationi sponte parerent: intelligentes aberrantem a ratione, dum ab ea deflectit, & virtute, ad vitium dilabitur, erroris poenas dare sine carnifice, cum omne vitium sit ultor sui.

IV. De Mero Mistoqve Imperio.

Verum quia homines non tam cognitone, quam sensu ducuntur, ac raro causas miseriarum adscribunt sibi ipsis, & propriis cupiditatibus, ex quibus tantum voluptates percipere sibi videntur, ignari eas fontem esse malorum, cum nunquam voluptates a vitiis veniant sine longa, & saeva cohorte miseriarum; propterea qui latentibus in animo poenis minime reprimuntur, poenis compescendi sunt exterius accitis, visuique parentibus; ut cum viribus rationis minime regantur, viribus cohibeantur corporis.

Vnde

Digitized by Google

Vnde corporis, cujus pernicioſiſſimum eſt imperium, ſervitium tamen eſt utiliſſimum, dum eo veluti miniſtro atque ſatellite rationis utamur. Haec autem vis legitima, ſive civilis, ſi atrocioris poenae facultate polleat, imperium merum; ſi vero levioris coërcitionis poteſtate finiatur, miſtum appellatur: quorum hoc jurisdictioni ſemper, & Magiſtratui; illud Principi tantum, & ſupremae poteſtati cohaeret, de quibus fuſius, & ſubtilius in noſtro *de jurisdictione* tractatu.

V.
DE TRIBVS CIVITATVM GENERIBVS, ET PRIMO DE SIMPLICI, SIVE DE OPTIMO STATV CIVITATIS.

Qua juſta diſtributione munerum, & collocatione, ac temperamento partium ſecundum ſuam cujusque naturam ad imperandum, vel ad parendum, & ad indicendas, vel ſubeundas poenas, civitas recte componitur. Ac ſane ſi homines in mutuam cuſtodiam incumbentes communibus uterentur opibus ad externas repellendas injurias; inteſtinas vero diſcordias nullis neque ſingulorum, neque univerſorum reprimerent viribus; ſed ſolo conſilio, ac publico, privatoque uſu perfectae virtutis ita favillas quascumque diſcordiarum extinguerent, ut pacem ubique partam pro ſe quisque aleret, eamque abſtinentia injuriarum, ac mutua benevolentia, ſtudioque publicae, ac privatae utilitatis tueretur; haec eſſet beatiſſima civitas, atque omnium praeſtantiſſima, quippe quae ad ſui praeſidium ſolam rationem ſine ullo corporis miniſterio adhiberet; & virtutibus privatorum, tamquam publicis legibus inſtitueretur. Vnde opus haec non haberet corporeis viribus, ut alios ad rectam vivendi normam traheret; quia ſuam ſibi

quisque rationem haberet ducem. Ratio vero, si omnibus affectionum nubeculis explicetur, una eademque in singulis emicabit, unicamque in mentibus hominum boni notionem excitabit: in quam omnes uno eodemque animi sensu conveniunt. Ratio enim parit scientiam, scientia vero simplex est, & unica, quia non descendit a rebus fluentibus, & variantibus, nempe a rebus creatis, & corporeis, a quibus producitur varia, & inconstans opinio; sed a notionibus aeternis, & incorruptis, divinae immortalisque naturae illabitur in animos nostros, participesque sui ad mentium simplicitatem adducit, atque concordiam. Qui homines civilem societatem ineuntes a sola mente regerentur sine ullo ministerio corporis; quia unus idemque sensus, atque consilium in omnes effunderetur: ideoque civitatem hanc, si talis umquam civitas inter mortales extiteret, merito civitatem simplicem appellaremus.

VI. De Civitate Mixta.

Quando vero civium potior pars a ratione gubernatur; aliae vero partes a ratione dissentientes trahuntur a sensibus, quorum varia perceptio est, atque tempore, regionibus morbisque mutabilis: tum oportet partem rationabilem, quae natura imperat ceteris, adhibere collectas vires multorum, & ministerium publici corporis ad coërcendas aberrantes a ratione partes. Vnde quia in hanc civitatem scientia, & opinio confluit; quarum illa in imperantibus insidet, haec in multitudine, quae prudentioribus obtemperare compellitur, ita ut status ejus in imperio mentis, & obe-

Digitized by Google

obedientia minime voluntaria sensuum constituatur; non absurde mista civitas nuncupabitur.

VII. DE CIVITATE PERTVRBATA.

Verum quando in societatibus civilibus prudentiorem partem stultior, & virtutem vitium, ac rationem opinio superaverit; ibi vis, & error agitabit, vertetque omnia, regimenque deferet ei, qui suorum, & alienorum vitiorum satellitio sese, melioribus deprimendis, ad sublimiorem potestatis gradum extulerit. Vnde quia hic natura domini subjiciuntur natura servis, & opinioni scientia in extrinsecis actibus famulatur, ac naturalis ordo miscetur, atque pervertitur: propterea recte meo judicio vocabitur civitas perturbata. Civitatem igitur simplicem ad unam boni rectique rationem sese convertentem, descriptam, & informatam inveniemus in animis eorum, qui una eademque boni notione ducuntur: qui simul convenientes continebunt suam intra se quisque legem, suos magistratus, suos milites, ut imperio exteriori non indigeant: cum propria ipsi ratione provideant, reliquasque animi partes, quarum quaeque munere suo fungitur ad usum, & ministerium rationis adhibeant. Nam sicuti occurrentia visa oculi confestim excipiunt, ita & ratio statim complectitur cognitionem: quae si lucidior fuerit ad rationis legem descisentes ab ea revocabit cupiditates: quibus in officio continendis suscitabit iram disciplina rationis imbutam, & propria, nativaque feritate spoliatam: ut quae animae partes liberae, atque solutae bellum ciebant intestinum, eae rationis imperio parentes,

Digitized by Google

pacem civitatis pariant interioris. Verum neſcio an civitati illi ſimplici ullus pateat in humana vita locus, quia nulla neque plurium, neque unius hominis ratio perpetuo vigilat. Cui aliquando torpeſcenti, ſi frena defluxerint; iis tantiſper laxatis affectiones, & cupiditates exilient, & exultabunt: atque inſtar Phaëtontis equi rectorem trahent ipſae ſuum, ut poſtremo atterant, atque conculcent. Vnde quia non omnes, ſed ſoli ſapientes eſſe ſibi queunt rectores ac duces, iique non gregatim, ſed ſparſim inveniuntur; non mirum, ſi nulla ex hoc genere civitas, quam ſimplicem diximus, componatur. Cum itaque rari ex hominum turbis propria ratione regantur, opus eſt, ut univerſi ratione gubernentur aliena, & mente paucorum, cum pauci ſint admodum in qualibet natione ſapientes. Itaque oportet iisdem luminibus atque conſiliis regere civitates, quibus quisque ſapientum cupiditates ſuas iramque gubernat, ut quemadmodum ira, & cupiditas in ſingulorum animis recte compoſitis obtemperat rationi privatae, ſic potentia, numerusque major, nempe proceres, & multitudo pareant ſapientum ſententiis, quae ſunt mens civilis corporis, a qua in univerſam rempublicam ratio propagatur: eaque civilis vitae conſtitutio erit miſta civitas: quo etſi paucorum virtutes conveniant, & vitia plurimorum; tamen quia plurium affectiones paucorum rationi ſubjiciuntur; evenit ut a virtutibus vitia ſuperentur, & civitatis conſtituatur ſtatus, quatenus mortalis vita patitur, omnium optimus.

Ve-

Digitized by Google

VIII. DE LEGIBVS CIVILIBVS ET EARVM CAVSIS.

Verum insolentia, & livor opulentiorum adversus eos, a quibus prudentia vincuntur, itemque multitudinis amentia, quae magis divitias, quam prudentiam admiratur, sapientum consiliis nunquam cederent, neque populus sese regendum iis traderet adhuc viventibus, nisi propriam sibi personam subtraherent, atque divinum numen, quae suprema certe ratio est, ac summa lex creatarum, & aeternarum rerum inducerent, rationemque suam viventem, & loquacem converterent in rationem inanimem, & scriptam, omnique affectione spoliatam, quae leges appellantur. Quamobrem primaevae leges, vel revera ipsum Deum habuerunt auctorem, quales fuerunt Hebraeorum; vel ad Deum revocatae fuerunt a suis cujusque legislatoribus, ut adjecta legibus auctoritas divina legislatores ab invidia, & leges a contemtu, & contumelia vindicaret. Easque in animis etiam defixere jurejurando, quod vinculum erat in veterum institutione tenacissimum, ita ut eo delato Radhamantus judicia omnia sanctissime, ac celeriter expediret. Non enim in prisca innocentia, & integritate morum opiniones illae deterrimae ad religionem, & fidem commerciorum evertendam eruperant: quarum aliquae non minus impie, quam insane Dei naturam funditus tollunt; aliquae a gubernatione rerum eam stolide abjiciunt; aliquae nihilominus perfidae, mortalibus noxiae summoque Numini contumeliosae permittunt quidem Deo rerum universarum regimen, & poenarum, atque praemiorum

arbitria ; sed eum velut in societatem criminum nefarie vocantes, muneribus a rapina, & fraude, atque alienarum opum usurpatione venientibus,& motibus corporis, verbisque nullo animi sensu pronunciatis, ac mentitis obsequiis placabilem ponunt.

IX. De Auctoritate Juris Jvrandi, & Juris Divini.

Nihil autem religiosum & civilem hominum statum facilius dissolvit, quam remissio, & laxamentum quantulumcumque jurisjurandi, quo publica fides, & legum obsignatur auctoritas. Quamobrem Lycurgus, ut perpetuo jurejurando suas muniret leges, redire ad cives noluit, quos ad legum suarum cultum sacramento usque ad reditum suum obligarat. Atque is Apollini leges adscripsit ab se conditas, Minos vero Cretensium legislator Jovi, Numa AEgeriae Deae, qui cum in silvarum recessibus colloquium habere simulabat: & ne percurram singulos legum auctores, nefas fuit apud Romanos ferre leges, antequam captis auspiciis Deos consuluissent, ut ab eis adprobatae viderentur. Numquam enim recta ratio publice imperaverit, nisi vel a Deo mittatur, vel ab hominibus nomine, atque auctoritate divina consacretur. Quomodo enim sententiae unius hominis, voluntates parerent universorum, atque ad illius obsequium converterent publicas vires, nempe imperium, & jurisdictionem : nisi cultum illum exhibere se crederent praestantiori naturae. Hinc AEgyptii non modo publicas civilis[illegible]minis institutiones, verum & privatas artes, atque doctrinas, & eorum exemplo Pythagoraei philosophiam omnem

Digitized by Google

omnem ſuam in religionem convertebant, ut quos ratio non poſſet, divina emendaret auctoritas. Nos igitur, & ante nos Hebraei unice inter mortales beati: ad quos Dei Filius rationem ſimul attulit, auctoritatemque divinam: quibus corruptelam humanae rationis emendavimus, & falſum divinitatis colorem ab humanis inſtitutis abſterſimus: legislatorem accipientes eum, qui non certis populis, aut regionibus, ſed naturae hominum univerſae leges tulit aeternas inſinuatas, atque enutritas conſilio ſapientiae illius, quae omnium creatori adfuit, dum extenderet Coelum, ſuſpenderetque fundamenta terrae, quae illi ſemper, etiam ante rerum ceterarum exordia praeſto fuerat.

X.

DE VARIIS CIVITATIS MISTAE FORMIS.

Sed jam ad formas civitatis miſtae, cujus exordia poſuimus, tranſeamus: ac deinde ad alias, in quas civitas miſta convertitur, quando paucorum quidem opulentia, & ſatellitium unius, atque potentia, vel licentia multitudinis redegerit leges in ſuam poteſtatem, ut vis rationem ſibi ſubjecerit, atque utilitas publica ceſſerit unius, aut paucorum commodis, aut multitudinis effrenae libidinibus; tum enim, quia naturalis, atque civilis perturbatur ordo, & ratio ab affectionibus, leges a violentia ſuperantur, merito civitas nobis perturbata nuncupabitur: in qua perinde atque in civitate miſta tres itidem erunt ſtatus invicem ſibi oppoſita ratione reſpondentes: nempe unius, paucorum, & multitudinis; quorum quisque optimus delabitur in peſſimum ſibi oppoſitum, habent-

Digitized by Google

bentque ſinguli diſtinctum ſimul cum natura nomen. Etenim in civitate miſta poteſtas unius regnum appellatur; poteſtas paucorum dicitur ſtatus optimatum; poteſtas multitudinis respublica nuncupatur; quorum nomina ſimul cum natura eorum civitatis perturbatione mutantur. Namque ſi leges ab uno ſuperentur, cadit regnum in tyrannidem; ſi a paucis, optimatum ſtatus tranſit in dominationem paucorum, quam graece dicimus ὀλιγαρχίαν, ſi a multitudine, respublica defluet in ſtatum popularem, ſive δημοκρατίαν, quae duae poſtremae poſſent etiam appellari tyrannides, haec plebis, illa paucorum.

XI.
De Regno.

Exordiamur autem ab imperio unius, quae optima eſt certe reipublicae ſpecies, ubi legibus famuletur. Siquidem ſemper ineſt in humana natura ferinum illud a nobis antea ſignificatum, quod pacandum, & compeſcendum eſt verecundia legum, in quibus humanitas feritatis expers includitur. Etenim ut probo quisquam ſit ingenio praeditus, tamen ſi procul a legum conſpectu receſſerit, proprioque indulſerit arbitrio, liberam, ac ſupremam rerum poteſtatem adeptus, in poteſtatem deveniet propriarum cupiditatum: a quibus exutus dominio ſui ipſius, in aliorum vitam, & opes veluti lupus impelletur. Neque enim difficile fuerit hominem in lupum immigrare, ſi ſanguinem lambere coeperit alienum, atque vitae unius inſidiatus, cogatur deinceps modo unum tollere, modo alium, a quo vivente ultionem injuriarum timeat, vel moriente praedam ſperet pinguio-

Digitized by Google

guiorem. Vnde is ibi majus peccatum inveniens, ubi magis opes abundant, criminandis assiduo divitioribus, alienisque substantiis devorandis, suam in dies augebit famem: quales fabula fingit eos, qui comedendis humanis visceribus ad aram Lycaei Jovis in lupos mutabantur. Hinc cum optimum dicemus regem, qui norit regere semetipsum, rectoremque propriarum cupiditatum, rectorem aliorum quoque fore beatissimum existimamus. Vnde merito Plato philosophicam exigit in rege naturam: qui propriae securitatis arcem non praeruptis rupibus aedificet, sed in fastigio virtutum suarum; neque satellitio, sed justitia sibi subjiciat animos civium; & admiratione, ac laude probitatis latentes inimicos exarmet, atque prosternat. Quales felicissimis hisce temporibus Christianos. Europae reges omnes habemus, qualesque horum exemplo evasuros confidimus, quotquot intellexerint eam inter homines vitam esse beatissimam, quae dolorum pariter, & voluptatum participet minus; quaeque levioribus motibus impellatur, sive molestis illis, sive jucundis: cum nulla sit vehemens sine vehementiori perturbatione voluptas: ac neminem tuto, & tranquille possidere suum, qui perpetuo cupiat aliena. Quarum sententiarum homo ad imperium non ambitione, ac sponte sua; sed partim rogatu aliorum perget; partim vero metu, ne si potestatem ipse publicam detrectet, se simul, civesque suos relinquat in potestate deterio-

tum. Atque huic non aliunde profecto ſatellites ad corporis cuſtodiam capiendi erunt, quam a ſuorum numero civium: cum enim pro civibus, non vero contra cives muniatur; opus minime habebit ſatellitio exterorum. Quo autem tale quis ingenium adferat ad regnum, & regnando retineat, oportet ut quod optimum natura tulit, educatione, diligenter enutriat. Excelſum enim omne, ac generoſum ad vitiorum, aeque ac virtutum fertur extrema, prout bonam, aut malam educationem nanciſcatur; aut rectae, vel pravae conſuetudini dedatur. Mentis enim ſolertia, & acumen optimas pariter, ac peſſimas artes prae ceteris facilius, ac celerius arripit. Vnde nihil deterius homine injuſto, qui ſimul artes, & ſcientias calleat: eas enim torquens ad pravitatem, quo majori facultate pollet, quoque acutius cernit, eo ſcelera cautius, atque in graviorem aliorum perniciem exorditur. Quales Alcibiades fuere, ac Julius Caeſar, qui cum ſummam dicendi, atque agendi felicitatem accepiſſent a natura; propter depravatos tamen ſuorum temporum mores ab ſe prava educatione, pravaque conſuetudine contractos, ſe ſimul, ac patriam perdiderunt. Animus vero tenuis, & imbecillis nihil adeo magnum publice, aut privatim, ſive boni, ſive mali promoverit. Quo magis is, quem propter praeſtantes animi dotes natura eduxit, atque adornavit ad regnum vinciendus eſt legibus, & laudis amore, infamiae-

miaeque metu aliorum judicio ſubjicendus. Neſcio enim an quis juſtitiam magnifaciet, niſi hominum de ſe opinionem; aut potentiorum injuriam vereatur. Hinc videmus humiliores de juſtitia eſſe ſollicitos, potentiores vero minime: quia illi damnum, hi lucrum ab injuſtitia ſperant, neque ob animi coecitatem intelligunt juſtitiam componere partes interiores hominis, & civitatis univerſae: injuſtitiam vero tum has, tum illas diſtrahere, atque lacerare: ita ut ne malitia quidem ulla conſtiteret ſine aliqua parte juſtitiae. Siquidem latrones neque contrahere, neque conſervare ſocietatem ſcelerum poſſent, niſi fidem inter ſe datam colerent, & ex legibus, pactionibusque mutuis rapinas diſtribuerent: alioquin ſi ſecum etiam injuſte agerent, alter in alterum irruerent, & ſocietas illico ſolveretur. Is igitur princeps una ſecum, ſuisque cum ſubjectis mire conveniet, eritque feliciſſimus, qui ſe juſtitia munierit, & ſibi pro muris circumdederit leges patrias: quarum cultu ſibi ſecuritatem, & concordiam regno parabit. Sub incerto enim jure nemo bonorum, aut animae ſecurus vivit. Ideoque cogitur infidus eſſe principi, quisquis principem ſuſpicatur infidum fore legibus, ſub quibus ei ſe cives concrediderunt. Vt autem impellat alios ad perpetuam reverentiam legum, quibus & ipſe una cum ceteris cuſtoditur: cultum, & ſtudium earum oportet a ſemetipſo exordiatur. Legibus enim, quibus ipſe obtempe-

rat, ceteri libentius obtemperabunt? nulla namque vi facilius animi populorum, quam principis exemplo circumaguntur. Tum vero altius in animos regia jussa descendunt, cum e legum voluntate depromuntur: ita ut rex caput videatur esse magistratuum; imperiumque illius fons appareat legitimae jurisdictionis, quae in principum placita, velut in rivulos traducatur. Hinc prudentissime Romani, cum gravem capitis animadversionem in reum decernebant, utebantur formula illa: *Lictor lege age*; ut non hominis, sed legis imperio adimi vita videretur. Ideo qui principum velit esse potentissimus, quam fieri rarius potest legum veniam concedat; cavebitque ne populus mutabiles censeat leges: utpote in quibus, & salus communis, & securitas principis nititur. Quid autem stultius, quam crebra legum venia relaxare imperii vincula, & variabilem ostendere auctoritatem earum, quarum potestate ipse princeps aliis dominatur? Quo plura enim a legibus ad suum trahit arbitrium, eo redditur imbecillior, quamvis potentior evadere sibi videatur. Postquam enim homines crebra remissione legum abjicere coeperint metum earum, atque reverentiam, facile sibi exuunt reverentiam hominis, cujus omnis e legibus fluit auctoritas. Legibus enim homines obligat imago ipsa justitiae per naturam impressa mentibus, & per leges explicata: ita ut dum lex dominatur divina ratio putetur imperare: cum nihil aliud sint leges, quam dis-

tri-

Digitized by Google

tributio mentis affectionibus prorſus expertis. At homini homines tantum vi ſubjiciuntur, quae niſi lateat ſub ſpecie ſaltem adumbrata juſtitiae, aut publicae utilitatis, diu minime tenebit: quia ſublata lege non homo, ſed fera, quae in homine admiſcetur imperabit: unde ſicuti homo ſine ulla ratione duce per ſe corruit; ita & civitas absque lege, ſive ratione publica diſſolvetur: & qui publicum omne ad privatam deflectit utilitatem, in diſcrimen adducet utrumque; ut ſummae prudentiae plerumque ſit velle infra quam poſſis; nec ſatis umquam laudetur Heſiodus docens dimidium plus eſſe, quam totum: jureque commendetur Spartanus ille Theopompus, qui regiam, quam obtinebat, poteſtatem extenuavit, objecto ei Ephororum imperio: quo conſilio quantum poſterioribus regibus poteſtatis ademit, tantum dominationi eorum ſecuritatis adjecit & vitae. Vnde ab uxore correptus, quod regnum filio imminutum traderet: minime, inquit, reddidi enim diuturnius. Regum enim is minus invidiae, periculique ſubierit, qui ſe ſupra ceteros minus extulerit: quique multos ad exercitium publicae poteſtatis admiſerit, plures adjunget ſibi pedes, & oculos, & manus: cujusmodi ſunt a rege creati magiſtratus, qui ſi liberum ſibi ſuae jurisdictionis exercitium permittatur, cum ſalute regis propriam auctoritatem putabunt eſſe conjunctam. Vnde non regis tantum, ſed & propriae utilitatis cauſa curabunt populos in fide continere. Quo ſtudio minime tenebuntur, ſi viderint

munus eorum regis arbitrio saepius interceptum, atque turbatum. Quo magis cavendum principibus, ne attingant Magistratuum auctoritatem, neve cognitiones illorum ad se trahant: nisi quando per gradus res ab eorum judicio ad supremum principis ex provocationis lege devolvatur. Hinc plurimum profuerit futuro regi plures antea gessisse minores, & majores magistratus, & majorum jussibus parere didicisse: ut ex proprio experimento sensum colligere valeat subjectorum. Propterea illi sunt imperio aptiores, qui diu parere assueverint: quia tolerabilium, & intolerabilium onerum argumentum a semetipsis capiunt, & a recordatione praeteriti temporis: ac probe sciunt quantum subjectis suis tuto sit imponendum: ne alias de eo praedicetur, quod domino suo Plautinus ille Sosia:

AEquum esse putat, non reputat laboris quid sit
Neque aequum, anne iniquum imperet cogitabit.

XII. De Tyrannide.

Quod sui taedium, atque offensionem populorum nullo pacto suspicabuntur ii, quibus adhuc pueris dum adolescerent, multaque stulte, atque immodeste appeterent, omnia permittebantur a nutricibus, praeceptoribusque suis: qui plerumque regum filios curae suae concreditos adulando, & blandiendo e stultis reddunt stultiores, ut non immerito regni Persici ruinam Plato

to mulieribus adscribat, & eunuchis, qui Cambysem a puero, dum Cyrus procul bellis distineretur, assiduis delinimentis, atque assentationibus non ad prudentiam, sed adinsignem amentiam instituerunt. Hinc non mirum si qui ab incunte aetate appetere omnia, & omnia pariter obtinere consueverint, reliqua vita nihil sibi negandum unquam, nulli sumtui sua causa parcendum, ac ne pauxillum aliis relinquendum opinentur eorum, quibus ipsi delectantur. Atque his ex moribus eveniet, quod praedicit Xenophon, (a) ut non raro qui optimam beatarum rerum portionem possiderent, cum reliqua invadere conarentur, suarum quoque rerum possessione decidant. Adeo autem in animis hominum pollet aequalitas, ut sicuti justa imperia inaequalitate subvertuntur; ita e contrario injustae dominationes aequalitatis, atque justitiae simulatione conserventur. Quamobrem nulla tyrannis diuturnior est, quae regiam probitatem imitatur. Quo de genere apud Graecos plures fuere tyrannorum: qui praeter potentiam illam vi, & fraude quaesitam, qua volentibus pariter, & invitis dominabantur; in ceteris regias virtutes, & artes partim re ipsa exercebant, partim in speciem usurpabant: ut injustitiam dominationis justitiae usu, ac simulatione tuerentur: fingebantque omnia non sua, sed reipublicae causa suscipere, pecuniamque alienam non in proprias voluptates, sed in communes utilitates multitudine vectigalium exhaurire: atque ita invidiam elabe-

(a) in Cyro paed. lib. 2. in fine.

ban-

bantur eorum, quorum labores, ac tenues opes depascerentur. Immo & publicarum quoque rationum inspiciendarum copiam omnibus faciebant: ut non dominos, sed patresfamilias agere viderentur, quam opinionem alebant humane, ac familiariter cum civibus agentes, atque ab eorum praecipue uxoribus, & cognatis abstinentes, parcentesque pudori foeminarum; ac publicis monumentis augentes, ornantesque civitatem; ut procuratores, & custodes existimerentur illius. Immo auctoritatem rerum divinarum per summam perfidiam ad ambitionem propriam detorquentes, templa sedulo instaurabant, sacrificia solennia instituebant, satagebantque sacrorum: ut iis obeundis pietatis opinione, avaritiae, atque saevitiae suspicionem declinarent, arcerentque ab se insidias, & odium subjectorum cum maxime verentium, qui pietatis exercitatione numinibus carus, Deum ipsum videretur adjutorem, ac vindicem adversus aggressores tam sancti capitis habiturus. Quos autem inter cives praestare viderent, eos evehebant ad honores, ne majus quid in libero populo, quam sub domino sese assequi posse sperarent. Honores autem in plurimos homines particulatim tribuebant: ut se ipsos aemulando cum principis majore securitate alter alterius facta vicissim specularentur: cavebant vero maxime ne unum prae omnibus extollerent, praecipue quem confidentiorem noscerent, & in-

Digitized by Google

ingeniosum: ne sibi periculum augenda nimis illius auctoritate crearent; ac si quem altius, quam propria utilitas, aut salus postulabant, extulissent, eum non repente, sed paulatim, ac sensim e summo inferius detrahebant. Porro voluptatibus nimiis aut se nunquam explebant, ne per eas enervarentur; aut si modum aliquando transirent, vel inhonestas appeterent, omnium, atque etiam domesticorum oculos effugiebant. Praeterea vel supplicia raro constituebant, vel invitos, & paterno in filios animo eo se adductos esse simulabant: ac delictorum veniam quidem per se, poenas vero per magistratus decernebant: ut amorem in se transferrent, & odia refunderent in magistratus. Injurias vero ab iis potissimum abstinebant, quos iracundiores experirentur simul, & honestiores: hi enim & quia facilius mortem, quam contumeliam tolerant, & quia prae ira periculum omne contemnunt, minime dubitabunt suamet anima emere quod cupiunt: propriamque vitam in precium offerre mortis alienae. Divitibus praeterea, & egenis contraria ratione placere studebant: illis quidem propter conservationem divitiarum, quibus rerum commutatio nunquam est sine periculo: istis vero propter defensionem ab injuriis potentiorum, quos a pauperiorum corporibus prohibebant. Vna tandem erat eademque ars juste, atque injuste regnantium: quam reges quidem publicae, tyranni vero propriae utilitatis causa exercebant: diverso consilio virtutes praeferentes easdem, contrarioque animo paria studia

ſuſcipientes. Qui vero ſimulatione virtutis injuſtam dominationem retinere nequirent, vel propter impotentiam animi nullum patientis fraenum; vel quia ſcelere parta ſape ſunt ſceleribus munienda gravioribus; ii ut ſibi caverent praeſtantiores viros deprimebant, e medio tollentes eos, qui ſublimiora cogitarent, publicosque coetus, & frequentiam hominum prohibentes, ne dum convenirent fidem inter ſe viciſſim darent, atque acciperent, animosque jungerent, atque conſilia communicarent; praecipue vero excludentes facultates illas omnes, atque ſcientias, unde aluntur in mentibus honeſtiora, & libero homine digniora. Enutritus enim inter ſtudia literarum, gravibusque doctrinis inſtitutus, neque ad vile obſequium, neque ad ſervitium eſt opportunius. Quamobrem ingenia extollebant humiliora, tenuesque animos, atque jejunos; praeſertim vero indoctos, & qui doctrinae inopia laudem vili obſequio captarent, prae caeteris ad magiſtratus evehebant. Proceres vero frequentes in ſuo comitatu adeſſe jubebant: ut ſub principum oculis nutus eorum, & motus taciti, qui ſunt indices animorum, ſubjicerentur; ac dum occuparentur circa principes, nil temporis eis ad ſervitutem recogitandam, & res novas moliendas omnino ſupereſſet. Vt autem latentes, atque obſtruſos omnium ſenſus eruerent, crebros, & frequentes exploratores clanculum dimittebant, atque ad publicos coetus, & ad privatos pariter hominum conventus allegabant: ut & ſi ab aliis inter-

Digitized by Google

ternoscerentur, tamen metum incuterent, praesentiaque sua sermones principi noxios cohiberent. Ob eamdem causam foeminis frena laxabant, eisque per speciem urbanitatis imperium in viros permittebant, ut domi suae mulieres ad loquendum, & familiariter secum agendum quoscumque vellent admitterent, ex quorum sermonibus plurium cogitationes retegerentur principibus per foeminas, quae tamquam hamo in virilibus animis piscantur: nulli enim facilius, quam mulieribus nobis blandientibus, roburque nostrum dissolventibus praecordia reseramus: nihilque servis tyranno fidelius, & mulieribus, quae abjecto sunt ingenio, & ob servitium, cui perpetuo eas mancipavimus, nullo sensu servitutem a libertate distinguunt, eaedemque nusquam vitam ducunt, quam sub tyranno jucundiorem: Luxu enim potissimum delectantur, quem tyranni illi impendio alebant, quia luxus depopularetur opes civium: qui cum inter se de magnificentia aedificiorum, atque mensarum apparatu, & vestium, & supellectilium splendore stulte contenderent, summum aemulatione proprias opes extenuabant, ad principis potentiam extollebant, non solum propter discordias, quae inter eos nascebantur, & offensiones animorum, dum secum fastu, & magnificentia certarent; verum etiam quia dum opes absumerent, minus idonei sensim reddebantur ad resistendum injustis imperiis: ac demum quia portoria, & vectigalia, quae sunt principum opes, augerent arcessendis exterius peregrinis mercibus qui-

quibus in urbem convehendis vectigalium, atque portoriorum solutione bona privatorum ab aerario principum absorbebantur: ita ut Dionysius ille Syracusius quinto quoque anno rem familiarem singulorum tributis, & vectigalibus exhauriret. Multi vero initio tyrannidis majorem partem privatorum bonorum proscriptionibus, & multis rapiebant: eademque civibus reddebant praemiorum nomine, dum modo unum, modo alium honorarent: atque ita, restituendis bonis avitis civium, ac largiendis alienis liberales, & benefici vocabantur. Hinc Policrates, Herodoto teste, dicere solebat gratius amicis fore, si sua eis redderentur; quam si nihil omnino illis fuisset ablatum. Servis praeterea in publicis privatisque negotiis utebantur, eorumque maxima familiaritate gaudebant: effusiores enim servi sunt ad adulationem, qua mire tyranni capiuntur: ac rerum administrationem aut liberis hominibus prorsus auferebant; aut illis tantum ex liberorum numero tradebant, quos propter animi subjectionem, ac turpitudinem sors ad libertatem, ad servitutem vero natura tulisset. Ad res enim injustas, atque turpes justi homines, & honesti praecipue ingenui, atque veraces nullius omnino sunt usus: quippe qui disciplinam eam ultro ignorant, ac vehementer abhorrent. Ideo sub tyrannis illis jacebant elevatiores animi, atque omnium contumeliis patebant, cum animi magnitudo pro furore haberetur. Vnde Horatius asserendi studio Labeonem adversus Augustum contumaciorem,

Digitized by Google

rem, & immoderatam dominationem liberius accusantem insanum appellavit. Nec mirum si dominatores injusti hostium numero habeant justitiae cultores, quibus propter injustitiam sunt odiosi. Honorem autem exteris, quam civibus habebant majorem, & cum illis potius, quam cum his amicitiam jungebant: propterea quod minus fidos putabant sibi fore, quos opprimerent, quam illos, quos honore, ac donis afficerent. Ingenti praeterea magnificentia ludos apparabant, festosque dies crebro celebrabant: ut spectaculis illis populus a cogitatione rerum novarum abstraheretur, & amore praesentis status, ac mutationis odio caperetur deliciis irretitus, & cantibus, quibus eorum animi laxabantur. Adulteria vero, aleam, ceteraque peccata graviora libenter dissimulabant, immo & consulto nutriebant, ut si aliquando aliquem oderent, illius perdendi causam in promtu haberent, summissis accusatoribus, qui crimen in oblivione jacens opportune suscitarent. Quamobrem tyrannis leges non sunt utiles nisi cum violantur, & negliguntur: ut non mirum si eas non educatione in pectoribus hominum, sed tantum in voluminibus atramento curent imprimendas: quo seminarium fiant poenarum dominorum lucro cedentium. Vnde iis tamquam retibus utuntur, non ad emendandos mores, sed ad involvendos eos, quorum vitam in sua potestate habere concupiscunt. Ideoque legum cultores tyrannis omnino sunt inutiles, immo & exosi; quia innocentia vitae causam eis adimunt ra-

rapinarum. Praeterea veteres illi, quorum studia referimus tyranni, solo metu populum in fide continentes, cogebantur paratam semper secum habere militiam: ac ne otio milites tumultuarentur, eos omnino ducere compellebantur adversus hostes: ideoque levem quamcumque belli causam arripiebant. Crebris autem bellis, ut quisque principi esset invisus, proposita dulcedine laudis gravioribus periculis objiciebatur: & milites propter spem praedae mercedes desinebant expectare promissas; populus vero tributa, & vectigalia, quae duriter, ac miserrime pendebat, non in privatam principis rem, sed in communem nationis gloriam, & publicam securitatem prorogatis imperii finibus, ac debellatis hostibus versum iri opinabatur. Ac milites quidem bello, cives vero in opere publico magnificis monumentis aedificandis, atque insanis molibus extruendis occupabant, opes illorum simul, & corporis vires atterentes. Hinc AEgyptiorum regum pyramides, & Pisistrati aedes Jovis Olimpii, & Tarquinii aedificia supra sumtus aliorum ante se regum, quibus cum artibus tyranni uterentur, amovere procul a se cogebantur omnes, qui pravitatem eorum intelligentes aversabantur: quales profecto sunt ingenioli homines, ac honestiores & generosi, ut contra quam medicus, qui e corporibus conatur ejicere deteriora; illi e corpore civili, sive de regno ejicerent partem hominum praestantiorem. Quamobrem tyrannis illis, vel omnis vita repudianda erat, si versarentur inter bonos, unde impendebant

bant insidiae; vel miserrima vivendi ratio eligenda, aetasque transigenda inter stolidos, viles, & abjectos, atque propudiosos, & infames: maximoque felicitatis humanae alimento carebant amicitia: & qui tam insane venereas voluptates concupiscebant, ut earum plerumque causa pericula principatus adirent; potiore tamen libidinis condimento privabantur, amore videlicet, cujus nunquam compotes fuerint, quicumque percipiunt a mulieribus id, quod cum capitis discrimine negaretur: nesciunt enim illi formidine, an amore mulier eo inducatur. Vnde tyranni, qui vitiosarum voluptatum causa virtutes dereliquerunt: vix tamen aliquam inveniunt in vitiis voluptatem, eamque turbatam capiunt, & ancipitem, atque follicitam, & angore, poenitentia, metuque circumdatam. Quibus molestiis omnino liberior status est privatorum quietus, atque tranquillus: quem opinione, ac spe longe majoris felicitatis in periculosam, & inquietam dominationem tanto studio, atque labore commutarunt, in occupanda libertate aliena propriam amittentes: cum is tantummodo potiatur libertatis, qui neque serviat ulli, neque dominetur. Non magis enim servus ab imperio pendet herili, quam dominus a fide, ac voluntate servorum. Et haec quidem de regno, quod in oppositam sibi tyrannidem degenerat.

XIII. De Regimine Optimatum, et de Nobilitate.

Alter a regno gubernationis gradus, regimen est optimatum; eorum nempe, qui ad honores, & magistratus non opibus, & potentia, sed po-

potissimum nobilitate generis attolluntur, & opinione virtutis concepta in animis a generis antiquitate, atque illustri serie majorum, quorum praeclarae animi dotes creduntur in posteros exemplis, & educatione descendere. Ideoque a civibus nobiles praeferuntur aliis, quorum nondum ullis egregiis facinoribus virtutes in lucem exierint. Etenim ubi quis rebus praeclare gestis, aut ingenii sublimitate, atque doctrinarum eximiis laudibus innotuerit, quamvis nullis majorum factis commendetur, tamen in ordinem nobilium inseritur ab ipsa natura. Siquidem duplicem esse nobilitatem intelligimus, naturae alteram, alteram locorum. Nobilitas naturae ab extrema virtute procedit, qua praeditus ubique terrarum, & omnium opinione, ac gentium jure clarescit; nobilitas locorum angustior est, ac certarum regionum finibus clauditur, patriisque definitur legibus, quibus in nobiles referuntur, quotquot e certis creantur, notisque familiis. Cujus nobilitatis barbarae quoque gentes potiuntur, apud quos, uti & apud nos plures nobiles, quos natura propter animi tenuitatem, atque ignaviam ad perpetuam oblivionem, atque contemtum ex illustribus familiis in suae gentis dedecus procreavit. Quae locorum nobilitas honorum, atque opum continuatione sustentantur; iis vero defluentibus nobilitas etiam dilabitur, quia non in praesenti virtute, sicut alia; sed in hominum opinione, atque admiratione fundatur: quae opinio, & admiratio una cum memoria veterum facinorum extinguitur,

Digitized by Google

tur, ubi ea, quibus fulciebantur exteriora ornamenta, & antiquae virtutis indicia disperierint. Quapropter status optimatum recte constitutus erit, quando ibi honores invenerit, non modo id, quod opinione ducitur optimum, nempe propago nobilium, sed illud maxime, quod natura optimum fuerit, homines nempe ingenio, doctrina, & moribus illustres: qui si nobilitatem transferunt in filios, multo majorem certe praeferunt in semetipsis. Verum si eo in regimine magistratum capiunt non solum qui sunt nobiles a majoribus, verum etiam qui a suis virtutibus, quamvis plebei generis; quonam argumento regimen optimatum a populari statu discernemus? Ita nimirum, si magistratuum creationem non populo, sed nobilium suffragiis committemus; ut quem ad magistratum perducere velint, etiam si e plebe sit suscipiendus in numerum cooptent suorum. Nam & inter Romanos, qui Curules magistratus gesserant, etsi patricii non essent, senatorium tamen ordinem, & jus imaginis, nempe nobilitatem assequebantur. Est & alia optimatum respublica huic ex adverso respondens, ubi etsi magistratus, & honores certis familiis, nempe solis nobilibus deferantur: tamen plebs una cum ceteris ad suffragium admittitur; ut Romae primis Consulum temporibus usitabatur. Data enim populo magistratuum creandorum potestate, prohibetur nobilibus, ne per factiones ad se omnia convertant. In optimatum igitur statu minime alterutri ex partibus committitur utrumque:

ita ut vel nobiles jus habentes suffragiorum suffragio exclusis plebeis, tamen ex eis assumant ad magistratus, quos virtutibus noverint illustres; vel si solis nobilibus magistratus pateat, jus eorum creandorum populo tribuatur.

XIV. De Ordine Medio Civvm.

Verum quia plebei plerumque animo sunt abjecto, & ad vile servitium proni, vel ad insolentiam praecipites; nobiles vero in superbiam elati facile ad injurias impelluntur; ideo si nihil inter plebejos, & nobiles interponatur, ipsique invicem committantur; aut alterum genus ab altero deprimetur, aut assiduis seditionibus misere fluctuabunt. Hinc numerus augendus eorum, qui medii status cives appellantur: quorum propter mediocritatem divitiarum, & educationem inter literas, & liberales artes animus ita componitur, ut neque vilescat egestate, neque opulentia tumeat, neque communi plebejorum, & nobilium morbo ignorantia obstupescat. Hujusque status cives libramentum sunt plebis, & nobilitatis: nam contra exultantem nobilitatem ordo hic plebi adjunctus utiliter opponetur: & contra insolentiam plebis nobilibus opportune adjungetur: ita ut utroversum ordo iste flexerit lances exaequentur; quam Romana respublica utilitatem ab Equitibus capiebat. Atque is ordo medius hanc etiam egregiam reipublicae navabit operam: nam in qua civitate honores tantum nobilibus mandantur; plebejorum suffragiis admistus eos impellet in partem nobilium sa-

Digitized by Google

ſaniorem, habebitque plebs, quorum conſilio judicia ſua regantur: ea vero in urbe, ubi nobiles tantum ſuffragium habent, honores vero etiam plebeis aperiuntur, erit ordo iſte, unde viri ſuſcipiantur idonei, honoribusque digni quaſi e ſeminario bonorum, & vena virtutis.

XV. De Dominatione Paucorum.

Quae temperies paullatim diſſolvitur, & ſtatus optimatum, ſive Ariſtocratia tranſit in ſtatum paucorum, ſive oligarchiam, ſi ordo iſte medius langueſcat, & contemnatur, honoresque tantum tribuantur divitioribus: ita ut cogendarum pecuniarum ſtudium quotidie augeatur. Quod facile contingit, quando praeſtantium virorum filii parentum opes, vel ſuſtinendis falſis criminationibus, vel gerendis honoribus exhauſtas, ac ſe ob tenuitatem patrimonii ſpe illorum adipiſcendorum depulſos animadverterint. Etenim tum ſeſe totos mercimonio tradunt, & quaeſtui, atque ſtudio rei familiaris. Qua via redeuntes ad avitam potentiam, ubi ad magiſtratus pervenerint, eamdem aviditatem adferunt ad judicia, quam tota vita mercimoniis exercendis aluerunt, ut quemadmodum antea in contractibus lucrabantur, ita quaeſtum facere ſtudeant ex jurisdictione, potentiam, quam emerunt vendentes aliis, qui pecuniam eis, vel judicantibus offerunt, vel ſuffragia ineuntibus: atque ita ſenſim in pecuniae poteſtatem univerſa devolvuntur: quia per eam omnes, aut judiciis, & poenis eximuntur,

aut licitatione ſuffragiorum attolluntur ad magiſtratus. Quamobrem ubi mercatores illi judiciorum, & poteſtatum gubernacula civitatis arripuerint, invidentes aliis praemium virtutis, & ſumtus in adipiſcendis honoribus factos a novis petitoribus repetentes tandem lege lata conſtituunt, ut publica miniſteria deferantur ex cenſu; ex eoque prout major erit, aut minor augeatur, aut decreſcat gradus dignitatis. Qua lege fundatur ſtatus paucorum, ſive oligarchia, quae tyrannis eſt plurium; perinde atque ſtatus optimatum regnum apparet eſſe multorum. Quantum autem in paucorum ſtatu pecuniae accedit honoris, tantum decedit virtutibus; quae ibi magis contemnuntur, ubi divitiae plurimum honorantur, veluti ſi appendantur in libra, cujus dum altera pars attollitur, altera declinat. Cujusmodi civitas, quam non prudentior, ſed opulentior moderatur eamdem fortunam ſubierit, quam navis, cujus non nautae, ſed inſtitori utpote opulentiori tradatur. Cum igitur hujus civitatis proceres duplici affectione, & contraria diſtrahantur, ſuperbia nempe, quam ex potentatu concipiunt, & avaritia, quam ab ineunte aetate induerunt: neque ſuae rei parcunt, ut alios magnificentia ſuperent, neque alienae, quam illico ubi rapuere, profundunt. AEmulantur enim alius alium, & alter ab altero ſumtibus provocatur; ita ut opulentior mediocrem ſecum certantem, & pecuniam ſub uſuris a ſe mutuantem ſenſim abſu-

Digitized by Google

sumat, & crescente quotidie foenore patrimonium devoret illius. Vnde paucis ditescentibus plurimi ad inopiam in dies rediguntur: qui substantias avitas ad alienos translatas intuentes, & in memoriam revocantes majorum fortunas, ac dignitates; indignantesque se cessuros novis hominibus ab se ditatis, una cum reliquo inopum innumerabili coetu potentioribus insidiantur: ita ut unius civitatis muris, cives cum hostibus concludantur, nec una, sed duae videantur esse civitates animis inter se pugnantes; altera divitum, altera pauperum: quos proceres illi, utpote sibi suspectos, atque infensos metuunt adscribere in militiam, si exercitum ducere oporteat adversus hostes: ac peregrinis, & mercenariis copiis uti coguntur partim publicis, partim privatis sumtibus eos alentes, neque tamen imperii fines umquam proferentes; pectoribus enim civium propriam vitam pro communi salute, atque gloria opponentium, non emtis militibus imperium in alios populos extenditur: ideo qui principes publicam omnem ad sese attrahunt potentiam, eam oppido extenuant: ceteri enim iique innumeri publicae utilitatis minime participes, nihil de suo conferre in commune laborant. Quia sibi non videntur haberi pro civibus, cum incommodorum tantum, non autem commodorum, honorumque participent: sed pro servis, quorum proprium est odio habere dominos. Ideo qui praeesse diu, ac secure cupiunt, curabunt, ne ci-

ves ademtam sibi libertatem, & magistratuum capiendorum facultatem suspicentur. Alioquin uti servi adversus dominos, ita & plebei adversus proceres, furtim insidias molientur. Quo plus enim hominibus timoris injicitur, eo magis ingenium eorum ad fallendum exacuitur. Hinc nihil astutius, & fallacius pueris, foeminis, & servis: quia parentum, & maritorum, & dominorum imperium expaveſcentes, latendi, aut fraudandi artem assiduo meditantur. Juvabit igitur esse in hos, praecipue in uxores, & liberos aliquanto indulgentiores, ut animus eorum sit nobis apertior; indeque aut facilius caveamus illos, aut fallendi necessitate liberemus: ac ad ingenue, & liberaliter cogitandum inducamus.

XVI. De Republica, et Statv Popvlari

Igitur in statu paucorum, leges divitibus obtemperant, potentiores voluptuose, ac muliebriter educantur, & luxu, crapula, ludis, cantibus, meretricibus, pueris symphoniacis dissolvuntur; pauperes vero victus duritie, atque immensis laboribus exercentur: ita ut illi propter vitam desidiosam, & muliebrem ignaviam obstupeant; hi vero propter egestatem, & invidentiam assiduo vigilent, & occasione data, si aliqua seditio interius excitetur, aut exterius auxilium eis adjungatur, fame, ac rabie veluti ferae in praedam agantur, divitum bona diripientes, eoque majori confidentia irruentes, quo se numero, & robore, ac desperatione valentiores, illos vero paucitate foemineoque cultu fractos, & ener-

Digitized by Google

enerves, atque divitiarum causa exterritos intuentur. In qua fluctuatione civitatis, vel divites, ut multitudo placetur, cum plebeis partiuntur honores, magistratus, & agrorum divisione, aut aeris alieni remissione divitias: & hac potentiae, pecuniaeque partitione nascitur inter eos aequalitas mater status illius, qui peculiari, & angustiori significatione respublica nuncupatur; vel iidem divites pertinacius contendunt, pugnantque acrius cum plebeis, & tum quia partem nullam sibi avelli patiuntur, coguntur juxta illud Hesiodi totum tandem amittere. Superati enim a numero, & robore, ac desperatione plebejorum, veluti dedititii a plebe conditiones, ac leges accipiunt, exutique potentia partim ex urbe, partim ex propriis Patrimoniis, partim etiam e vita cedere compelluntur: atque ita publica omnis administratio, & imperium, & summus honos devolvuntur ad plebem, indeque constituitur status, atque gubernatio popularis. Ac prior quidem ille status, qui angustiori significatione generalis vocabuli respublica dicitur, maxime convenit naturae tum universae, tum humanae peculiari: quae mistae profecto sunt, ac variae, plurimisque temperatae corporum generibus; quorum si quid prae aliis dominetur, humores corrumpit ceteros, & corpus postremo putrefacit. Igitur in republica, quae perfectam hominis temperiem imitatur, exprimitque rerum naturam, & humanam, quaelibet populi portio tum in magistratibus, tum

rum in judiciis partem juris, atque potestatis habebit sibi congruentem: sicuti quaelibet hominis portio suum accepit munus a natura praecipuum. Quemadmodum igitur consilium Deus in mente locavit, vires in corpore; vires autem consilio subjecit, & menti potentiam tribuit in corpus; ita & in republica Senatus non tantum e nobilibus, sed e plebeis sapientioribus, & ob longam honorum gestionem rerum humanarum peritioribus coactus veluti mens, & ratio civitatis consultandi, deliberandique munus obibit, certosque sibi magistratus vindicabit, quorum auctoritate jus consultandi providendique tueatur. Et quoniam lex sola respublicas, sive sub uno, sive sub optimatibus, sive sub universo populo constitutus distinguit a tyrannide, quae non modo in dominatione unius, sed in imperio paucorum, & universae plebis deprehenditur, quando pro legibus imperant hominum voluntates; ideo certis legibus, jussuque publico a prima civitatis institutione munienda sunt consulta Senatus: ut si certis de rebus in publicam, non in privatam utilitatem ad judicium ejus adductis Senatus decreverit, universam obliget civitatem, si de negotiis, & judiciis iis agatur, quae longe rectius quieta paucorum, atque tranquilla deliberatione, quam tumultuosa contentione multitudinis transigatur. Atque ut Senatores attributos sibi magistratus, & certorum judiciorum potestatem sibi retineant, arceantque incon-

sul-

Digitized by Google

sultam inde plebem, oportet eos magistratus, eaque judiciorum exercitia magnis onerare sumtibus, ut plebeis plerumque tenuibus desiderium sui minime commoveant. Ita enim solis opulentis una, & melioribus in eo munere patebunt, abstinebuntque iis ultro tam qui e Senatoribus, quam qui sunt e plebe deteriores, nempe tam pecunioſi, & avari; quam tenues, & viles; neque in campum descendent, nisi honestiores, qui divitiis gloriam anteponunt, ut in AEdilium Curulium creatione contingit; quem honorem ultro patriciis plebei remiserunt, ne ludorum sumtibus premerentur. Certos quoque plebeis oportet paratos esse magistratus, qui nunquam ad Senatores transferantur: ut habeat plebs, quos publica potestate semper armatos adversus insolentiam nobilium opponat, quales Tribuni fuere Romanorum. Creabuntur tamen tum ii, tum senatorii etiam magistratus universorum suffragiis, judiciaque illa majoris prudentiae indiga, Senatoribus quidem, sed a populo mandabuntur: ne quid in republica geratur, cujus universi aliqua ratione non participent. Et ne multitudine comitia perturbentur, neve civitas seditiosis redundet hominibus, occupanda plebs est opere rustico, majorque pars promota re agraria in agros deducenda, ut minus habeat in urbe negotiorum, ac minus in ea permaneat inopum, & otiosorum: quorum hi propter desidiosam vitam, illi propter desperationem, & egestatem studio tenentur assiduo re-

Digitized by Google

rum novarum. Hinc etiam eveniet, ut minus in urbe naſcatur opificum, qui artes tractant luxuriae miniſtras, novisque ſenſuum oblectamentis inveniendis, & civibus ad inſanas rerum inutilium emtiones provocandis aliena patrimonia, vel in mundum muliebrem commutant ut

bene parta patrum fiant anademata mitrae

ut Lucretius ait; vel in ſcoenicos apparatus, aut in pudenda praemia muſicorum. Optimus vero populus, eſt agricolarum, atque paſtorum, atque ibi civilis, & militaris victus haerebit firmius, ubi plurimum eſt rei agrariae, atque pecuarie ſtudium. Paſtores etenim, & agricolae, quia urbe abſunt propter laborem ruſticum, quo exercentur, & quia ſpem victus ducunt a proventu agrorum, & pecorum, neque fame ad deſperationem aguntur, neque otio conciones frequentant, neque ducuntur ſtudio rerum novarum: & ſi ducendi fuerint in bellum, erunt milites validiores; utpote parce, ac duriter vivere aſſueti, frigus, & aeſtum tolerantes, ac ſub dio nocte, atque interdiu manentes. At ſi de rebus iis agatur, quae non tam conſilio, quam viribus expediuntur, ea ita deducentur ad multitudinem, ut ipſi per ſe ſtatuiſſe videantur, quod viribus tolerandum, atque opibus eſt ſuſtinendum univerſorum: ne quid ſibi ſupra vires ab aliis impoſitum conquerantur, qualia ſunt vectigalia, tributa, opera publica, & onera tum civilia, tum & militaria, quibus ſuſcipiendis auctores fieri opor-

Digitized by Google

oportet plebejos magiſtratus, ad quos uti diximus aditus nobilibus obſtruetur; quamvis magiſtratibus plebeis ſenatus conſulendi, & ſententiae dicendae cauſa minime claudatur. Atque ita ſicuti Senatores ſeorſum a plebe, ita & plebei ſeorſum a Senatoribus certos ſibi magiſtratus attributos retinebunt: praeter magiſtratus alios, & honores, ac ſacerdotia, quae promiſcua eſſe oportet plebeis, & Senatoribus. Ac ne dum quis magiſtratu fungitur movere quid audeat e publicis inſtitutis, vimque ſibi parare ad extraordinarium imperium, publicae adminiſtrationis rationem reddere cogentur omnes magiſtratu exeuntes. Nam & mitiſſima, optimaque ingenia pervertuntur, niſi ab arbitrio pendere compellantur alieno; alioquin homines nacti ſummam poteſtatem abſtinere nequibunt ab injuriis, atque in odium devenient plurimorum, a quibus ut caveant, velint nolint neceſſitate ſaltem ſui muniendi ad appetendam tyrannidem adducentur. Optimus autem hic reipublicae ſtatus, quem deſcripſimus, cujus cives, neque propriae, neque alienae cupiditati, ſed tantum legibus, nempe rationi divinae parent, partim ex optimatum regimine trahit, partim ex dominatione plebis; in cujus effrenem poteſtatem omnino dilabetur, quando temperie iſta perturbata, leges ſub imperium furioſae multitudinis redigentur: quae nimio deſiderio libertatis decidet in miſerrimam ſervitutem, in quam convertitur pernitioſa licentia; quam plebi exultantes, atque omnia ex libidine

Digitized by Google

gerentes, ac ſemetipſos invicem oppugnantes, publicasque vires, & opes in diverſum amentiſſime trahentes dirimuntur in factiones; ac plerumque in binas majores; meliorum alteram, alteram vero multorum: quorum priores illi vincuntur a poſterioribus iſtis: quia in ſumma illa perturbatione rerum, facile conſilium a violentia, & ratio ab impetu, & numero ſuperatur; praecipue quia quando deteriores in meliores irruunt, ſemper fere ab aſtutiori aliquo incitantur, qui ſeſe ducem illorum obtulerit, quique viribus multitudinis uſus ad optimates deprimendos, ubi calumniando apud populum, inſidiasque tendendo modo unum, modo alium, aut bonis omnibus multaverit, aut in exilium egerit, aut poenis capitalibus ejecerit e vita, hisque fraudibus adverſarios omnes ſuae cupiditatis callide crudeliterque ſuſtulerit; metuens inſidias ab iisdem, aut ab eorum filiis, quos tot injuriis exagitavit, poſcit a populo cuſtodes corporis ut ſenſim, atque paullatim exercitum ſibi comparet familiarem ex exteris, quem alit bonis proſcriptorum: donec ad eam potentiam perveniat, qua ipſum auctorem potentiae ſuae populum novis militibus perterrefactum omni potentia ſpoliet, imponendis vectigalibus, convertendisque in praedam ſuam opibus illorum, cum quibus una olim ſubſtantias praedabatur aliorum, ut in hanc plebis amentiam recte illud Hieremiae conferatur:

Vae qui praedaris, nonne & ipſe praedaberis?

At-

Digitized by Google

Atque ita populus legibus parere antea recusans, carnifici suo, quem proprio sanguine alit, obtemperare compellitur: & multitudo inconsulta, quae libertatem supra modum concupivit, a cupiditate illa sua in servitium deducitur illius, quem pro vindice communis libertatis extulerat. Is enim jam e populi ductore tyrannus, humano sanguine cruentatus, dentes tabo manantes in plebem retorquet nutricem suam; viscera, quae illum peperere voraturus, iisque artibus crudeliter usurus, quas in describenda tyrannide superius exposuimus.

XVIII. De Civili Conversione Rerum Romanarum.

His de civitate traditis, ratio, atque conversio Romanae reipublicae facile patebit: cujus in vicissitudine causas licet omnes, & eventus rerum humanarum introspicere. Percurrit enim, obiitque res Romana status civiles omnes, utpote creberrimis agitata motibus: ideoque non mirum si diversis temporibus in varias, ac denique universas reipublicae formas assidua circumvolutione migraverit. Orta enim republica sub regimine unius, atque a Romulo in summa juris aequabilitate concordiaque ordinum constituta, perque manus regum aliorum ad Tarquinium superbum usque traducta, sub hoc postremo decidit in tyrannidem. Quo de statu per Brutum erepta & Valerium Consules, tradita eorum consilio fuit optimatibus sub imperio consulari tantum a patriciorum ordine suscipiendo. Irrumpentibus autem in patriciorum potentiam Tribunis, quos a Senatu per seditiones plebs impetra-

verat, plebei partem reipublicae a patriciis ad se traduxerunt, impetrata non modo consulatus, sed & honorum fere omnium, & connubiorum, atque sacrorum communione. Vnde cum plebs patribus par muneribus esset, numero superior; facile tandem, & Senatum in potestatem adduxit suam: excitatis ex se frequenter seditiosis Tribunis plebis, praecipue Gracchis, qui commota in libertatis recuperandae imagine agraria lege, plebem inopem in optimatum, & opulentiorum agros, velut in praedam agebant hostilem. Cumque contentiónes hae rempublicam lacerarent, consiliumque prudentum violentiae subjicerent plurimorum, plebisque odium, iramque perpetuo in patricios accenderent; plebei palam suos vindices, ac tutores contra patriciorum injurias extollebant: patricii contra suscitabant suos: quos utrinque cum propriis factionibus inter se committebant. Atque cum plebejus modo, modo patricius assertor superaret; reipublicae vires atterebantur. Nam si Marius vicisset patricios, si vero Sylla plebeiam factionem trucidabat, donec quiescente Syllana proscriptione odia civium non placita, sed malorum diuturnitate laxata tantisper deferbuerunt, quoad redeuntibus viribus, novisque sibi ducibus injuriarum oblatis, iterum in certamen civile sub Caesare ac Pompejo devenerunt. Victor autem Caesar a plebe inauspicato nutritus, atque in Reipublicae pestem extraordinariis imperiis ad summam potentiam eductus, evertit omnino rempublicam, & plebem, cujus vin-

Digitized by Google

vindicem se praeferebat, ipsam oppressit simul, & Senatum, eosque traduxit in satellitum, & suarum copiarum potestatem. Qui satellites cum Caesarem amisissent, conspiratione sua paternarum opum, & odiorum heredem Augustum ad eamdem, ac majorem potentiam, extinctis Bruto, & Cassio liberatoribus orbis terrarum extulerunt. En brevi fatalem Romanae vicissitudinis orbem e causis a nobis superius expressis impulsum, atque circumactum. Quo vertente Romanae nobis natae sunt leges: post conditas leges XII. tabularum latae, quas hoc tertio libro complectemur, utile arbitrantes ingenia studiosorum ad generales imperiorum, & legumlationum adduxisse causas, antequam converterentur ad leges: quarum vis omnis atque potestas ex imperiorum, ac civilis regiminis, unde nascuntur, vi, ac potestate cognoscitur. Ea porro est Romanae Jurisprudentiae dignitas, atque majestas, ut nemo Romani Jurisconsulti nomen mereatur, nisi ubi e re fuerit publica, norit etiam agere legislatorem. Ad quod munus, & nos studiosos nostros, quantum tenuis facultas nostra tulit, instituere curavimus. Quod haud difficulter philosophorum haec a nobis exposita ratio, & primaevae Romanorum leges cum ea contextae praestiterint: si ad contemplandarum simul, & gerendarum, atque ad divinarum, & civilium rerum artem, ingenium nanciscentur idoneum.

Igi-

Digitized by Google

Igitur more noſtro Caj, & Juſtiniani diviſionem amplectentes a legibus ad perſonas pertinentibus exordiemur. Perſonarum autem, aut liberi ſunt, aut ſervi, quorum conditio quemadmodum vetuſtis legibus conſtituta, immutatave fuerit, patebit ex legibus, & S. C. quae proferemus.

XVIII. DE LEGE FVSIA CANINIA.

Ac celeberrima eſt lex Fuſia Caninia, quae & Furia non paucis dicitur, ſubſtituta, poſt inventam ab Appio literam R, in veteribus nominibus R pro S; unde utrumque, & *labos* dicitur, & *labor*, *vapos*, & *vapor*. (a) Hanc autem legem Auguſti temporibus latam eſſe colligitur ex Suetonio, (b) qui etſi legislatoris nomen reticeat, Auguſti tamen ſollicitudinem de tuenda Romani nominis dignitate, ac legis ejus ſententiam prodit. (c) Latores legis plerique ponunt Furium Camillum, & C. Caninium Coſſ. anno A. V. C. DCCLII, quo anno inter omnes non conſtat, an hi Conſules fuerint; reperio enim Cornelium Lentulum, & Lucium Calfurnium Piſonem. Furius autem Camillus anno DCCLIX aliquorum ſententia Conſul fuit cum Nonio Quintiliano. Raevardus (d) in antiquo exemplari *Fuffiam Caniniam* legi teſtatur; ex qua lectione adducitur, ut credat latam Q. Fufio Caleno, & P. Vatinio Coſſ. anno DCCVI; ac retractatam, & expenſam, atque amplificatam ſub Auguſto a Cajo Caninio Gallo, conjunctaque fuiſſe Fufii, & Caninii nomina, ut in aliis legibus obſervamus, quibus cum veteris auctoris, tum inſtauratoris nomina praefixa legibus. Quoquomodo ſe res habeat (quis enim

(a) Quintil. *lib. 1. cap. 4.*

(b) *in* Aug. *cap. 40.*

(c) Cujac. *paratit. C. de l. Fuſia Canin. toll. vide lib. de leg. Rom. apud* Calvin. *in lexic.*

(d) *conject. cap. 1. lib. 2.*

Digitized by Google

enim si bona fide agere velit in tot vetustatis tenebris caligare se non fatebitur?) hanc disputationem de servorum libertate Augusti tempore aut institutam esse constat, aut certe suscitatam. Ea vero lex effusam morientium in manumittendo facilitatem ad certum modum, & praescriptum numerum coërcebat; viventibus liberam facultatem permittebat. Hominum enim liberalitatem dum vivunt rei familiaris ratio, & egestatis periculum satis per se moderatur; morientes vero facile dissipant ea, quorum usum brevi sunt amissuri. Illa vero parte lex occurrit, qua vergit hominum inconsulta facilitas. Vnde intercedenti mulieri Vellejanum succurrit, non donanti: liberius enim mulieres promittunt, quam donant. Praeterea Romani facile patrimonium suum in funeris sumtus effundebant; quoque posteris opulentiam ostentarent servos liberabunt, ut pileati liberti funebrem pompam comitarentur. Vnde, ne libertorum numero supramodum aucto, servili sanguine Vrbs pollueretur; inhibendam esse censuit Augustus manumittendi licentiam. Quo minus assentior iis, qui negarunt l. Fusia Caninia comprehendi fideicommissarias libertates, propterea quod heredibus in servis domini pars aliqua superst, nempe jura patronatus, quae danda fidcicommissaria libertate, adhuc in herede permanent. Huic enim conjecturae Papiniani (a) auctoritatem opponimus, apud quem lib. 22. quaest. testator ab heredibus petit ut ex tribus, quos habebat, servis, unum

(a) *l. 22. si legatario ff fideicom. libert.*

Digitized by Google

num & alterum manumittat; itaque in jubendo servat legis modum. Cur praeterea Paullus lib. singul. ad l. Furiam Caniniam, (a) negat servum, quem per legem (scilicet Caniniam) manumittere testator non poterat, quemque alteri, ut manumitteret, legaverat, posse a legatario manumitti, quia in fraudem legis parendum voluntati non esset, ideoque censet servi commodum ad legatarium pertinere? Vnde ingenue pro sua doctrina, & gravitate Cujacius errorem suum recognoscit, & corrigit, (b) receditque a veteri sententia. Negarat enim alibi fideicommissarias libertates lege Fusia Caninia comprehendi. Igitur non directas libertates tantum, sed & fideicommissarias hunc ad modum lex Fusia Caninia redigit, ut qui duos servos habet manumittere possit ambos; ex tribus vero servis non plures, quam unus, & alter manumittantur: (c) subductis autem duobus usque ad decem pars dimidia, a X usque ad XXX. pars tertia; a XXX usque ad C. pars quarta; a C. usque ad D pars quinta nempe C; ut non liceat hunc numerum excedere, etsi plures, quam D servi possideantur. (d) Vnde Vopiscus in Tacito, *servos*, inquit, *manumisit intra centum, ne Caniniam transiisse videretur.* (e) Constat autem Romanorum non paucos patrimonium omne suum in servis habuisse constitutum. Pedanio enim quadringentos servos tribuit Tacitus. (f) Plinius vero Caecilio Isidoro quatuor mille. Laurentius denique apud Athenaeum refert (g) viginti millia servorum fuisse, qui Romae possederint.

(a) *l. si quis etiam 37. ff. condit. & demonst.*

(b) *tit. C. de fideicom. libertat.*

(c) Paullus *sent. lib. 4. tit. 14.* Vlpian. *frag. tit. 1.*

(d) *distincte* Cujac. *ad lib. 4. Paul. sent. tit. 14.*

(e) *Vide* Cajum *in lib. 2. tit. 2. Instit.*

(f) *annal. 14. cap. 43.* Plin. *l. 37. cap. 10.*

(g) *l. 6. n. 137.* Seneca *de tranquil. cap. 8.*

Digitized by Google

rint. At si ultra modum danda libertate testator excurrisset, tum scripturae ordo servabatur, ut qui primi scripti essent, si numerati legitimum modum conficerent liberarentur; qui vero a justo numero supereſſent in servitute manerent. (a) Altero ejusdem legis capite continebatur, ut ne confuse, & permiste, veluti, *servos meos, ancillas meas liberos esse volo*, sed nominatim, & distincte manumitterentur servi, veluti, *Stichus, Dama, liberi sunto.* Quamobrem si legitimum quis numerum manumittendo excessisset, eorumque nomina in orbem, confusoque ordine scripturae locasset, ac in ejus orbis area, sive spatio scripsisset, *liberi sunto:* neminem eorum placuit esse liberum, cum in circulo non pateret unde duceretur legitimus numerus, aut ubi tandem aliqua ex parte ductus insisteret, ut enim Ocellus Lucanus ait, *Circulus undique similis, & aequalis, ideo sine principio, & fine.* At si communibus notis testator usus fuisset, veluti *coquus meus liber esto*, cum unum haberet coquum; perinde est ac si nominatim manumisset. Officiorum enim, ut inquit Paullus, (b) & artium appellatio, nihil nominum de significatione mutat; nisi cum plures sunt ejusdem artificii. In numero autem servorum ineundo computabantur & fugitivi, quorum possessio animo retinetur. Justinianus vero hac lege, veluti libertatis impedimento, sublata, pristinam manumittendi facultatem restituit, (c) eo

(a) Cajus *Instit. lib. 2. cap. 2.*

(b) *lib. 4. sent. tit. 14.*

(c) *C. de l. Fus. Can. toll. Cujac. ibid. in parat.*

Digitized by Google

eo tantum ejus legis capite probato, quo servos nominatim manumittere jubemur.

XIX. DE LEGE AELIA SENTIA.

Sed alia manumissionibus impedimenta obtulit lex AElia Sentia pluribus sane capitibus, lataque fuit Augusti aevo, (a) nempe Sex. AElio, & C. Sentio Coss. A.V.C. DCCLVI, vel potius DCCLV. in quem annum horum consulatum emendatior temporum ratio confert. Alia enim lex est ab ea, cujus Cicero meminit, in qua turpiter labitur Minsigerius. Ex hac autem lege quo ab honestissima civitate averterentur maculae hominum flagitiosorum, pudendaeque famae, qui vel ob turpem fugam inusti essent in fronte notis, a quibus stigmatiae, ac subverbusti dicebantur, (b) vel aliquo in crimine deprehensi essent, deinde torti, aut ad ferrum dati, aut objecti bestiis, aut in publicam custodiam ducti, vetitum fuit, ne hi manumissi commercium, aut connubium, aut testamenti factionem, aut ulla civitatis jura consequerentur, jussumque ut ad eam conditionem redigerentur, qua peregrini, qui objectis armis se, suaque omnia victos dedidissent in ditionem populi Romani. Vnde servi illi manumissi, ut conditionem, ita, & nomen deditiorum consequebantur, sine ulla spe Romanae civitatis adipiscendae. (c) Verum obscurato sensim decore Vrbis, lex etiam AElia Sentia languebat, ut redditio cunctis pari manumissionis jure Justinianus eam sustulerit. (d) Alterum libertatis impedimentum excitavit lex AElia Sentia ex aetate cum servo-

(a) Dio. *lib. 55. pag. 577.*

(b) Tertull. *de Pall. c. 4.*

(c) Vlp. *instit. c. 1. ubi* Got. Cujac. *parat. C. de de dedit. liber. tollenda.*

(d) C. *de dedit. lib. toll.*

Digitized by Google

servorum, tum dominorum: nam nec servus triginta annis minor vindicta manumitti, nec minor viginti annis dominus manumittere poterat; nisi adducta probataque causa in Vrbe apud consilium quinque Senatorum, & quinque Equitum Romanorum: in provincia vero apud consilium XX Recuperatorum, sive judicum, per quos debitum, & jus quisque reciperet suum; eosque judices cives Romanos esse oportebat. (a) Quod optima ratione fuit constitutum. Qui etenim manumittit, civem dat Reipublicae. Quod jus sane maximum privatis est libertatis gratia tributum. Vnde illud Leonis apud Plautum: (b)

(a) Vlp. tit. 1. instit. §. 12.

(b) in Pers. act. 4. Sc. 3.

Sumne ego probus, sum lepidus civis,
Qui Atticam hodie civitatem
Maxumam, majorem feci, atque auxi civi
foeminae?

liberaverat enim mulierem.

Hinc ne lubrici plerumque consilii adolescentibus liceret civem aliquando turpissimum dare Reip. lex restitit eorum consilio parum firmo, (c) nam & nostris temporibus in Vrbe usu venit, ut nobilissimus quique adolescens a vaferrimis, & deterrimis famulorum dolis circumducatur, quibus aetas ea maxime patet; etenim rei parandae difficultatem nondum experta praeceps ad libertatis officia fertur. Et quoniam libertatem non vitiorum; sed virtutis praemium esse majoris nostri voluerunt; ideo ne libidi-

(c) l. 4. ff. servis export.

Digitized by Google

nosis illecebris candor, & liberalitas aliena captaretur; justas, & honestas causas probari oportebat: (a) quoque omnis fraus amoveretur, irritae erant hac lege manumissiones eae, quas minor XX (b) annis faceret per interpositam personam alterius, qui major esset annorum XX. Quod ex sententia legis S. C. fuit evocatum, ut patet ex Alexandri rescripto. (c) Plura enim S. C. legem hanc comitabantur, nempe; *Vt si quis apud unum Consulem ediderit nomina manumittendorum, ut apud eundem expediat manumissionem, peragatque solemnia, nisi Consul ille justa causa impediatur*, tum enim licebit alterum adire. (d) Et illud, quo inter justas causas manumissionis habetur, si minor XX annis ancillam suam matrimonii causa manumittere cupiat, & juret ducturum intra sex menses. (e) Justas autem causas Justinianus recensuit hasce; si quis patrem, aut matrem, filium, filiamve, aut fratres, sorores-que naturales, aut paedagogum, aut nutricem, aut collactaneum manumittat; aut ancillam, si eam, ut diximus, intra sex menses ducere sit paratus; aut servum non minorem decem, & septem annis, quem procuratorem sibi constituat. Quas causas exigit Justinianus a min. XX annis, si vindicta manumittat, non si testamento. Nam adolescenti annorum XVIII liberam tribuit facultatem in testamento manumittendi. (f) Quod postea laxavit ad annum XIV. (g) Aliud legis AEliae Sentiae caput vetabat manumissiones, quae obligatos servos creditoribus exime-

(a) Vlp. *ad l. illud ff. de manumiss. vindict.*

(b) *l. 4. C. qui manumitti non pos. & Cujac. ad eumdem tit.*

(c) *d. l. 4. C. qui manumit. non possunt.*

(d) *l. 1. ff. de offic. procons.*

(e) Cujac. *obs. 4. cap. 31. lib. 3. tit. 11. C. l. si collactaneus in fin. ff. de manum. vindict. Inst. lib. 1. tit. 6.*

(f) *Instit. lib. 1. tit. 6.*

(g) Novel. *119. c. 2.*

Digitized by Google

merent; partemque detraherent pignorum, aut portionem patronis debitam imminuerent. Hinc revocavit, ac ipso jure irritas fecit (a) manumissiones ab eo consilio fraudeque profectas, etiam si manumissiones a militari testamento descendant, (b) similiter atque alienationes in fraudem creditorum factae per Paulliianam rescinduntur; (c) factae autem in fraudem patronorum a testato liberto per Fabianam, (d) ab intestato vero per Calvisianam actionem revocantur: (e) quamvis hae ab initio valeant; manumissiones vero lex AElia Sentia in ipsis initiis irritas reddat. Non eadem enim est in Praetore, quae in lege potestas. Porro per hanc legem iis etiam prospicitur creditoribus, quibus sub conditione debetur, (f) cum & is etiam creditor obligationem transferat in heredem, (g) & possit in possessionem mitti bonorum debitoris. Ideo recte Cujacius e veteri lectione (h) negationem expunxit, ac pro *locum non habet*, restituit *locum habet*, cui emendationi favet Hermogenianus. (i) Verum ne dominus, qui solvendo non est distractionis bonorum ignominiam post mortem subeat, permissum est ei hac lege uni servorum libertatem, & hereditatem testamento relinquere, ut is in sese infamiam domini suscipiat, ac non domini, sed servi nomine bona distrahantur: similiter atque ne Senatorium nomen infamia polluatur, ex S. C. curator constituitur distrahendis bonis Senatorum, quibus actiones creditorum imminent. (k) Verum etsi simpliciter heres servus sit institutus absque libertate, nihilominus tamen

(a) *l. si libertus ff. de jure patron.* Tacit. *annal. lib. 13. cap. 55.*
(b) *l. 8. §. 1. ff. qui, & a quib.*
(c) *l. in fraudem in princ. ff. de milit. testam.*
(d) *§. item si quis in fraud. credit. instit. de act.*
(e) *tit. ff. & C. qui manumitt. non pos.*
(f) Vide Cujac. *C. qui manumitt. non possunt.*
(g) *l. 8. ff. qui, & a quibus manumit.*
(h) Cujac. *lib. 3. ad Aphric. in l. X.*
(i) *l. 8. ff. qui, & a quib.*
(k) *l. 27. eod. tit. & lib.* Basilic. *l. 5. & 9. ff. Curat. furios.*

Digitized by Google

men esse liberum Justinianus voluit; (a) cum heredis nomen nequeat nisi in liberum hominem cadere. Item Adriani temporibus proditum est S. C. (b) ad hanc l. ut pluribus institutis servis, qui priori loco scriptus esset, libertatem, & hereditatem assequeretur: nisi prior nominatus majoris sit precii, ex quo possit creditoribus satisfieri; alter autem sit minoris, nec ex eo possint creditores debitam sibi pecuniam redigere: tum enim sequenti loco scriptus perveniet ad libertatem. (c) Si tamen servus sit institutus, substitutus vero liber homo, rejecta institutione servi, in libero substituto consistet hereditas. Servi enim institutio tum demum valet, cum deest homo liber, a quo heredis nomen sustineatur. (d) Directas autem libertates tantum coëreet lex AElia Sentia: nam fideicommissarias moderatur jus ante receptum, quo vetatur fideicommissum praestari, nisi deducto aere alieno. (e) Cautum praeterea est hac lege, ut si patronus libertum inopem alere neglexerit, ipse liberique ejus excidant non solum juribus, quae manumittendo sibi retinuit; verum etiam hereditate liberti, ac bonorum possessione: nisi vel heres sit ipse dominus institutus, vel bonorum possessionem secundum tabulas petat. (f) Et contra ex eadem lege actio prodita est adversus ingratos libertos. Optimo sane consilio, ne qui contemneret libertatis auctorem, turpi vita foedisque, quorum indicium praebuit, morbis civitatem labefactaret; hac apud Athenienses for-

(a) *Instit lib. 2. tit. 6. §. 2.*

(b) *l. 83. ff. de hered. instit.*

(c) *l. si quis habens 24. ff. qui, & a quib. manumitt.*

(d) *l. 57. ff. de hered. instit.*

(e) Cujac. *ad tit. 11. C. lib. 7.*

(f) *l. 53. ff. de bon. liber. l. 6. ff. liber. agnosc.*

Digitized by Google

formula ingratus libertus in servitutem retrahebatur: *Supersedeo te habere civem, tanti muneris impium aestimatorem; nec adduci possum, ut credam urbi utilem, quem domi sceleſtum cerno, abi igitur, & esto servus, quoniam liber esse nesciviſti,* (a) apud Romanos vero damnabatur in latomias, sive lapicidinas. Quamquam enim in l. 30. ff. qui, & a quib. legitur ut in *servitutem revocentur*, & apud Donatum invenitur libertos in servitutem revocari; tamen in ea lege gloſſema est, quod irrepsit ex constitutionibus. Siquidem posterioribus temporibus, ad quae forsan & Donatus respexit, non ex l. AElia Sentia, sed ex rescripto Principum patroni extra ordinem libertos in servitutem revocabant. (b) Haec autem actio ex l. AElia Sentia descendens competit dominis, vel ejus filiis heredibus etiam si se abstinuerint hereditate, non autem heredibus heredum, (c) vel filiis exheredatis, deinde per alium heredem, vel per servum ad hereditatem paternam admissis. Et recte Cujacius in l. *cum patronus*, conjungit actionem ingrati, cum jure operum exigendorum. (d) Ne vero in libero homine nota haereret servitutis, eadem l. AElia Sentia dominus, qui a liberto mercedem operarum stipulabatur, ab omni jure, quod sibi ex manumissione supererat excidebat. (e) Secus vero erat, si a sponte praestantibus libertis dominus acciperet, aut operarum mercedem exigeret: potius enim a conductore operarum liberti capere videretur, quam ab ipso liberto: nisi ea conditione sit patronus, ut pecunia non indigeat, & satis

(a) Valer. Max. apud Cujac. ad l. commun. 24. ff. bon. libert. sive ad lib. 65. ff. Salvii Jul.

(b) Cujac. ad l. comm. 24. ff. oper. & obſ. 21. cap. 6. l. 7. ff. ad SC. Syllanian. l. 1. C. de libert. & eor. liber.

(c) l. sciendum 70. ff. V. S. l. si operarum ff. oper. libert. & l. cum patron. 6. cum libert. eod.

(d) d. l. cum patronus. Cuj. in ff. ad l. sciendum 30. ff. V. S. quae conjuncta est cum l. 65. 68. 69. & l. penult. C. de libert. & eor. liber. Cujac. obſ. 27. cap. 14.

(e) l. uls. ff. qui, & a quib. l. 5. si quis a libertis ff. de agnoſc. liber. l. 25. ff. oper. libert.

tis operibus ipsius liberti juvetur; ne quod accepti beneficii praemio libertus ex legibus praestare tenetur, ad explendam domini avaritiam deflectatur. (a) Cum autem nihil tam reip. conducat, quam liberorum procreatio; ideo hac lege jus patronatus adimebatur ei, qui stipulatione, vel jurejurando libertum, libertamve obstrinxisset ne nuberet, neve liberos tolleret: (b) nisi non perpetuam viduitatem patronus, sed magis curam susceptorum jam liberorum injunxisse videatur. (c) Verum si jurejurando patronus adegerit, ne uxorem ducat, libertum, qui suscipiendorum liberorum spe destituatur, veluti castratum, certe in legem non incidet: neque si libertam patronus adegerit, ut sibi patrono nubat, dummodo ex animo matrimonium expetat. (d) Erat, & aliud hujus legis caput a Justiniano commemoratum in novellis, quo donatione facta inter virum, & uxorem; & viro mortuo antequam rem donatam traderet; vetabatur mulier eam vindicare; sed si mariti heredes eam rem a muliere peterent, mulieri si non possideret tantum exceptionem contra petitores opponere permittebatur. (e)

(a) *l. 25 ff. oper. liber. ubi* Cuj. *ad Julian. lib. 65. ff. l. penult. & ult. ff. qui & a quib.* Cuj. *l. communi 24. ff. oper. liber. & ad l. 6. ff. jur. patron. & ad l. 24. ff. oper. libert.*

(b) *l. 6. ff. jure patron. l. penult. & ult. ff. qui, & a quib. l. communi. 24. ff. bon. libert.*

(c) *l. penult. ff. qui, & a quib.*

(d) *l. 6. ff. jur. patron.*

(e) Hottoman. *Hae leg. in serie leg. Rom.*

XX.

DE LEGE JULIA MANUMISSIONIS.

Manumissionis quoque legem Augustus condidit amplificandis juribus majestatis. Noluit enim principem libertatem dantem teneri legibus manumissionis; sed sine ulla solemnitate, sive vindicta, soloque nutu perducere posse servos ad libertatem voluit: quae lex Julia dicta est de manumissionibus, eamque Augusto tribuit Paulus. (f)

(f) *l. apud eum ff. de manumiss. §. 1.*

Fa-

Digitized by Google

XXI. De Lege Petronia de Servis.

Favit quoque manumissionibus lex Junia Petronia, qua constitutum est, ut discrepantes patres Judicum sententiae servo libertatem pariant. (a) sententia enim semper est praeferenda clementior. Alia quoque lege, sive, ut ego suspicor, alio ejusdem legis Petroniae capite subventum est servis, ne arbitrio domini ad bestias depugnandas tradantur, sed a judice, causa apud eum probata. (b) Auctores Petroniae legis Hottomannus facit Cajum Junium Caesonium Paetum, & Petronium Turpillianum Coss. an. 813. A. V. C.

(a) l. 24. ff. manumiss. Paul. lib. 4. sent. 12. §. 5.

(b) l. circumcidere 11. ff. ad l. Corn. de Sic.

XXII. De Lege Junia Norbana, & S. C. Largiano.

Augusti studium emendandae civitatis, ac servilium sordium eluendarum viguit etiam in Tiberio, cujus quinto imperii anno A. V. C. DCCLXXI. lata est lex Junia Norbana a M. Junio Sylano, L. Norbano Balbo Coss. Eaque medium quemdam gradum inter libertatem, & servitutem interjecit, iisque paravit, qui neque vindicta, neque censu, neque testamento, sed per epistolam, aut inter amicos, aut adhibitione ad convivium manumitterentur. Siquidem, qui aliquem sua mensa participasset, is propria quodammodo illum dignitate impertire videbatur, ut significat Agamemnon, dum Idomenaeum ad pugnam apud Homerum adhortatur. (c) Verum ita demum adhibitione convivii servus libertatem assequebatur, si eo consilio ad mensam a domino vocatus appareret. (d) Et quoniam in conviviis, aut congratulationibus, atque hilari consuetudine amicorum homines animo soluto sunt, & remisso, consilioque languentiori; propterea lex minus hujusmodi manumis-

(c) Iliad. Δ. pag. 143.

(d) vide Leon. Elent. c. 4. lib. 2.

Digitized by Google

sionibus tribuit. Et cum procul sumus, nec servi utilitatem praesentem habemus, facilius manumittimus: ideo libertas data per epistolam minor est libertate data solenniter: Igitur his rationibus manumissos lex exaequavit iis, qui nomina dabant latinis coloniis deducendis, (a) in quibus esse impune licebat etiam interdictis aqua, & igni; tum autem hi, cum illi, qui sponte nomina dabant, in easque colonias confluebant latini facti Romanam civitatem amittebant, ut neque connubii, neque testamenti, neque nexus mancipiique, neque patriae potestatis jus retinerent, ac dicebantur Latini colonarii. Cum autem lege, ut Cicero testatur, (b) Julia, fortasse lata a S. Julio Caesare, qui primo anno Italici belli, Consul cum L. Martio Philippo fuit, latinis omnibus civitas data fuerit; conditio veterum latinorum transiit ad hosce libertos, (c) qui cum viverent liberi, tamen mortui servilem in statum relabebantur; nisi ad plenam libertatem testamento aut censu, aut vindicta pervenissent. Si vero in hac media libertate mansissent, eorum bona dominus occupabat jure peculii: cum ipse, tum liberi ejus, qui exheredati non fuissent. Nam heredes instituti vel soli, vel cum extraneis in horum libertorum bonis praeferebantur ceteris ex S. C. Largiano. (d) Erant & aliae rationes latinae libertatis adipiscendae: quae nunc ex Justiniani constitutione ad veram, plenamque libertatem perducunt. Itaque servus infirma valetudine, quem dominus exposuit, habuitque pro derelicto, ubi convalesceret ex edi-

(a) *de quibus Cicero pro Caecin. & in orat. pro dom.*

(b) *in orat. pro Balbo pag. in meo Griphii 273.*

(c) *hac de re fragmentum extat veteris S. C. apud Petrum Pithoeum.*

(d) *l. unica C. de Lat. libert. toll.*

Digitized by Google

edicto Claudii latinam libertatem assequebatur. (a) Item & qui defuncti, heredisve voluntate, ut pompam augerent, funus pileati praecederent, aut lectum circumsisterent, aut ventum cadaveri facerent, quod officium Achilles Patroclo praestabat; vel quibus ex testamento latina libertas obveniebat, quique pendente conditione libertatis testamento datae ab herede vindicta manumittebantur, vel quos dominus accepto ea causa pretio manumittere abnueret, vel ancilla, quae fuisset in matrimonium libero homini a domino collocata, vel is, quem dominus inter acta judicii filium appellasset, cuive dominus instrumentum emtionis, & servitutis reddidisset. Qui omnes ad latinam tantum libertatem vocabantur, nunc sublata ex Justiniani constitutione non modo latina libertate, sed discrimine omni libertos inter, & ingenuos, omnes aeque ad plenam, & integram libertatem perveniunt. (b) Cum ante Justinianum latini liberti, tum demum Romanam civitatem assequerentur, cum rescripto principis jus Quiritium impetrassent, (c) vel causa liberorum. Etenim refert Ulpianus (d) lege Junia Norbana cautum fuisse, ut si latinus libertus civem Romanam, vel latinam duxisset uxorem interposita solemni formula, (e) quod liberum quaerendorum causa uxorem duceret, ex eoque conjugio prolem suscepisset, filio anniculo facto, & causa, vel apud Praetorem, vel apud Praesidem provinciae probata, parentes simul, ac liberi cives Romani fierent: siquidem uxor Latina fuisset, (f) nam si esset civis Romana, si-

(a) *l. 2. ff. quod fine manumiss. ad libert. pervenit.*

(b) *C. Lat. Libert. toll. novell. 78. cap. 1.*

(c) Ulp. *Instit. tit. de lat.*

(d) *ibidem.*

(e) Gothof. *ad l. 220. ff. V. S.* Tacit. *lib. 2. Aug. 3. contra* Julian.

(f) Ulpian. *tit. de lat. §. 3.*

filius nasceretur civis Romanus ex rescripto Adriani. At quomodo potuit uxor esse civis Romana, si nullum latinis cum civibus Romanis erat jus connubii? Nimirum id impetratum fuerat a principe: nam tit. seq. scribit Vlpianus (a) connubium habere peregrinos & latinos cum civibus Romanis, si fuisset concessum, ut intelligas consuevisse concedi. Ceterum si civis Romanus latinam duxisset sine venia, partus latinus ederetur. Etenim connubio interveniente liberi patrem sequuntur; nullo autem interveniente connubio, liberi conditioni matris accedunt.

(a) *tit. 5. §. 4. & 5.*

XXIII. DE LEGE MENSIA.

Quod aliqua ex parte immutatum fuit lege Mensia, (b) quae natum ex alterutro conjuge peregrino, jussit sequi deterioris parentis conditionem. Plenam quoque libertatem assequebatur libertus latinus, qui annis XXX. major iterum manumitteretur. Ejusdem autem liberis a prima manumissione, dum libertus pater eorum esset minor, jus Quiritium quaerebatur ex l. Junia; post eam autem aetatem, qui latinitatem adipiscitur, liberis jus Quiritium consequitur ex S. C., quod Cujacius observavit. (c) Praeterea Claudius rei navali studens, ejus amplificandae gratia civitatem Romanam praemio ei liberto latino concessit, qui decem mille modiorum navem construxisset, & sex annos frumentum transportasset. Hinc Suetonius ingentia premia scribit a Claudio proposita fuisse iis, qui navem fabricarent, ut latinis jus Quiritium, & mulieribus, qui navem adornassent concesserit jus quatuor liberorum. (d)

(b) *de qua* Vlpian. *tit. 5. §. 8.* Bris. *de jure connubii p. 104.*

(c) *ad tit. 3.* Vlpian.

(d) Sueton. in Claud. *cap. 18.* Gothof. ad Vlp. *tit. 3. n. 12.*

La-

Digitized by Google

XXIV. DE LEGE VISELLIA.

Latinus pariter consequebatur jus Quiritium militia, ex lege Visellia, (a) de qua commodum hic agendum occurrit. Aliquibus in codicibus legitur Miscellia, vel Miscella, vel Viscellia, vel Visillia; non recte: cum Viselliorum familiam jam notam habeamus ex Cicerone in Bruto, ex qua fuit C. Visellius Varro Ciceronis consobrinus. (b) Lata igitur fuit lex haec anno A. V. C. DCCLXXVI. L. Visellio Varrone, Sext. Cornelio Coss. sub Tiberio. Inter capita hujus legis, quae perierunt, illud extabat, quo latinis libertis civitas Romana dabatur, si sex annos militassent inter vigiles, quorum septem cohortes Augustus praefecit regionibus urbis, binasque regiones singulis cohortibus custodiendas mandavit. (c) Senatusconsulto deinde ad hanc legem facto, contractum fuit legis spatium, jussumque ut triennium ad libertatem integram adipiscendam satis esset. (d) Aliud erit legis Viselliae caput, quo libertina conditio a civium, & ingenuorum honoribus arcebatur, nisi liberti jus aureorum annulorum, quod divitioribus plerumque concedebatur, vel restitutionem natalium a principe impetrassent. Itaque libertus ad eam conditionem evehebatur, qua erant, qui nascerentur ingenui. Etenim servi annulos gestare prohibebantur, & libertus aureo annulo ex indulgentia principis utebatur; quod jus adeptus habebatur ingenuus: nec quidquam patrono debebat praeter reverentiam, quam etiam liberi parentibus exhibere tenentur; (e) moriens autem ad libertinam conditionem redibat; ac in-

(a) *C. ad l. Visell. l. 1. C. quando civil. act. crim. praejud.*

(b) Hottoman. *l. Visillia.*

(c) *l. 3. ff. de offic. praef. vig.* Cujac. *ad* Vlp. *tit. 3.*

(d) Vlpian. *tit. 3. in fine.*

(e) *l. 10. §. 3. ff. de in jus. voc.*

Digitized by Google

integra patronatus jura reviviſcebant. Hinc Vlpianus hunc hominem vivere ait, ut ingenuum, mori ut libertum: etenim patronus bonorum poſſeſſionem contra tabulas recte petebat. (a) At ſi non modo jus aureorum annulorum, quod etiam foeminis concedebatur, (b) libertus impetraſſet, ſed aureo etiam annulo rite, ac ſolemniter a principe donatus fuiſſet; locus etiam in equeſtri ordine donatus eidem putabatur: (c) unde ne umbra quidem juris patronatus ſupererat, ac jura omnia manumiſſionis extinguebantur: ut hinc appareat, quid interſit jus habere aureorum annulorum, quae erat imago libertatis, (d) & aureo annulo donari, quae nota erat equeſtris ordinis. (e) Idque miror Cujacium antiquitatis poſt extinctam Remp. peritiſſimum promiſcue accepiſſe. (f) Peribant etiam patronatus jura reſtitutione natalium, ut ne actione quidem ingrati deinceps libertus teneretur: (g) ideo niſi conſentiente patrono nemo natalibus reddebatur. Verum Juſtinianus novel. 78. ſublata l. Junia Norbana, & l. Viſellia, libertos per omnia ingenuis exaequavit, remiſitque onus impetrandae reſtitutionis natalium, & juris aureorum annulorum; ac in ſolam manumiſſionem haec omnia jura congeſſit. Atque hae leges pertinent ad directas libertates, nunc ad S. C. progrediemur, quae fideicommiſſarias complectuntur. Teſtamento enim praeter directas fideicommiſſariae quoque libertates relinquebantur verbis precariis *Peto*, *Rogo*, *Volo*, *Mando Fideicommitto*; (h) minime vero per verbum *commen-*

(a) l. 3. ff. bon. libert. l. 4. ff. jur. aur. ann. Hottom.

(b) l. 4. ff. jur. aur. annul.

(c) Plutarch. in Galba. Dio lib. 48.

(d) l. unic. C. ad l. Viſell.

(e) Briſ. & Hottom. in Lexic.

(f) ad tit. C. de jur. aureor. annul.

(g) Cujac. ad C. de jur. aur. annul. l. penul. ff. de bon. libert. l. 10. §. ſed & jus ff. in jus voc.

(h) §. ult. Inſtit. de ſing. reb. per fideicom. relic. Cujac. lib. 18. obſ. 5. & 20.

Digitized by Google

mendo, quod animi desiderium potius praefert, quam praeceptum, nisi adjectum fuerit, *ne cui alii serviat*: quod & sine commendatione manumissionis onus imponit heredi. (a) Et quoniam directae libertates ipso jure competunt; fideicommissariae vero praestandae sunt ab herede, vel a fideicommissario, vel a legatario, ut qui ab iis libertatem petere negligat, maneat in servitute cum liberis; (b) ideo ne fraude, culpa, vel absentia heredum vel legatariorum injiceretur mora libertatibus, varia prodita sunt S. C., quorum vi quod accipiendum erat ab homine praestabatur a jure.

(a) *L. 12 ff. fideicomm. libert.*

(b) *l. 4. C. fideicomm. libert.*

XXV.

DE FIDEICOMMISSARIIS LIBERTAT. & S. C. DASVMIANO.

Igitur S. C. Dasumiano cautum est, (c) ut ex quacunque causa abessent ii, qui fideicommissam libertatem debent, servi expectare non cogerentur, sed perinde haberentur, ac si, ut oportet, ex causa fideicommissi manumissi fuissent. Quod S. C. ad tam sanctam absentiam utilitatis causa porrectum fuit. nam si testator tutores liberis suis dedisset servos, quos manumitti jusserat, quoniam nec servi tutores esse possunt, antequam manumittantur; nec filii, a quibus libertas relicta est per aetatem manumittere queant, si sint impuberes; ideo Paullus absentium vice haberi tradit filios; ut S. C. Dasumiano includantur, ac a S. C. accipiant libertatem, quam ab impuberibus consequi nequeant: ut liberi jam facti tutelam puerorum capessant. (d) Quamvis autem absente domino sine illius facto servus manumitteretur, integra tamen ei patronatus jura relinquebantur. (e)

(c) Paul. *sent. 4. tit. 13. l. neg. 36. l. non tantum. §. 4. ff. de fideicommiss. libert. tit. C. eod.*

(d) Paull. *sent. 4. tit. 15.*

(e) Cujac. *ad tit. C. de fideicomm. libert.*

Digitized by Google

XXVI. De S. C. Rubriano.

Verum Trajani temporibus A.V.C.DCCCLIV. Rubrio Gallo,& Coelio Hiſpone,Coſſ. ſuffectis coërcendis fraudibus heredum, aut aliorum, qui rogati ſunt manumittere, ne ad manumittendum evocati a Praetore laterent, aut dolo abeſſent, callidoque conſilio protraherent, aliave arte qua ſpem libertatis eluderent, factum eſt S. Conſ. a Rubrio Conſ. Rubrianum appellatum,(a) ex quo ſi qui erant rogati a teſtatore manumittere, evocati a Praetore adeſſe noluiſſent; ſervi, pro quibus Praetor pronunciaſſet, perinde libertatem adipiſcebantur, ac ſi directo manumiſſi fuiſſent, adeo ut partus ex ſerva illa,cui fideicommiſſaria libertas relicta eſſet, liber naſceretur. Et heredi eripiebatur libertus,& fiebat orcinus: quia heres, quantum in ſe fuit, omnem ſpem libertatis praecidit: unde nec ei jus patronatus relinquitur, neque ejusdem impuberis liberti tutela; ſed ad familiam teſtatoris ea defertur,(b) niſi vel pupillus heres fuiſſet rogatus, tutor autem adeſſe noluiſſet; [iniquum eſt enim obeſſe pupillo tutoris fraudem,(c)] vel heres major quidem ſit, ſed abſit cauſa rei familiaris, aut religionis, aut ſervitutis apud hoſtes, aut aliqua calamitate, aliave juſta cauſa detineatur,(d) quae cauſae comprehenduntur Daſumiano S. C. quo nec libertas impeditur, nec libertus eripitur fraude carentibus. (e) Item retinebat jus patronatus heres, qui non teſtatoris ſervum, ſed proprium rogatus eſſet manumittere: quamvis enim pronunciatione Praetoris ſervus libertatem obtineret; tamen veluti a ſi-

(a) *l. cum vero 26. §. ſubſtentum 7. ff. fideicom. libert.*

(b) *l. 3. §. plane ff. de legit. tut.*

(c) *l. neque 36. ff. de fideicom. libert.*

(d) *l. neque. ff. fideicom. libert.*

(e) *ibid. ubi ſupra* Cujac. *ad tit. C. de fideicom. lib.*

Digitized by Google

a fideicommissario libertatem accepisset, ejusdem permanebat libertus, cujus fuerat, ut servus. (a)

Quod cautum fuit S. C. Junciano, vel AEmiliano, ab AEmilio Juncio, & Julio Severo Coss. (b) de quo & infra. Alioque S. C. cujus nullum nomen supereſt, Adriani temporibus cautum est, ut si antequam Praetor pronunciasset, fideicommissarius sine successore decessisset, non impediatur libertas, sed illius sit libertus orcinus, cujus servus antea fuit. (c)

In provinciis vero ea cognitio erat Praesidum eorum, quorum jurisdictioni subeerat testator, & servus: qua de re sub Trajano prodiit S. C. Articulejanum, ipso Trajano, & Articulejo Paeto Coss. quo continebatur, ut in provinciis Praesides provinciae cognoscerent, licet heres sit alterius provinciae. (d) Item S. C. Junciano non modo de servo heredis proprio, sed de quovis alio, qui nec heredis esset servus, nec testatoris, cautum erat, ut si Praetor pronunciasset, *in ea causa esse servum, ut si adesset heres, cogendus esset illum manumittere; perinde esset, ac si servus fuisset ex fideicommisso manumissus*, ex quo intelligitur, quod supra innuimus, servum hunc ex S. C. liberatum, heredis libertum permansurum; quia enim lex praestitit factum heredis, videtur tamquam ex fideicommisso ipse heres liberasse. (e) Ceterum non video cur hoc caput aliqui subjecerint AEmiliano S. C. & AEmilianum a Junciano discreverint, atque haec nomina, quae unius hominis sunt, ad duos distraxerint: cum omnia haec ab uno AEmilio Juncio profluxerint.

(a) *l. non tantum 51. §. sed si & l. 28. §. 4 ff. de fideicom. libert.*

XXVII.
DE S. C. JUNCIANO.

(b) *l. si cum servum 28. §. 4. ff. de fideicom. libert.* Cujac. *C. eod & ad lib. 58.* Paull. *ad edict. sive l. 5. ff. de fideicom. lib.*

(c) *l. 5. ff. eodem.*

XXVIII.
DE S. C. ARTICVLEJANO.

(d) *l. non tantum 51. ff. de fideicom. libert.*

(e) *l. 28. §. si quis ff. de fideicom. libert.*

Digitized by Google

XXIX. DE S. C. VITRASIANO.

At cum aliquando contingeret, ut testator libertatem ex fideicommisso relinqueret pluribus heredibus institutis, inter quos aliquis erat infans, qui manumittere non juberetur; absurdum videbatur, ut quod is fari non posset, atque aliis heredibus vendere partem suam, impediretur (a) libertas, quae ab aliis praestari poterat, tantum ab infante non poterat. (b) Idcirco Sulpitio Galba, Vitrasio Pollione Coss. Senatus jussit, ut perinde esset, ac si infans partem dominii suam vendidisset. Ideo coheredes liberato jam servo precii nomine infanti tenebantur, ac si ex causa judicati cum iis ageretur. Itaque quod natura negaret, lex praestabat: lex enim pro infante loquebatur, ac partem dominii coheredibus vendebat.

(a) *L. cum quaesitum 30. §. si plures ff. de fideicom. lib.*

(b) Hottoman. *de S. C.*

XXX. DE S. C. NONIANO.

Et haec quidem S. C. pertinent ad eos servos, qui aliena beneficentia redeunt ad naturalem libertatem. Sed non raro servus ad libertatem, libertus ad ingenuitatem in judicio proclamabat, ut ex sententia judicis in meliorem statum se revocaret: dominus autem, cujus intererat servum, aut libertum, in servili, aut libertina conditione permanere, propter benevolentiam erga servum erat indulgentior, & contendebat quidem in judicio, sed leniter, ac remisse, ut scilicet a servo, qui cum de compacto agebat, ac lusorie confligebat, in judicio superaretur. Qua arte pessimi quique servorum ignavia, & imbecillitate dominorum civitatem Romanam assequebantur; nominis autem Romani dignitas pessimorum civium turpitudine polluebatur. Ideo Domitiani temporibus has

Digitized by Google

has fraudes Senatus rescecuit; obscurum quo anno, quib[illegible]e Coss. Siquidem hoc S. C. alicubi Juniani nomen praefert, & adscribitur Domitiani Caesari, & Appio Junio Sabino Coss. an. A. V. C. DCCCXXXVI, alicubi vero Numianum appellatur, ut in tit. Codicis de collusione detegenda. Quam lectionem Cujacius in parat. (a) emendavit ex Basilicis, ubi legitur τὰ τῶν νυνίων δόγματα ἔγγραφως ὁρισθέντα: & reposuit *Ninnianum* a Ninnia gente, de qua fuit Trib. pleb. ille, qui intercessione sua restitutit Clodio iniquas rogationes in M. Tullium ferenti. (b) Possumus ex Haloandro levi mutatione legere Nonianum, (c) illudque referre ad T. Nonium Asprenam, & M. Arricinum Clementem Coss. sub Domitiano anno V. DCCCXLVI. Hoc autem S. C. is, qui liber, vel ingenuus in judicio pronunciatus fuit colludente domino in judicio cum servo; delationis praemio servus vel libertus fiebat delatoris, qui abditam fraudem prodiderat: exemplo grassatoris, qui principis liberalitate servus illius fit, a quo captus fuit, & vinctus. (d) Eam vero fraudem deferre ac detegere licebat omnibus quamvis extraneis (e) ex oratione Marci. Et quoniam qui captat injusta, merito sibi reditum intercludit ad justa; ideo libertus, qui se in ingenuitatem petiisset, deinde rescissa sententia ingenuitatis ad libertinam conditionem rediisset, non recuperabat amissum jus aureorum annulorum, quod post manumissionem impetrarat. (f) Haec autem actio post quinquennium continuum perimebatur. nec enim licet nisi intra quinquennium sententiam status retractari, (g) ac vivente tantum eo, cujus de

(a) *Tit. Cod. collus. detog.*

(b) *Dio lib. 38. Cic. epist. 23. lib. 3. ad Attic. cum.*

(c) *Gothof. ad l. 1. C. de collus. detegen.*

(d) *l. 2. C. quibus ad liber. proclam. licet. ubi Cujac. in notis. Col. ff. collus. detegi.*

(e) *l. 2. §. 4. ff. de collus. detog.*

(f) *l. 2. ff. jur. aur. annul. ubi Cujac.*

(g) *l. 2. ff. de collus. detog.*

de statu agitur: nam mortuo eo, qui fuerat ingenuus pronunciatus, deinde in status contentiam vocatus; institutum judicium statim dissolvitur; idque constitutum fuit S. C. quod Marci orationem excepit. (a) Nefas enim visum est retractatione sententiae, atque quaestione προγυμνάσεως mota laedere manes, & turbare cineres defunctorum. Quamobrem tum potest de statu defunctorum (b) quaeri post mortem, si quaestio ad augendam defuncti conditionem instituatur, veluti si qui libertinus fuerat pronunciatus, petatur ut ingenuus priori sententia retracta declaretur; vel si quaestio ea praecipua non sit, sed ad aliud judicium dirigatur, veluti si in judicio successionis de statu defuncti quaerendum occurrat: ut quaestio ad illius statum evertendum minime tendat: dum ne tamen quinquennium excesserit: nam post quinquennium ne incidens quidem quaestio de statu defuncti tractari potest, quod omnium primum edixisse Nervam Callistratus tradit. (c) Idque Marci Antonini temporibus S. C. comprehensum fuisse colligitur ex Capitulino, ac ex libris juris. (d) Quod etiam Tito Vespasiano, Suetonio teste, tribuitur. Poterat autem libertus ad ingenuitatem proclamare etiam post manumissionem, quae minime officiebat ingenuitati, si ea repeteretur per quinquennium, atque in judicio probaretur; vel si post quinquennium emerserint instrumenta, & probationes ingenuitatis: eoque judicio liber homo generi, atque origini suae reddebatur: dum ne cum ingenuitate quidquam e domo manumissoris efferret, quod ei tanquam liberto, aut ex bonis manumis-

(a) *l. 14. fed interdum ff. ne de ſtat. defunct. Cujac. ad l. 2. ff. jur. aur. anul. ſive 15. reſp.* Papin.

(b) *l. principaliter 19. C. de liber. caus. Cuj. ad l. 2. ff. jur. aur. annul.*

(c) *l. 4. ff. ne de ſtat. defunct.*

(d) *l. 1. ff. eod. l. 4. C. ubi Gothof. Cujac. 6. eod.*

Digitized by Google

missoris fuerat adquisitum; nam si ex possessione servitutis quis se in libertatem vindicasset, ea tantum exportare poterat, quae in domum cujusquam intulisset. (a) Quod cautum fuit S. C. cujus vetustate nomen intercidit. Qui vero liber, aut libera se venumdari pretii capiendi causa patiuntur, iis odio turpitudinis ex S. C. prohibetur ad libertatem proclamare. (b)

(a) *l. 2. C. ingen. manumiss. l. de bonis ff. lib. caus. l. 3. ff. si ingen. esse dic.* Cujac. *ad tit. C. de ingen. & manumiss. l. 23. ff. liber. caus. Ordinem liberalis causae vide apud* Cujac. *obs. lib. 18. c. 23.*

(b) *l. 3. ff. quib. ad libert. proclamare non licet.*

At quoniam Claudianis temporibus gliscebat supra modum amor ingenuarum mulierum erga servos alienos, atque hi foemineis illecebris ab operibus, & servitio abducebantur; ingenuarum autem mulierum fama, & proles servilis libidinis labe suffundebatur; Pallantis liberti monitu inventa ratio est, qua ingenuarum turpia cum servis commercia dirimerentur. Itaque Sylla, & Othone Coss. an. A. V. C. DCCCIV. Claudius Caesar in Senatu ea de re orationem habuit, & in illius sententiam S. C. factum est, quod Claudianum ab auctore, & suasore Claudio fuit appellatum. Id mirum cur Vespasiano Suetonius tribuat, cum ei manifeste resistant libri Jurisconsultorum, & Tacitus. (c) In quo Taciti loco Lipsius, adprobante Cujacio pro *invito domino*, reposuit *ignaro*. Petrus Faber *ingrato* sive *invito* prisca locutione, quae frequens est apud Plautum; ut autem Suetonio simus aequiores, libenter accipimus conjecturam Lipsii, qui exoletum jam hoc S. C. Vespasiani temporibus restitutum arbitratur; atque ob id Vespasiano adscriptum a Suetonio. (d) Claudiano igitur S. C. comprehensum est, ut quae mulier ingenua concubuisset cum alieno servo invito domino, si

XXXI. De S. C. Claudiano.

(c) *lib. 12. c. 53. annal.* Vlpian. *tit. 11. §. maxima.*

(d) in Vespasiano *c. 11.*

Digitized by Google

si dominus ter denunciasset, sive prohibuisset septem testibus civibus Romanis praesentibus; tum ea mulier post sententiam Praetoris, praesidisve, ap. quem suas denunciationes dominus professus esset, capite minuta in servitutem redigeretur illius, ad quem pertinebat servus: ita ut simul cum capite bona etiam sua secum sub ejusdem dominio transferret, dummodo invito domino alienum servum pellexisset. Ceterum si dominus sciens prudens neglexisset, probassetve, Cujacius, ut & Lipsius, non servam, sed libertam fieri existimavit. (a) Lipsius enim expuncta vulgata, retinuit hanc Farnesiani Codicis lectionem; *ut ignaro domino ad id prolapsa in servitute: si consensisset pro liberta haberetur.* Quae lectio sententiam tribuit S. C. satis incivilem. Nec enim sola honestatis ratio peperit hoc S. C., sed etiam utilitas dominorum, a quorum servitio servi muliebribus illecebris abstrahebantur, ut Theophilus tradit. quam jacturam ab ipsa muliere praestatione servilium operarum reparandam Senatus censuit. quae poena mulieri a domino remissa videtur, dum ei conjugio consentit; ideoque causa non supereſt, qua mulier ingenuitatem amittat. Libertam vero manere qui convenit uxorem servi, cum quo vel nullae sunt nuptiae, vel si fuerint ejusdem cum marito conditionis esse uxorem oportet? Quamobrem consentiente domino liberam mansisse putandum est, ac nullas prorsus fuisse nuptias. Cum haec ita se habent; scrupulum tamen nobis injicit Paullus, qui lib. 4. sentent. tit. 10. scribit: *Ad filiam ancillam, vel libertam ex S. C. Claudiano effectam legitimam matris intestatae be-*

(a) Cujac. ad tit. C. de S. C. Claud. & lib. 21. obs. 16.

hereditatem pertinere non posse : quia neque servi, neque liberti matrem civilem habere intelliguntur. Quorsum illa : *vel libertam ex S. C. Claudiano effectam :* nisi aliquando contingeret, ut ex S. C. Claudiano mulier libertinam conditionem subeat, nempe domino adprobante conjugium? (a) Ob haec tamen ab humaniori sententia minime decedimus : potuit enim filia ex S. C. fieri ancilla domino improbante conjugium, deinde liberta per manumissionem. In quem sensum hunc locum a Cujacio acceptum invenimus in suis ad Paulli sententias notis. Aliisque in locis idem Cujacius tradit (b) consentiente domino integram esse mulieri libertatem: ideoque patrem, qui per causam depositi dotem dederat filiae servo nupturae, non actione dotis repetiturum quod dederat, (nullum enim est inter servum, & liberam matrimonium) sed actione de peculio ex causa depositi : quod Paullus respondit. (c) Nihil igitur in vulgata Taciti lectione tentari fas arbitror, praeter ea verba *pro libertis habeantur :* ubi levi mutatione legere malim *pro liberis habeantur.* Quid hoc enim monstri est, ut ex ea muliere, quae ingenua concepit, vel servi nascantur, ut Cujacius scripserat, (d) vel liberti, quae opinio ex vulgaribus Taciti editionibus in vulgus interpretum manavit? quasi possit quis esse libertus, qui servus nunquam fuit? Non igitur ex sententia S. C. sed ex constitutione Valentiniani, cui usus & effraenatior in dies libido mulierum remedium

(a) Cujac. *obs. 21. cap. 16, & ad tit. C. de S. C. Claud. tollen.*

(b) *Ad l. Lucius 27. ff. depositi. sive ad lib. 7. resp. Paul.*

(c) *Vide* Gothofr. *C. Theod. ad S. C. Claudianum & Paul. 2. sent. 21. §. 1.*

(d) *lib. 21. obs. 16. ex l. 6. & 11. C. Theod. ad S. C. Claud.*

Digitized by Google

suggesserat acerbius, arbitror eam filiorum inductam esse servitutem, (a) nec enim id tamquam novum jus, novamque poenam Valentinianus constitueret, si S. C. Claudiano comprehenderetur. Qua de re Lipsio assentior, & Petro Fabro de vulgata lectione ambigentibus. (b) Quod si liber homo ancillam alienam sibi junxisset? minime in S. C. incidebat, cum eo verba non porrigantur, (c) tantum productum fuit hoc S. C. ad servos adscriptitios, ut eorum conditionem subiret mulier, quae se illis permisisset. Idemque jus apud Longobardos, & Francos permansisse Cujacius in eorum legibus observavit: (d) Justinianus tandem S. C. hoc funditus sustulit: quo aggere dejecto mulierum effrenata libido nimium quantum exundavit?

(a) *l. 6. C. Theodos. ad S. C. Claud.*

(b) *lib. 1. semest. c. 25.* Lipsius *ad* Tacit. *ann. 12. cap. 53.*

(c) *l. 9. C. comm. de success. l. 3. C. de liber. caus.*

(d) *ad tit. C. S. C. Claud.*

XXXII. DE LEGE VECTII LYBICI.

Et haec ad privatos servos pertinent. Eruamus nunc si quid ad servos pertinet publicos, quibus Respublica utebatur, ut tabulariis praeessent, atque scripturis publicis conficiendis vacarent, singulorumque civium nomine stipularentur ea, quae essent ex necessitate, aut usu privatorum, si forsan per aetatem ipsi non possent, quandoquidem liberi homines pro aliis inutiliter stipulabantur; ideo servi adhibebantur publici antequam Arcadius, & Honorius hoc munus ab iis ad liberos homines transtulissent. (e) Similis mos erat apud Athenienses, qui servos publicos Quaestoribus adjungebant ad conficiendas accepti, & expensi rationes, quos, si fides Quaestorum in suspicionem vocaretur, torquere possent: ut ex iis verita-

(e) *l. generali in fin. C. de tab. lib. 10.*

Digitized by Google

tatem elicerent; cum minime licet civem torquere Athenienſem, ut nec Romanum. Hos igitur ſervos Romana Reſpub. cum manumitteret, non faciebat cives Romanos ſed Latinos. Verum lege Vectii Lybici imperatum eſt, ut manumiſſi a Repub. cives Romani fierent, cumque lex haec tantum Vrbem, & municipia Italica teneret, prolata deinde etiam eſt ad municipia provincialia (a) ex S. C. facto Juventio Celſo, & Neratio Priſco Coſſ. Itaque hanc nobis legem Cujacius explicatam dedit. Aliqui, atque in his Antonius Auguſtinus legunt Vectibulicia, quod corruptum eſt ex nomine Vectii Lybici. Fuit enim Romae Vectiorum familia, de qua L. Vectius, quem Dion tradit detexiſſe conjurationem Catilinae, & Vectius Rufus, qui fuit Praefectus Vrbi. (b) Atque his quidem S. C. & legibus ſervilis condito gubernabatur: huic proxima eſt conditio liberorum hominum, quos civilis ratio propter aetatis, mentis, aut ſexus imbecillitatem alienae poteſtati ſubjecit: quam minimam capitis deminutionem auctores juris appellarunt.

(a) *l. 3. C. de ſerv. Reipub. manumiſ.*

(b) *l. 1. C. de bon. matern.* Cujac. *ad tit. C. de ſerv. Reip. manumiſ.*

Ad tutelas igitur primum ingrediamur. Quod jus proprium civium Romanorum factum eſt, ut ex eo excidat quisquis civitatem amittat. Etenim patria poteſtas propria civium Romanorum eſt: tutela autem eſt eadem, ac patria poteſtas, vel teſtamento patris, vel a lege in defuncti patris liberos continuata, & producta: unde ad quos patria poteſtas extenditur, eosdem impuberes, patreque orbatos tutela complecti-

XXXIII. DE LEGIBVS TVTELARIBVS, ET LEGG ATTILIA, JVLIA, TITIA.

Digitized by Google

tur. Quae teſtamento venit, teſtamentaria; quae a lege legitima nuncupatur. Illam pater confert in quemlibet civem Romanum, quem dignum habeat, cui concredat liberos; hanc tribuunt leges agnatis, quibus pro gradibus ſucceſſionis cura, & defenſio rerum pupilli, atque perſonae traditur. At ſi nullus teſtamento ſit datus tutor, nec agnatus ſuperſit aliquis, qui pupillum ſibi tuendum ſuſcipiat, aut foeminam; vel ſi tutoris teſtamentarii exercitium ab incerta conditione pendent; vel ſi ex die tutor ſit datus; vel ſi idem ſit apud hoſtes; vel ſi herede deliberante dilata ſit hereditatis aditio ex teſtamento; tutor ex lege Attilia dabitur: ita tamen, ut ſi nullus datus ſit teſtamentarius, detur ex lege usque ad pubertatem; ſed ſi datus quidem fuerit teſtamento, verum ex cauſis ſupra demonſtratis impediretur; tutor ex eadem lege dandus eſſet, quoad impedimentum duraret, (a) & a Praetore in Vrbe, atque a majore parte tribunorum plebis: qui ſicuti una cum Praetore conſcribunt edicta, (b) ita & una tutorem dabunt. (c) In provinciis vero tutor dandus eſſet provincialibus, aut iis, qui ibi domicilium habent ex lege Julia, & Titia, a Praeſidibus, vel Magiſtratibus cujusque municipii juſſu Praeſidum: ſiquidem datio tutoris non tranſit cum jure Magiſtratus, ſed praecipua lege conceditur, qua lege opus non fuiſſet, ſi Magiſtratus jure transiret. (d) Hodie vero jus (e) hoc dandi tutoris jurisdictioni cohaerere Baldus exiſtimat: vulgo enim tutores a quolibet magiſtra-

(a) Vlp. *tit. xi. lib. pr.*

(b) Cic. *de of. fic. 3.*

(c) Cujac. *in not. marg. ad Inſtit. tit. de Attil. tut.*

(d) Govean. *ad tit. de jurisdict.*

gistratu dantur. (a) Meminit etiam Vlpianus tit. XI. legis Juniae, quae tutorem fieri jubet Latino, aut Latinis impuberibus eum, qui etiam ante manumissionem ex jure Quiritium erat: nempe cujus falsa servitus patuerat, eodemque titulo refert Latinum libertum vetitum fuisse ex l. Julia tutorem dari. Attiliae autem legis certa tempora indicare non ausim. Tentari posset latam ante Philippum, & Albinum Coss. anno A. V. C. DLXVII: cum in historia ejus anni apud Livium (b) mentio sit tutoris a Tribunis, & Praetore petiti, quod Sigonius observavit. (c) Quamobrem referri posset ad annum Vrbis CDXLIII. ut a L. Atilio Trib. pleb. rogatam arbitremur. Ab hac lege recessum videtur Claudii temporibus, qui per Consules ex inquisitione tutores pupillis utriusque sexus dari jussit, (d) idque abrogatum fuit ab Antonino Philosopho, a quo Praetorem tutelarem institutum fuisse refert Capitolinus in Antonino. (e) Adjectae vero sunt ex constitutionibus cautiones a tutoribus exigendae *rem pupilli salvam fore*, & ex iisdem data facultas compellendorum tutorum ad administrationem tutelae: quae antea Magistratus potius officio expediebantur, cum nihil superioribus legibus caveretur, & memoratur (f) S. C. Trajano auctore, quo datur actio utilis, vel in factum in Duumviros, qui Magistratus erat municipiorum, si tutores, vel curatores dando, neglexerint ab iis exigere cautionem *rem pupilli salvam fore*, aut minus idoneam exegerint. Demum Justinianus si pupilli,

(a) Goth. ad tit. Instit. de Attil. tut.

(b) lib. 39.

(c) lib. 1. de antiq. jure Civium Rom. cap. 13. de jure tutelar.

(d) Theoph. Inst. lib. 1. tit. 20.

(e) l. cum plures ff. de tutel. l. 4. ff de excus. l. si quis ff. de testam. tut.

(f) l. 4. C. de Magist. conven.

Digitized by Google

vel adulti facultates quingentos ſolidos non excedant, a defenſoribus civitatum, una cum Antiſtite ſacrorum, vel aliis magiſtratibus tutores dari conſtituit. (a) Plura autem S. C. prodierunt, ut in locum furioſi, ſurdi, muti, alii tutores dentur. (b)

(a) *l. 30. C. epiſcop. audi.*
(b) *l penult. ff. de tutel.*

XXXIV. DE MVLIEBRI TVTELA, ET LEGE CLAVDIA.

Et hac quidem lege conſultum eſt praecipue impuberibus. Foeminae vero etiam pubetes, propter infirmitatem conſilii, perpetuae tutelae, ac auctoritati alienae ſuberant, jure ſane antiquiſſimo, nempe Attico, quod in mores, & jus Romanorum permanavit. Nam ut Budaeus in linguae graecae commentariis (c) obſervavit κύριος dicebatur mulierum tutor, quem omnibus mulierum actibus apud Graecos intervenire oportuiſſe colligitur ex Cic. pro Flacco. *Nam emtiones*, inquit, *falſas praediorum proſcriptiones cum mulieribus aperta circumſcriptione feciſti: tutor his rebus Graecorum legibus adhibendus fuit.* Igitur & moribus Romanorum, ut idem pro Muraena ſcribit, mulieres perpetua tutela continebantur, earumque non ante tutela ſolvebatur, quam conveniſſent in manum. Matresfamilias enim, ut alibi diximus, certis ſolemnitatibus nubentes, re divina peracta, farreque, ut mos erat veterum ſacrificiorum, adhibito, convenire dicebantur in manum viri, ſive in poteſtatem; quia in ejusdem viri domum ſe, ſuaque omnia transferebant; ita ut in dominium viri transirent jure mancipii: ac propterea in alienam familiam commigrantes, capite minuebantur, ideoque ſo-

(a) *pag. 44, & 45.*

Digitized by Google

solvebatur etiam tutela, quae in libero capite tantum insistit, & quavis capitis diminutione perimitur. (a) Institutum enim fuerat a Romulo, ut Dionysius tradit, id quod nunc etiam retinemus, ut inter conjuges esset, divinarum, atque humanarum rerum societas, & sacrorum omnium communio. Foeminas igitur innuptas agnatorum proximior jure tutelae regebat: eadem prorsus auctoritate qua continentur impuberes: quorum negotia omnia gerebant tutores, & auctoritatem interponebant; puberum vero mulierum negotiis gerendis tutores tantum auctoritatem praestabant. Mulieri enim nullo tutore auctore bene solvebatur; pupillo minime, ut docet Cicero. (b) Vt igitur omnibus negotiis mulierum, ita & nuptiis contrahendis praeerat tutoris auctoritas, sine qua in viri manum convenire non licebat. Ne vero agnatus; qui semel tutelam susceperat, eo onere quoad mulier nuberet premeretur, institutum fuit, ut alteri a se proximiori eam in jure cedere posset: quae *cessitia tutela* dicebatur, indeque *cessicius tutor*; ut tamen qui semel tutelam susceperat exercitium illius per cessionem conferre posset in alium, non autem ipsum tutelae jus, quod ab se abdicare non poterat. Hinc mortuo eo, cui cessa fuerat, exercitium tutelae remeabat eodem unde discesserat. (c) Hanc mulierum puberum tutelam plerique, quorum dux Cujac. sublatam prorsus arbitrantur lege Claudia, cujus anceps est, & crebris eruditorum disputationibus jactata sententia.

(a) Cic. *in topic. ubi* Boët. Brisson. *de ritu nupt. pag. 16.*

(b) *in topic. ubi* Boët. Bris. *de ritu nupt. pag. 24, & 27.* Vlpian. *tit. 11. §. pupillorum.*

(c) Vlpian. *tit. 11.*

Digitized by Google

(a) *Vide* Gifan. *qui de fond.* Cujac. *ad l. unic. C. ubi tut. vel curat. pe tan.*

tia. (*a*) Peperit omnes controversias Vlpianus, cujus hic verba describam. (*b*)

(b) Vlp. *tit. 11. verb. cessitia.*

Quantum, inquit, *ad agnatos pertinet hodie cessitia tutela non procedit, quoniam permissum erat in jure cedere tutelam foeminarum tantum, non masculorum. Foeminarum autem legitimas tutelas lex Claudia sustinet.* Cujacius pro *sustinet* reposuit *sustulit.*

(c) *Variar. lib. I. c. 10.*

Id Raevardus non probavit, (*c*) & auctoritatem Cujacii veritus, suppresso nomine hanc emendationem explosit; propria vero sententiam tam obscure proposuit, tam perplexe, ut palam ostenderit non tam in animo habuisse confirmare suam, quam reprobare alienam. Id tantum perspicue tradit *sustinere* hic accipiendum esse pro *differre*, ut accipitur in l. 42. ff. noxa lib. action. & apud Cic. ad Attic. lib. 11. qui *sustinere solutionem* dixit pro *differre.* Secutus hunc est vir omni eruditione insignis Jacobus Gothofredus, qui sibi hanc verbi explicationem arrogavit,

(d) *l. 2. C. Theod. de tut. & curat. cretan.*

(*d*) eaque confisus aperte Cujacio restitit, ac sublatam tantum censuit a Claudio cessionem in jure, nempe cessitiam tutelam, ne quod onus semel agnatus subierat, deponere umquam posset, ideoque scripsisse Vlpianum lege Clauidia muliebres tutelas *sustineri*, sive *differri*, cessitia omnino sublata. Sunt qui sensum Cujacii retineant, emendationem repudient, inter quos Theodorus Marcilius, (*e*) qui non dubitat *sustinere* verbum accipere pro *inhibere:* ut retenta lectione vetere sententiam colligat eamdem, quae in verbo

(e) *ad leg. 12. Tab.*

sustu-

Digitized by Google

sustulit a Cujacio repositio continetur: adducitque Cic. Epist. 21. lib. 13. ad Attic. ex qua contendit *sustinere* accipiendum esse pro *inhibere*. Quod est falsum; scribit enim Cicero: *arbitrabar sustineri remos, cum inhibere essent remiges jussi:* non quod idem sit sustinere, & inhibere; sed quia credebat Cicero suspendendum esse remigium, quando nautae jussi essent inhibere: verum postea compererat non suspendi remigium, cum jubentur inhiberi, sed alio modo moveri remos, & navem converti ad puppim, ac retro impelli, quod Tucydides dicit πρύμναν κρέσσθαι. At me Gothofredo adjungit Vlpiani locus tit. de tutelis §. moribus. Ait enim Vlpianus: *moribus tutorem dari mulieri pupillove, qui cum tutore suo lege vult agere, ne tutor sit in re sua auctor:* ideoque tutorem alterum jurisdictione Praetoris exercitari, quo auctore mulier pupillusve cum tutore contendat. Cum enim Vlpianus pupillum a muliere secreverit, palam facit suo tempore non pupillarem solum, sed & muliebrem permansisse tutelam; siquidem si muliebris tutela suis temporibus peremta esset, mentionem tantum pupillaris tutelae faceret. Non negaverim jussisse Constantinum, (a) ne patruus mulieris tutelam recusaret. Vnde quaeri posset cur opus fuerit Constantini lege, si jus antiquum vigebat, ex quo ad patruum ex agnationis ordine muliebris tutela perventura erat? Nimirum hinc suspicari licet plura fuisse legis Claudiae capita, quorum vix nunc vestigia retinemus: ac praeter id quo cessitia tutela tollebatur:

(a) *in C. Theod. de tutor, & curat. creand. & l. 3. C. legitis.*

Digitized by Google

batur: extitisse forsan & aliud, quo mulieres eximebantur tutela patruorum, quorum intolerabilis erat asperitas. Quod sane ferox patruorum ingenium veteri erat proverbio tritum, unde illud apud Poëtam:

Ne sis mihi patruus oro.

Facile igitur crediderim sub mulieroso ac imbelli principe, quo imperante foeminarum impotentiae, atque libidini divina omnia, & humana cesserunt; mulieres quia sibi norant omnia procedere, opportune patrui jugum, flexa principis ad id auctoritate, dejecisse: Constantinum vero imperium patruorum, suscitato jure antiquo, restituisse. (a) Scio aliud excogitasse Jacobum Gothofredum: suum tamen cuique in re tam obscura judicium liberum esto: mihi certe haec ratio videtur cum temporibus, & legislatoris ingenio convenire. Ceterum Justinianus muliebres etiam tutelas pubertate solvi jussit, quod est receptum, si peculiaris regionis mos non adversetur. Illud minime praetermittendum, mulieres olim exemtas fuisse tutorum potestate, si vestales fuissent, vel tres filios peperissent, quod arbitror ex lege Papia profluxisse. (b) Hinc illud apud Pithoeum juris veteris fragmentum: *Mulier sine auctoritate tutoris manumittere potest, si jus habeat liberorum.* (c) Perinebat etiam ad muliebres tutelas caput aliud legis Juliae de *maritandis ordinibus*: quo capite, ut ibi latius exponemus, tutor dandus erat mulieri, virginive legitimo tutore destitutae ad

(a) Vide Rittersh. *ad l. I. XII. tab. pag. 110. cap. 14. pag. 3.*

(b) Plutarch. *quem adducit Lipsius ad* Tacit. *annal. lib. 3. cap. 25.*

(c) Lipsius *ibidem.*

Digitized by Google

ad dicendam promittendamve dotem; quod ex S. C. ad eas mulieres, quae tutorem quidem habent legitimum, sed vel furiosum, vel mutum, vel absentem; opus autem fuit hoc S. C. quia etsi res poscat, ut alius tutor detur: regula tamen juris obstabat, quae vetat, ne tutor detur tutorem habenti: item, & alia, ut nullus sit certae rei tutor. (a)

(a) Vlp. *Instit. cap. 11.* Cujac. *in notis ibi verb. ad. dotem dicendam.*

XXXV. DE LEGE LAETORIA.

Proxima muliebris sexus imbecillitati est aetas minor XXV annis, qua aetate fluctuantibus adhuc humoribus corporis, animus incertis jactatur quoque consiliis. Quod Hippocrates significavit, qui comitiales morbos posse sanari scribit ante annum XXV. propterea quod humores, qui adhuc non consederunt, aliorsum deflecti facile possunt. Hinc annum XXV. statuit Galenus pubertatis terminum. (b) Eadem ratione jus civile hoc anno definivit hominis statum, qui graecis dicitur ἀκμή. (c) Idque inductum fuit lege Laetoria sane antiquissima: siqui[illegible]e- jus non obscura mentio est apud Plautum in Pseudolo: ubi legem hanc appellat *quinam vicenariam.* Hinc aetas XXV annorum Constantino dicitur legitima: (d) *ubi annos Laetoriae legis egressus legitimam compleverit aetatem:* quia scilicet eo numero annorum minori aetati finis imponitur. Hujus legis haec capita erui ex antiquorum testimoniis possunt. Primo capite cavebatur adolescentibus dissolutis, & lascivis, ac luxu praediris, quibus causa cognita curatores dabantur. (e) Altero capite circumscriptis adolescentibus succurrebatur, ac recidebantur fraudes versutorum homi-

(b) *lib. 5. περὶ φθορῶν.* Cujac. *com. ad tit. ff. de min. 25.*

(c) *l. cum pater §. curat. ff. leg. & fideic. com. 2.*

(c) *l. 2. C.* Theodos. *de donat.* Brisson. *3. antiq. 2.* Cujac. *ad tit. ff. de min. 25. an. & de dol. mal.*

(e) Capitolin. *in* Antonin. Cujac. *com. ad tit. ff. de min.* Jacob Gothofred. *C.* Theodos. *de donat. l. 2.*

Digitized by Google

hominum, qui lucrum aliena ex imbecillitate captabant. (a) Plenius deinde remedium accessit a Praetore, cujus edictum non circumscriptis modo, sed & lapsis adolescentibus opem ferebat: ut non solum alienam fraudem, sed etiam imperitiae suae damnum effugerent, quod non per actionem fit, sed per Praetoris cognitionem. (b) Vetuit autem lex Laetoria, ut apud Priscianum Suetonius lib. 4. Praetorum tradit, adolescentum stipulationes, idemque colligitur ex Plauto in Pseudolo, (c) ex quo etiam deducitur per legem Laetoriam perimi actionem creditorum adversus adolescentem, qua de causa ei credere metuebant. (d)

(a) Cic. *lib. 3. de offic.*

(b) Cujac. *ad tit. ff. min, & de dolo mal.*

(c) *act. 5. scaen. 3. v. 25.*

(d) Lipsi *ad* Tacit. *annal. lib. 11. num. 29.*

Perii, an non tum lex me perdit quina vicenaria
Metuunt credere omnes.

(e) Cic. *lib. 3. de offic. & lib. 3. de nat. Deor.*

(f) Cujac. *ad tit. de min. & dolo malo in princip.*

Postremo legis Laetoriae capite in eos, qui fraudem adolescenti struxissent, publicum judicium constituebatur. (e) Quod tamen est hodie sublatum. (f)

XXXVI. DE LEGE JULIA, ET PAPIA POPPAEA.

Quae adhuc ex antiquis monumentis erutae sunt leges, atque S. C. ad singularum personarum statum respiciunt. Nunc ea jura expendamus quae ad conjunctionem pertinent earum, inter quae sunt jura nuptialia, e quibus, & auctoritate rerum decernendarum, & multitudine capitum, & eruditionis varietate, celeberrima, & amplissima est lex Julia, & Papia Poppaea, ad quam plura condita sunt S. C., quae loco

Digitized by Google

loco suo persequem[illegible]. Legem hanc non tam ratio, quam nec[illegible] expressit ab Octaviano Augusto. Cum enim diuturnum civile bellum Vrbem caede civium, & aerarium ingentibus sumtibus exhausisset; Caesar publicis necessitatibus, singulorum incommodo censuit occurrendum, etenim multa millia armatorum interierant, (a) & Vrbs valde decreverat fuga, & abstinentia nuptiarum. Adeo ut, cum ipsi latores legis Papius, & Poppaeus Coss. coelibes essent, & quaererentur alii, qui liberos haberent, quo illis Coss. praeferrentur, (liberos enim habens in Consulatus petitione praeferebatur) reperti non fuerint cum liberis cives consulatu digni, qui eos in petitione superarent. (b) Itaque Augustus augendae proli coelibatum poenis, conjugia, & multitudinem liberorum praemiis affecit; explendo autem aerario libertatem capiendi ex alieno testamento, magna ex parte praecidit, ac transtulit in populum jura, & lucra privatorum, ut, quod solenne est, publicum commodu[illegible] ex privatorum opibus coactum deflueret ad principem. Cum autem lex haec Papia coërceret civium cum in testando, tum in nubendo libertatem: Jurisconsulti aequitati magis, quam principum consiliis, legisque severitati studentes; ita ea interpretabantur, ut quantum in se fuit, vires illius fregerint, atque inciderint. Huic autem legi tam multa Jurisconsultorum responsa, & fragmenta veterum sunt implicata; ut qui hac luce careat, in cursu juris civilis passim offendat, & prolabatur; tantique usus,

(a) Scholiast. Horat. *in carm. saecul.*

(b) Dio. *53. vide* Cujac. *ad tit. C. de caduc. toll.* Tacit. *lib. 3. annal.*

Digitized by Google

sus, & auctoritatis diu fu[illegible] leges hae Julia, & Papia, ut propter celebri[illegible]n earum, *leges κατ' ἐξοχήν* appellarentur. Harum legum inscriptio, non modo Papium, & Poppaeum Coss. sed & ipsum Julium nomen praefert: tum quia primus Julius Caesar Dictator censuram agens, ut nova sobole absumtam bellis civilibus Vrbem expleret, multitudini liberorum praemia constituit; (a) tum etiam quia & Augustus, quem saepe Julium appellatum legimus, anno A. V. C. DCCXXXVI. coelibatum poenis damnaverat, nuptias extulerat praemiis. Quae tamen lex rejecta multitudinis dissensu fuit: unde Propertius.

(a) Dio. *lib.* 43.

Gaviſa eſt certe ſublatam Cinthia legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu,
Ne nos divideret.

Horatius autem in carmine saeculari faustum exitum precatur his legibus.

Diva producas ſobolem, patrumque
Proſperes decreta ſuper jugandis
Foeminis, prolisque novae feraci
Lege marita.

Etenim sub extremum imperium, lenita severitate poenarum, lata denuo lex est a Papio Mutilo, & Q. Poppaeo Coss. anno A. V. C. DCCLXII. (b) quae demum tenuit, in eamque Consulum rogationem prioris legis capita relata fuere, indeque appellata lex Julia, & Papia Poppaea, ut tamen Julia potissimum ad contrahenda matrimonia; Papia vero ad suscipiendos liberos referretur. (c) Sane ante has

(b) Dion. *lib.* 56. Isid. *ſ. orig. ſ.*

(c) Cujac. *ad tit.* Vlp *16. §. qui intra, verb. neutri legi.*

Digitized by Google

has leges, quamvis nulla poena esset a jure constituta, coelibes tamen aliqua ignomina per Censores notabantur exemplo Lacedaemoniorum. (a) Vnde extat apud Gellium oratio Metelli Numidici, (b) qui censor matrimoniorum frequentiam suasit. Et quoniam norat neque cum uxore satis commode, neque sine uxoribus vivi omnino posse; propagationem prolis, & utilitatem publicam, tranquillitati privatae censuit anteferendam. Ejusdem orationes auctoritate, ac verbis Augustus, & legem suasit suam. Hinc lex Ciceroni conficta in libris de legibus: *Coelibes esse prohibento.* Coelibem autem Cujacius dictum putat (c) quasi κοίλιψ, κοιλίαν λείπων, ventrem linquens. Harum capita legum, quae mutilata supersunt ex veteribus monumentis, diligentius eruit, & quantum humanae licuit industriae ad pristinum suum ordinem revocavit Jacobus Gothofredus, ad cujus fere indicia ordinem nos disputationum nostrarum pertexemus. Ad haec autem capita universae, quas habemus, harum legum sententiae referuntur. Primum caput erit de maritandis inter se civium ordinibus: Alterum de irritandis nuptiis eorum, qui fuerint procreandis liberis inhabiles. Tertium de praecidenda libertate differendarum nuptiarum. Quartum de poena eorum, qui contra hasce leges nupserint. Quintum de privilegiis legitimi connubii. Sextum de praemiis susceptorum liberorum. Septimum de removendis nuptiarum, & prolis impedimentis. Octavum de modo divortiis imponendo.

(a) Dion. lib. 43.

(b) Vide epito. Livian. lib. 59.

(c) ad tit. C. de caad. toll.

No-

Digitized by Google

Nonum de poenis coelibatus, & orbitatis. Decimum de augendo jure patronatus pro numero liberorum in libertorum bonis. Primum vero caput, quod erat de maritandis ordinibus legi nom[illegible]dedit universae. Eo capite nuptiarum frequentia ita invehebatur, ut ne tamen Senatorius sanguis ignominia servili pollueretur. Eo autem tempore longe major erat ingenuorum, quam ingenuarum numerus. (a) Itaque venia data est legitimarum nuptiarum inter ingenuos, & libertinas; Senatoribus tamen, eorumque filiis tam naturalibus, quam adoptivis, (b) & emancipatis, & a Senatore in adoptionem datis, (etiam ei, qui sit inferioris ordinis,) natisque post mortem patris (non autem conceptis, & natis post patrem Senatu motum, hi enim Senatoris filii non habentur:) item nepotibus ex filio licet Senatu moto: (sufficit enim avita dignitas,) (c) pronepotibusque ex filio vetitum fuit sponsam, uxorumve habere libertinam, vel eam, quae aut palam corpore quaestum faceret, feciss[illegible]etve, aut artem ludricam exerceret, ejusdemve exercitii patrem, aut matrem haberet, habuiss[illegible]etve. (d) Quamvis autem dignitas Senatoria omnino obveniss[illegible]et post libertatem matrimonii causa datam; abstinendum ei tamen erat a libertinae nuptiis; siquidem eas nondum contraxiss[illegible]et: nam si contraxiss[illegible]et ante ademptam Senatoriam dignitatem, quamquam antea dubitabatur, an nuptiae manerent, Justiniano tamen inhumanum visum est ob eventum solvi nuptias, a quibus initio vitium abfuiss[illegible]et. (e) At si post nuptias vir exciderit Sena-

(a) Dio *lib. 54. in gest. ann. 736.*

(b) *l. 6. & 7. ff. de Senat.*

(c) *l. 7. §. ult. ff. eod.*

(d) *l. 44. in pr. ff. de ritu nupt.* Theophil. *Inst. quibus ex caus. manumit.*

(e) *l. penult. C. de nuptiis.*

Digitized by Google

Senatoria dignitate, consistere matrimonium Vlpianus censuit, cum dignitas, quae obstiterat, fuerit imminuta. (a) Caput autem hoc ad nuptias pertinens, passim immutatum est novella 117. Justiniani, a quo etiam constitutum est, (b) ut mulieri scaenicae, quae se ad honestum vitae institutum contulisset, cum quolibet etiam dignitate praedito nuptiarum potestas esset. (c) Ob eamdem honestatis causam libertinus etiam ingenuo adrogatus, aut alius, qui artem ludricam exerceat; vel a parentibus eam artem exercentibus descendat, ducere prohibetur filiam Senatoris etiam Senatu moti, quae se ad turpem quaestum non convertit: uti & prohibetur ducere neptem, proneptemque ex filio (d) cujus Pater dignitatem amisisset; nisi se turpi quaestu commaculaverit.

(a) l. 27. de ritu nupt.

(b) l. ult. C. de nupt.

(c) l. 9. ff. de Senat. l. 32. & 44. ff. de ritu nupt.

Eae tamen nuptiae quamvis injustae, non irritabantur per hanc legem; sed per S. C. quod Marci orationem est consequutum: (e) qua oratione Imperator suasit, ut quae prius erant illicitae, deinceps nec nuptiae forent. Hoc enim inter injustas intererat, & irritas nuptias, (f) quod in injustis dos constitit, quae post viri mortem caduca fiebat, (g) & ex iis oritur accusatio adulterii: ab irritis vero, nec adulterii accusatio, nec dotis actio proficiscitur. (h) Verum Cujacius docet ex hac lege quidem libertinam non esse justam Senatoris uxorem aut filii, aut nepotis: contra vero non ex hac lege, sed ex oratione Marci filiam, aut neptem Senatoris, non esse justam uxorem libertini hominis. (i) Neque cum laena, aut

XXXVII. DE ILLICITIS NVPTIIS IRRITANDIS SVB MARCO.

(d) l. orationem 16. ff. eod.

(e) Vlp. tit. 16. §. ult. l. 12. §. 1. ff. de adult.

(f) Raevard. var. lib. 4. c. 16.

(g) Gothof. in not. ad l. Jul. & Pap. cap. 1.

(h) ad lib. 4. respons. Papin. l. 9. ff. de Senat. & l. 23. & 44. ff. de ritu nupt.

Digitized by Google

aut ea, quam laeno laenave manumiserit, neque cum muliere publico judicio damnata, & in adulterio deprehensa lex Julia dat ingenuis nuptiarum licentiam. (a) Ingenui autem nomine lex comprehendit etiam eum, qui jus aureorum annulorum impetravit, (b) vel qui fuerit ingenuus judicatus. (c) Damnatam vero publico judicio mulierem, ne ante quidem ductam retinere deinceps Senator potest ex S. C. ad hanc legem adjuncto, cujus meminit Vlpianus. (d) Et quoniam lex non tam sententiam notavit, quam factum: ideo ingenuis abstinendum erat a nuptiis mulieris in adulterio deprehensae, quamvis non damnata, sed absoluta fuisset. Semel enim deprehensa, numquam exuit turpitudinem. (e) Damnatam vero adulterii, quam vir accusaverit post impetratam objecti criminis abolitionem uxorem denuo ducere non prohibetur. (f) Severissimo quoque consilio constitutum fuit his legibus, ne sexagenario major majorem quinquagenaria duceret: propter extinctam spem suscipiendae sobolis; Conjugium autem veteres liberorum seminarium esse voluerunt: (g) unde cujus mulieris alveus exaruit minime dignam nuptiis judicarunt. Quocirca mos erat nubentibus profiteri, liberorum procreandorum causa sese nuptias appetere. Quod colligitur ex his Taciti verbis: *Cum uxore principis praedicta die, adhibitis, qui obsignarent, sese velut suscipiendorum liberorum causa convenire.* Vsus autem docuit in homine majori LX. annis generandi vim esse peremtam; in muliere vero quin-

(a) Vlp. *l. 43 §. 6. 7. 8. & 9 ff. de ritu nupt.* Gothof. *ad hoc caput in notis.*
(b) *l. ult. ff. de jure aur. ann.*
(c) *l. 25. ff. de statu homin.*
(d) *l. 43. §. 10. ff. de ritu nupt.*
(e) *l. 43. ff. de ritu nupt.*
(f) *l. 34. §. ream. ff. eod.*
(g) Lactant. *l. 1. de falf. relig. cap. 16.* Sueton. in Claud. *c. 23.* Vlp. *c. 16. l. 12. C. de legit. hered.* Brif. *de ritu nupt. p. 118*

Digitized by Google

quinquaginta annis majore concipiendi vim periisse: & si Aristoteles (a) generandi vim in homine ad LXX. usque annum virescere scribat, plurimaque supersint exemplа virorum, qui aetate longe majori liberos insperato susceperunt. Vt enim obscuriora, quae sunt sane innumera praetermittamus: certe Masiniſſam regem anno jam sexto, & octogesimo, & Catonem Censorinum octogesimo exacto anno liberos procreasse accepimus: & recentioribus temporibus Vladislaum regem. (b) Afflictus etiam nobilis pragmaticus (c) tradit, se annum ultra sexagesimum natum tres suscepisse liberos. Mulierum autem illustre habemus exemplum a Constantia Henrici Imperatoris uxore, quae quinquagenaria peperit. Ne inanem eruditionis gloriam legentium taedio affectemus, alia innumera praetermittimus exempla, ex quibus, & ex pene perspecta ratione observatores naturalium causarum, inter quos amitimus, & praeceptor olim noster, ac beneficentia plusquam parens Gregorius Caropresius Italorum philosophorum aetate nostra maximus, censent generandi vim in homine, ac in muliere foecunditatem, non solum ex annis, sed etiam ex habitu, & robore corporis esse arguendam. At quoniam lex non ad rariora, sed ad frequentiora naturae convertitur; recte hisce annis generationis tempora finivit. Siquidem hominis vigor sexagesimo fere anno languet, & in mulieribus menstrui sanguinis rivus, sine quo neque nutriri partus posse vulgo autumant, anno plerumque quadragesimo, vel ad

(a) *lib. 5. hist. Anim.*

(b) Aenas Sylvius.

(c) *in constit. Reg. post. mortem §. final.*

summum quinquagesimo exarescit. Ideo lex Papia viris sexagenariis fibulam imposuit, & mulieres quinquagenarias sterilibus comparavit. (a) At si conjuges ad eas aetates evecti prolem ediderint, noluit Justinianus eam sobolem a ceterorum liberorum conditione discrepare. (b) Obsequi enim lex debet non imperare naturae; ideo agnoscere oportet eos, quibus natura praeter modum a lege definitum lucis beneficium dedit.

(a) l. f sterilis ff. ad l. cad.

(b) l. 15. C. legit. hered.

XXXVIII. DE S. C. CLAVDIANO AD L. PAPIAM.

Cum igitur his legibus juxta aetas in homine LX., in muliere L. annorum spatio concludatur: dubitatum fuit, an sexagenario majori liceret minorem L. ducere? & Tiberius Caesar, cui tribuitur S. C. hoc, quod Claudianum appellatur, propterea quod Neronis, & Tiberii plura S. C. Claudiano nomine comprehensa fuerunt ex Claudii nomine, quod utrique retinebant, ut Petrus Faber observavit; (c) Tiberius inquam proibitionem nuptiarum extendit etiam ad matrimonia sexagenarii, cum minori quinquaginta. Etenim quamvis foecundum sit solum, semen tamen deest; unde hujusmodi conjugia plerumque nulla prolis spe defenduntur. Hinc Suetonius in Claudio scribit Tiberium aliquid addidisse capiti legis Papiae [sive *addito* legamus ex vulgatis, sive *adaucto* ex eruditorum interpretum emendatione] atque huic capiti Claudium contraria lege lata obrogasse: quod ex concubitu viri sexagenario majoris, cum minori quinquagenaria spem prolis supersse censuerit: ideoque aliud S. C. Claudianum, idque ab ipsomet Clau-

(c) p. Semestr. 25. & Cujac. 1. observ. 38.

Digitized by Google

Claudio emanavit, (a) quo si major sexagenario minorem quinquagenaria duxisset; perinde habebatur, ac si LX. annis minor nuptias contraxisset. Hinc jure a Jacobo Gothofredo reprehenduntur ii, qui abrogatum fuisse a Claudio caput legis Papiae arbitrantur: cum Tiberii potius explicatio explosa fuerit, ejusque adjectio sublata.

(a) Vlp. tit. 16. Brisson. p. 157. de jure connubii

XXXIX. DE S. C. CALVISIANO.

Si vero major quinquagenaria, minori sexagenario nupsisset: tamquam ex impari matrimonio, & omni prolis spe destituto, dos caduca erat, & fisco cedebat, minimeque proficiebant hae nuptiae ad capiendas hereditates, & legatas dotes. Quod cautum fuit S. C. Calvitiano, vel Calvisiano, cujus apud Vlpianum est mentio: (b) ubi videtur Cujacius malle Claudianum.

(b) tit. 16. Brisson. de jure connub. 159. Jacob Gothofred. hic.

XL. DE S. C. PERNICIANO.

Porro qui aetates hasce ita praefinitas sine nuptiis transissent, solvebantur legibus, (c) & ad priscae libertatis commodum revertebantur. Verum ne ullo umquam tempore coelibatus proficeret, obstitit S. C. Pernicianum, quod perpetuis coelibatus poenis obstrinxit eos, qui aetates legibus praefinitas sine nuptiis, & liberis excessissent. (d) At Justinianus pristina nuptiarum libertate restituta, invidiam harum legum prorsus amovit. (e)

(c) Vlp. tit. 16. §. 3.
(d) Vlp. ut sup. §. 3. Gothofr. ad hoc cap. Brisson. de jure connub. p. 158. Tertull. in apolog. Aug. 3. contra Julian.
(e) l. sanximus C. de nupt. l. 12. C. de legit. her.

Huic capiti Jacobus Gothofredus subtexuit illud de spadonibus: quos vero simile est lege Papia fuisse nuptiis prohibitos, utpote cum generationi non sint habiles. Hinc ex inscriptionibus Vlpiani ad L. Juliam, & Papiam videmus conjunctas fuisse cum harum legum tractatione, disputationes de spadonibus. (f) Et sane qui convenit, ut lex Papia,

XLI. DE SPADONIBVS.

(f) l. 128. ff. de V. S.

Digitized by Google

quae sexagenarios repulit, tulerit spadonum nuptias, quae aeque absunt ab omni spe liberorum; quod unum ac summum fuit legis Papiae studium.

(a) Ramez del Manzano *ad l. Jul. & Pap.*

Nescio igitur cur erudito Hispano, (*a*) qui latissimos commentarios ad has leges edidit, in mentem venerit rejicere caput hoc de Spadonibus a ceteris legis Papiae capitibus, quibus attexuit & alia minime germana. Ceterum spadonis vocabulum late se fundit, complectiturque, tum eos, qui natura vitiati sunt, tum illos, qui sibi virilia praeciderunt, aut contorserunt, & oppresserunt. Atque his sane postremis praecluſam esse crediderim a lege Papia facultatem nuptiarum: non autem superioribus, nempe illis, quorum virilia natura, vel fato sunt vitiata, dummodo generandi vis eo vitio peremta non fuerit. Sunt enim qui alterum, vel ambos testes habent introrsum conditos, & hi spadonum quoque nomine veniunt: generationi tamen sunt idonei, unde lege nulla arcentur a nuptiis: ac in his dotem, & matrimonium, & dotis actionem esse Vlpianus (*b*) tradit non autem in castratis. Nec mirum si nullis eminentibus testibus, integra tamen sit generandi facultas: nam si testes resecti sint imperite, ut relictus sit epidydimus cum segmento coleorum, nec seminalia vasa prorsus effusa fuerint: periti rerum naturalium spem prolis minime adimunt; etenim ex gallis, aliisque animalibus male castratis enatam esse prolem Thomas Cornelius philosophus hoc saeculo insignis observavit: ejusdem enim texturae faciunt epidydimum, & testes, ac glan-

(b) *l. 39. §. 1. ff. de jur. dot.*

Digitized by Google

glandulis oppletum iisdem, quas permeando semen ad generationem exacuitur. Omnis tamen haec nuptiarum prohibitio remitti per populum poterat, ejusque jamdiu erat arbitrium illicitarum nuptiarum gratiam facere. Cujus potestatis exemplum habemus apud Livium, (*a*) a quo traditur Hypalae Feceniae libertinae, cujus indicio nefaria baccanalium sacra detecta fuerunt, inter alia praemia adjectum: *uti ei* [mulieri] *ingenuo nubere liceret.* Quod jus olim populi sibi de more, postea principes (*b*) arripuerunt: olim enim secretum erat jus populi a jure fisci; postea omnia populi commoda traducta fuerunt ad fiscum principis. Hinc titulus Paulli de jure fisci, & populi & Lampridius ista distinguens ait, leges de jure fisci & populi moderatas tulisse Severum. (*c*)

(a) *lib. 39. c. 19.*

(b) *l. 31. ff. ritu nupt.*

(c) Dio *lib. 55.* Vlp. *frag. 16. §. 1.*

XLII.

DE SPONSALIBVS.

A personis ad aetatem contrahendis nuptiis idoneam leges transierunt; earum enim vis calliditate hominum eludebatur: nam quia leges praemia maritis constituerunt; iis non pauci fruebantur nullo suscepto nuptiarum incommodo. Tales erant qui sponsalia cum impubere contrahebant, & qui contractis cum pubere sponsalibus nuptias protelabant. Nullum enim aetatis tempus erat sponsalibus praefinitum, cum statim ac in homine ratio emicat, liceat inire sponsalia, nempe anno aetatis septimo. (*d*) Quoniam autem contractis sponsalibus nuptiae arbitrio conjugum trahi poterant, plurimi sponsalia maturabant, nuptias vero differebant, ut interea maritorum jure fruerentur. Ne igitur quis ex fraudatis legibus lu-

(d) *l. 14. de sponsal.* Leo *novell. 109.*

Digitized by Google

lucrum perciperet; ademit Augustus (a) praemia maritorum sponsis, qui ultra biennium nuptias extraxissent. Quamobrem sponsalium temporibus biennio contractis, tantum qui decennem puellam sibi uxorem petiisset, mariti juribus potiebatur; quia tempora sponsalium, & aetas nuptiarum legitima, quae in mulieribus erat XII. annorum, aequatis intervallis concurrebant: & vir eam ducere tenebatur expleto biennio. Atqui puellam decennio minorem sibi despondisset, quoniam ob immaturam puellae aetatatem dilatio nuptiarum ultra biennium excurrebat; sponsus interea coelibum poenis erat obnoxius. Quae quidem sponsalia rata habebantur, ut Cujacius tradit; (b) sed immatura ideo nec poenis legum eximebant maritum, nec lucris afficiebant. Quamvis autem his legibus sponsalia biennio circumscriberentur: tolerabatur tamen earum dilatio propter sponsae, sponsive valetudinem, vel parentum interitum, vel ob capitalia crimina, vel ob longiores peregrinationes necessitate susceptas. Propter quas sane causas non modo annum, aut biennium, sed & triennium & quatriennium nuptiae impune trahebantur, (c) ut Cajus tradit: apud quem nolim cum Cujacio & Gothofredo vulgatam lectionem immutare, ac expungere *annum*; quamvis enim tempus legibus praefinitum non annus sit, sed biennium; tamen in biennio annus includitur, nec insolens est, ut oratione ducta a minori tempore, eo enumerando perveniatur, ubi terminus legis haeret: etsi omissa mentio-

(a) Dio *lib.* 54. *in gest. Anni* 736. Sueton. in Octavian. *c.* 34. Zon. *tit.* 2. Dio *lib.* 56.

(b) *ad lib.* 4. *diff.* Modest. *l.* 14 *ff. de sponsal.*

(c) *l.* 13. *ff. de sponsal.*

Digitized by Google

tione anni, satis fuisset biennium scribere. Sed expeditius erit dicere, Cajum enumerasse tantum annos morae nulla mentione annorum legis; quibus elapsis scripsit non annum modo, sed & biennium, & triennium morae ob justam causam tolerari. Ceterum si vir sine causa sponsalibus diem ultra biennium proderet, maritorum praemiis excidebat: & virgo quaerere sibi aliam conditionem poterat retentis arrhis: quas tamen reddere cogebatur in duplum; si per eam factum esset quo minus nuptiae legitimo tempore contraherentur; quadruplum alii arrharum restituendum putant: Gothofredus tamen quadruplum intelligit praeter arrhas. (a) Ex hoc legum capite, Cujacio repugnante, aliqui ortam putant praefinitionem aetatis maturae nuptiis, in foeminis XII. annorum, in masculis XIV. (b) Sane vetustiorem legem non habemus, ad quam haec definitio recte revocetur: tantum scimus esse pervetustum, ut nuptiae incipere nequeant ante utriusque sexus pubertatem. Quam Cassiani non ab aetate, sed ex habitu corporis aestimabant in maribus, quorum non paucos ante XIV. annum generationi habiles fuisse constat; (c) Proculejani ab extremo XIV. anni eam auspicabantur. Priscus Javolenus & annos XIV. & corporis firmitatem requirebat. Proculejanorum sententia recepta fuit, quia id, quod plerumque accidit, respiciebat; idque Proculejani a Stoicis duxerunt: etenim Stoici vim generandi, & animi consilium ea aetate inolescere

(a) *l. 6. C. Theod. de sponsal. & l. 4. item l. 2. C. Justinian. de sponsal.* Cujac. *ad tit. C. de sponsalibus.*

(b) Cujac. *ad l. 14. ff. de sponsal. sive ad Mod. ff. diff. lib. 4. & in enarrat. C. tit. de sponsal.* Macrob. *7. saturnal. 7. & somni scip. 1.* Sueton. in Octav. *c. 34.*

(c) Hottoman. *de ritu nupt. instit. quib. moderatur in principio l. ult. C. quando tutor, vel curat.*

Digitized by Google

censebant. (a) Quod autem lege Papia Poppaea circa aetatem puellarum praefinitum videtur, moribus antea Romanorum invaluerat. Plutarchus enim in Numa scribit, Romanos consuevisse teneras admodum puellas ducere: quod magna sit ejus aetatis simplicitas, ut sub institutione mariti susceptа uxor, illius mores facilius imbiberet, itaque privatae res, & publicae essent tranquilliores. Contra Lacedaemonum respublica, ubi puellae nonnisi adultae viro tradebantur, muliebri saepe licentia perturbabatur. Amorum enim vicissitudine, qua exercentur ante matrimonium virgines, ita exacuuntur ad fraudem, ut quidquid longo amatoriarum artium usu didicerunt, conferant ad subigendum, ac perdomandum virum; unde converso sensim ordine officiorum, qui dominus a lege constituitur, ultro sese in servitutem tradit uxori. Hinc mulier in virum, vir in mulierem turpiter commutatur. Quod malum privatis in domibus conceptum, non raro in rem expetit publicam, ut impotentia, & effrena cupiditate muliebri civilium quoque status negotiorum agitetur; magnarum enim incrementa calamitatum, ex initiis surgunt saepe levissimis; ingentesque saepe clades extiterunt, ex gratia, vel ira muliebri, quarum aliquando blanditiae apud magnates praesertim, & summos duces, moribus, & legibus patriis longe praepollent.

(a) Plutarch. *lib. 5. cap. 24. de placit. philosophorum.* Merill. *obs. lib. 1. cap. 2.*

Sequi-

Digitized by Google

XLIII. DE VACATIONE NUPTIAR.

Sequitur hujus capitis alia particula, quae est de vacatione nuptiarum concessa foeminis post mortem viri, aut post repudium: qua in particula comprehensum fuit, ut mulieribus a morte viri biennium, a repudio vero annum, & sex menses a nuptiis vacare liceret: cum lege Julia, quae lenita deinde fuit, & in legem Papiam Poppaeam conjecta, non major vacatio daretur, quam unius anni a morte viri; a divortio vero sex mensium, (a) ut tradit Vlpianus tit. 14, quem locum emendatione indigere censuit Cujacius (b) admonitus a Suetonio: (c) unde pro *biennii* substituit *triennii*: nescio an recte. Aliam enim puto vacationem a Suetonio significari: nempe vacationem ab Augusto datam a die latae legis ad paritionem: nempe intervallum, quo adhuc cives lege Papia erant soluti: ut qui a nuptiis abhorrerent, spatium haberent comparandi sese, flectendique ad matrimonium reluctantem animum: quod consilium nisi intra triennium illud vacationis capesserent, legum poenas incurrebant. Alia igitur vacatio est ab ea, quae post viri mortem, aut repudium datur.

(a) Vlp. *tit. 14. in fin.*

(b) *ad tit. 4.* Vlpian.

(c) Seveton. in Octavian. *c. 34.* Dio *lib. 56.*

XLIV. DE VIRGINIBVS VESTALIBVS.

His adjungendum censuit Gothofredus caput de virginibus vestalibus a Gellio (d) ex l. Papia relatum: ex quo capite Pontifex Maximus facultatem habebat legendi XX. virgines non minores annis X. ut sortione in concione facta, cujus virgo ducta fuerit, eam Pontif. Max. caperet, quo Vestae fieret. Capi autem dicebatur, quia

(d) *lib. 1. cap. 12.*

Digitized by Google

manu a Pontifice prehensa, quasi bello capta suo a parente, cujus in potestate erat, abducebatur.

XLV. DE POENIS IMPARIVM, ET PRAEMIIS PARIVM NVPTIARVM.

Vbi lex nuptiarum rite contrahendarum, & augendae prolis rationem instituit: poenis praemiisque propositis voluntates hominum censuit obligandas. Itaque in sanctione cavit, ut qui contra legem hanc nuptias contraxerit impares, quales appellat Vlpianus (a) nuptias inter majorem quinquagenaria, & minorem sexagenario: is quos fuscepit filios, liberum, aut suorum heredum loco habere non possit: nec eisdem adjuvaretur ad praemia legis assequenda, proinde ac si mortui nascantur, quia nec nati videntur. (b) Item veritum est conjugibus illis hereditatem capere lege obvenientem, qua & testamentaria hereditas comprehenditur; cum ea ex legibus XII. tabul. obveniat. (c) Quin etiam nec legatum iis, aut aliud quid mortis causa capere licuit. (d) Sed illud est sane tristius, quod solutis hujuscemodi nuptiis morte mulieris dos est caduca, & devolvitur in fiscum, qui in mulieris locum pro dotis repetitione succedit. (e) A poenis imparium lex progreditur ad parium praemia nuptiarum: ut qui legi non obtemperarent, poenam aliam ex privatione praemiorum sustinerent. Agitur autem primo de ordine nuptiarum contrahendarum, quae ut rectius curarentur, lex jussit ut si mulier, aut virgo ex hac lege nuptias contractura legitimo tutore careret; Praetor Vrbanus ei tutorem constitueret ad dandam, dicendam, promittendamve dotem. Quodque ex hac lege Praetor

(a) *tit. 16. §. 3. Instit. l. 12. in fin. C. de legit. hered.*

(b) *l. qui mortui 129. ff. V. S.*

(c) *l. lege obvenire 130. ff. V. S.*

(d) *l. 37. 38. ff. mortis causa donation.*

(e) Vlp. *fragm. tit. 16. in fin. l. dote ff. de ritu nupt.*

Digitized by Google

tor in Vrbe, in provinciis praestare debebat Praeses ex S. C. ad hanc legem adjecto: (a) ut intelligamus tutorem non tam ad regendum puellae arbitrium, confirmandamve voluntatem dari; quam ad moderandam, curandamve dotem; idque Antoninus, & Severus clarius expresserunt. (b) Quod munus est praecipuum tutoris ad rem certam a lege Papia praeter juris regulas instituti. (c) Discrevit autem lex haec *dictionem, dotis, promissionem, dationem*; quia dicere dotem, est absque stipulatione promittere, solennibus verbis sine interrogatione; (d) quod non ad omnes pertinebat, sed vel ad ipsam tantum mulierem, aut mulieris jussu ad ejus debitorem; vel ad patrem, avumque paternum; nec dotis dictione plures, quam hi tres obligabantur. (e) At promissioni stipulatio adjungebatur, & promittendo poterant omnes obligari. (f) Dare autem dotem quid esset, explicatione non indiget. Porro non tantum ad dicendam, promittendam, dandamve dotem; sed ad augendam, minuendam, mutandamve curator dabatur; Siquidem quod supra mulieris facultates dictum erat, promissumve, id continuo, ut superfluum, detrahebatur, exemplo immodicarum donationum, quae non prorsus revocantur, sed quatenus legis modum excedunt. (g) Haec autem ad eos pertinent, qui per hanc legem ad matrimonia compelluntur, nempe patres, matresque familias: nam filiae filiive fam. minime cogebantur, (h) quod forsan erat certo legis Juliae capite compre-

(a) Vlp. *tit. 11. §. ex lege XX.*

(b) *l. sciendum 20. ff. ritu nupt.*

(c) Cujac. *ad tit.* Vlp. *11. §. 27.*

(d) Vlp. *tit. 6. in princ.* Cujac. *ibidem.*

(e) Cajus. *inst. lib. 2. cap. 9.* Brisson. *de jure connub. p. 1601.*

(f) Cujac. *ad tit. 6.* Vlp. Cujac. *loco cit.*

(g) *l. 61. de jure dotium* Brisson. *ibidem.*

(h) *l. 21. ff. de ritu nupt.*

Digitized by Google

hensum; ut eo referri possint verba illa in l. nec filium C. de nuptiis *legum disciplina*, nempe *legum Juliae & Papiae*, quae saepe per excellentiam, ut Vlpiani verbis utar, leges appellantur, quod produnt plures loci juris civilis.

XLVI. DE DIVORTIIS LIBERTARVM, ET AVCTO IVRE PATRONORVM EX CONJVGIO.

Hinc descendit lex ad praemia, & privilegia nuptiarum jam contractarum: augetque cum primis jura patronorum in libertas, quas sibi uxores adjunxerant. Igitur vetitum est libertae discedere (a) a nuptiis invito patrono, ut contrahat novas. quo appareat non sublatum fuisse hac lege divortium jure civili permissum, sed libertatem alienarum nuptiarum, ad quas divortia fe-rebant, lege Papia fuisse interceptam. (b) itaque manente divortio, effectus illius, nempe novarum nuptiarum facultas adimitur. (c) Nec enim abhorret a regulis juris, ut matrimonium adhuc jure duret secuto divortio: ejusque rei hoc adducit Vlpianus Exemplum: nempe libertae, quae dovortium fecit. (d) Cum enim invito patrono alteri nubere non possit, manet sane illa matrimonii vinculis adhuc implicata; uxoris tamen beneficio minime gaudet, nec admittitur ex edicto *unde vir, & uxor* ad hereditatem mariti, quia quantum in se fuit dissolvit illa contractas olim nuptias. (e) Vnde tota ejus matrimonii utilitas devolvitur ad patronum, qui matrimonium adhuc voluntate, atque animo retinet: ita ut commodis quidem nuptiarum solus fruatur patronus; liberta vero divortii damna sustineat. Etenim eadem ratione concubinatu etiam alterius

(a) *l. ult. ff. de divort.*

(b) *l. libertae C. de oper. libert.*

(c) *l. ult. ff. de divort. l. 1. ff. unde vir, & ux.*

(d) Vlp. *lib. 1. ff. unde vir, & uxor.*

(e) Cujac. *ad tit. ff. unde vir, & uxor.*

Digitized by Google

terius ei est interdictum, quia scilicet uxoris legibus obstringitur, & impeditur pudore conjugali (a) quae de nupta tantum liberta sunt accipienda, non de sponsa, ad quam hoc caput non pertinere Vlpianus scribit: (b) & ideo si invito patrono sponsa nuntium miserit, cum alio poterit habere connubium. Praeterea si liberta non in matrimonio patroni sit, sed in concubinatu, licebit ei a patrono discedere: (c) dummodo alteri sese non in matrimonium, sed in concubinatum dederit: cum patrono praestet libertam concubinam esse, quam matremfam; ne sine consensu, & ope patroni re ipsa libertae conditio augeatur: ideo Vlpianus (d) ait honestius esse patrono libertam habere concubinam, quam matremfam. quae Vlpiani verba perperam in alium sensum detorquet Brissonius. (e) Libertas autem etiam communes ad hoc jus admitti placuit, quia negari non potest esse libertam ejus, qui duxit, quamvis liberta sit etiam alterius. (f) At ea, quae jus aureorum annulorum impetravit, hic pro liberta non habetur. (g) Praeterea libertae, quae sunt ex fideicommisso manumissae, possunt invitis patronis, qui eas duxerunt contrahere matrimonia: quia patroni non sua sponte beneficium contulerunt, sed coacti fuerunt fidem suam liberare; ideo minor eis est honor habendus. (h) Alia prorsus ratio est in eo, qui ea lege emit ut manumitteret; nam legi se subjiciendo sponte sua beneficium ab eousque tempore contulit. (i) Invitum autem quem di-

(a) l. 11. ff. de divort.

(b) l. 45. ff. de ritu nupt. §. 4.

(c) l. 1. ff. de cojtub.

(d) l. 1. ff. de cub.

(e) de jure connub. pag. 166.

(f) l. illud 46. ff. de ritu nupt.

(g) l. 4. ff. jur. aur. annul.

(h) l. 50. ff. de ritu nupt.

(i) l. 45. in prin. ff. de ritu nupt.

Digitized by Google

dicemus ? An eum modo, qui manifeste dissentit ? minime, sed quemvis alium, cujus consensus favore, vel ignorantia impeditur : (a) qui enim facti notitia caret, consentire non probatur ; nisi lex tacite voluntatem alterius praeferat. Porro propter spem postliminii, & patroni reverentiam captivitas patroni libertatem nuptiarum libertae minime tribuit. (b) At si non palam se prodiderit, quibus argumentis animum patroni a nuptiis libertae retinendis alienum eruemus ? Et Vlpianus tradit, sufficere actum quemlibet nuptiis, & matrimonio minime congruentem ; veluti si patronus experiatur actione rerum amotarum, quae sine divortio non oritur ; vel si nuptias alterius mulieris appetierit, aut sibi concubinam adhibuerit, aut quoquo modo animus ejus desciscat a matrimonio. (c)

(a) *l. 45. §. 5. ff. ritu nupt. l. filiusfam. 8. §. in. vitus ff. de procurat.*

(b) *l. 45. in fine ff. de ritu nupt.*

(c) *l. 11 ff. de divers. & repud.*

XLVII. DE AVCTO JVRE LIBERTORVM ET LIBERTARVM EX CONJVGIO.

Neque patroni solum augere lex, sed libertae quoque voluit sublevare conditionem praemio nuptiarum : unde praestatione operarum eam exemit, si vel patrono nupserit, (d) vel alteri consentiente, aut ratum habente patrono : non enim decet a conjugali officio distrahi, ut alienis obsequatur : ideo post nuptias dissolutas pristinam operarum obligationem continuo subit. (e) Et haec quidem de liberta : libertus enim, quamvis maritus, operarum obligatione non solvitur : nec enim libertus maritus dat se in officium uxoris ; ut liberta uxor in officium viri : nisi modo libertus, qui nec artem ludicram exercuerit, nec ut ad bestias pugnaret operas locaverit, duos, plu-

(d) *l. libertae C. de obsequiis patron. praest. l. 48. ff. oper. libert.*

(e) *l. 14 ff. oper. libert. Cujac. ad tit. C. eod.*

Digitized by Google

pluresve filios habeat in potestate : (a) praemio enim susceptae prolis si absit infamia, lex Julia obligatione promissarum operarum eum exsolvit. Huic attexuit capiti Gothofredus particulam *gener, socerve inviti testimonium in reos ne dicunto;* quae meo judicio revocanda potius est ad leges Julias judiciorum, quibus cautum erat, ne quis contra affines, vel agnatos testimonium dicere cogeretur; (b) de quibus plenius apud Cujacium, (c) & Brissonium (d) in libris selectarum antiquitatum.

(a) *l 37. ff. oper. libert.*

(b) *L. Jurisconsult. in princ. ff. de gradibus affin & l. 4. ff. de testibus.*

(c) *l. 2. ff. de accusat. sive ad lib. pr. Papin. de adult.*

(d) *lib. 4. cap. 7.*

XLVIII.

De Praemiis Liberorum Causa Constitutis, & C. Claudiano: et de Jure Trium Liberorum.

Praemiis nuptiarum adjecit lex praemia liberorum, amplissima illa quidem, & quae spe sua nuptias mirifice propagarent. Eaque capite septimo legis Juliae locata fuisse tradit Gellius, (e) cum antea aetas potius, & senectus honores, ac praemia ferret: quae deinde necessitas sobolis transtulit ad maritos, & parentes. Datum est igitur numero liberorum, ut in petitione Magistratuum urbanorum, aut provincialium is candidatus praeferretur, qui plures liberos haberet, quamvis aetate esset inferior. (f) Dictaque sunt haec veteribus praemia parentum: (g) quorum poemiorum fuere & ante legem Papiam aliquot. (h) Ex horum commodorum cupiditate fraus orta est eorum, qui simulatis adoptionibus sibi quaerebant liberos, ut iis ad praemia legum adipiscenda juvarentur. Propterea S. C. conditum sub Nerone fuit, ne simulata adoptio ulla in parte muneris publici prodesset: (i) eoque spectant Vlpiani verba (k) haec: *adoptivi filii in numerum non pro-*

(e) *lib. 2. cap. 15.*

(f) Gell. *lib. 2. cap. 15.* Tacit. *lib. 2. annal. ubi* Lipsius *n. 111.* Dio. *lib. 56.*

(g) Sueton. *in Octav. c. 34.* Tacit. *lib. 3. ann.* *Juven. Sat. 9.*

(h) Dio *lib. 43.* Gellius *apud quem P. Scipionis oratio lib. 5. cap. 19.*

(i) Tacit. *lib. 15. annal. cap. 19.*

(k) *l. 2. §. 2. ff. vacat. & excus. sat. munerum.*

Digitized by Google

proficiunt liberorum, qui excusare parentes silent. His autem fraudibus, quibus, ut mos est hominum, leges publico bono conditae ad privatam trahuntur utilitatem; obviam itum est professionibus liberorum, apud acta publica institutis; quarum aliqua mentio apud Juvenalem, (a) & Terentium Clementem. Hoc etiam liberis lex Papia tribuit, ut singuli jus unius anni parenti pariant ad honores, etenim annaria lege, certa aetas erat singulis honoribus definita; intra quam certum honorem attingere nemo poterat. Hoc autem liberi praestabant, ut annum adderent singuli ad aetatem parentis: sive pro singulis liberis gratia legis fiebat unius anni. (b) Praeterea eorum, qui Consulatum inirent, is prior sumebat fasces, qui plures, quam collega liberos haberet, etsi & ipse esset in potestate alterius; (c) inque liberorum numero computabantur etiam ii, qui bello occubuerunt, quoniam adhuc virtute, & gloria viverent; siquidem in acie cecidissent: cum hi pro Republica vitam profudisse dicantur: non autem qui in obsidione perierunt. (d) In pari vero numero liberorum is Consul alteri praeferebatur, sive fasces primus sumebat, qui esset maritus, vel in maritorum numero, aut qui jus impetrasset mariti, (e) aut sponsus esset; non tamen simulatus. (f) Si vero mari essent ambo Coss. cum pari liberorum numero: major natu praeferebatur. In ceteris, qui aut coelibes essent, aut sine prole mariti; jus vetus permansisse putaverim. Etiam in theatro

(a) Sat. 9. l. 16. ff. de probat.

(b) l. 2. ff. de minor. & l. 2. ff. de munerib.

(c) l. 2. ff. mun. & hon. Gell. lib. 2. cap. 15.

(d) l. bello 18. ff. de excusat. tut.

(e) Dio. lib. 56.

(f) l. 30. ff. de ritu nupt.

Digitized by Google

tro major honos habebatur maritis. Etenim qui essent a plebe mariti, proprios habebant ordines in theatro. (a) Atque hoc appellatur in genere jus liberorum; distinctum sane a jure trium liberorum, quod & ex his profluxit legibus: cujus & a Lacedaemoniis repeti posset origo. Horum enim moribus parentes trium liberorum ab Vrbis custodia, & excubiis erant immunes; quatuor vero susceptis liberis omni prorsus onere levabantur. (b) Et Romae post tergeminorum certamen, atque Horatiorum victoriam fuit institutum, ut tergeminis natis alimenta ex publico praebeantur usque ad pubertatem. (c) Hoc igitur legis Juliae capite auctus est favor liberorum, profectus jam diu a vetustioribus legibus; & parentibus (d) concessa fuit immunitas onerum personalium tantum, (e) si Romae, (f) aut in continentibus aedificiis, quae Romae appellatione comprehenduntur liberos tres susceperint. (g) Extra Romam autem in Italia quatuor, in provinciis quinque liberi, sive incolumes, sive in acie interemti eorumdem onerum immunitatem afferebant. Prosunt etiam nepotes ex filio: ita tamen, ut in sui patris locum succedant, (h) item & emancipati, & quasi emancipati, (i) ut monachi, Episcopi, & Patricii; non tamen nepotes ex filia, quia non avi, sed alienam referunt familiam; Item si monstrosum ediderit mulier partum, is mulieri ad veniam legis Papiae proderit: quia est odiosa, & juris communis utilitatem extenuat: non autem ad S. C. Tertullia-

(a) Sueton. in Aug. c. 44.

(b) Arist. lib. 2. politic. 9. Aelian. 6. var. 6. Duaren. lib. 2. cap. 40. disputat. anniversar.

(c) Dionys. Halicarnas. lib. 3.

(d) l. 2. C. qui num. liber. excus.

(e) l. 2. § 4. l. 11. ff. vacat. & excusat mun.

(f) l. 147. ff. V. S. l. 2. ff. eod.

(g) l. unic. C. Theodos. de his qui num. lib.

(h) Instit. de excus. tut. in princ.

(i) l. 2. § 5. ff. vacat. & excusat. muner.

Digitized by Google

num ex quo mulieri lucrum quaeritur. (a) Verum ne legi fraus fieret, probandus erat liberorum numerus ex publicis actis, apud quae mos erat profiteri, uti diximus, liberos, ex iisdemque non solum liberorum numerus, sed aetas etiam, & quidquid ad controversias status pertineret petebatur. Quod professionis genus indicatum fuit a Servio Tullio, qui censum instituens jussit patres in singulorum liberorum capita inferre aliquid Junonis Lucinae templo, (b) habendoque censu voluit, ut & substantia, & uxorum, liberorumque nomina, aetatesque proderentur, qui mos post legem Papiam obtinendorum honorum, atque poenarum vitandarum causa, longe majoris fuit usus: (c) etsi aliquanto immutatus. Nam Antoninus (d) jussit professionem hanc fieri apud Praefectum aerarii, atque alterum exemplum tabularum in domo privata voluit asservari; alterum in publico aerario, (e) ut & antea fiebat.

(a) Cujac. *ad l. 4 tit. 9 sent.* Paulli,

(b) Dionys. *lib. 4.* Bris. *antiq. lib. 1. cap. 1.*

(c) Juvenal. *Sat. 9.*

(d) Capitolin. *in* Antonin. & Cordian.

(e) *l. 6. C. de fid. instrum.* Apul. *apol. 2.* Tertull. *lib. 5. adverf.* Marcian.

Juvenalis Sat. 9.

Tollis enim, & libris actorum, spargere gaudes
Argumenta viri: foribus suspende coronas
Jam pater es.

Qui mos Roma prodiens, postea Marci Imperatoris jussu pervenit ad provincias. (f) Ceterum quo utilitas ex liberorum numero capiatur, oportet eum numerum impleri ante susceptum munus: nam si liberi suscepto jam munere nascantur

(f) Capitolin. *ibidem.* Jac. Gothofred. *ad hoc caput in notis.*

Digitized by Google

tur fruſtra beneficium legis expetitur. (a) Gellius autem quaeſitum refert apud veteres an octavo menſe natus proſit. (b) Ceterum non raro quibus legitimum liberorum numerum natura negaverat, praemia illorum principis beneficentia largiebatur. Siquidem qui bene de principe, aut de republiba meruiſſent, quique apud eum gratia & auctoritate pollerent ſaepe ſibi, aut aliis jus trium liberorum impetrabant, ut ex variis Plinii epiſtolis colligitur. Quo in jure plurimum luſit Martialis. (c) Idem jus virginibus Veſtalibus tributum honoris cauſa memini legiſſe. Alciatus (d) autem putat praemia omnia ex lege Papia liberos habentibus conſtituta Theodoſii conſtitutione ſublata fuiſſe, (e) quod maxime pugnat cum pluribus juris locis, & cum titulo C. de his, qui num. liber. excuſat. mer. Diſtinguere oportebat haec hominem doctiſſimum: jus ſcilicet liberorum, quo pro praemia praeſtabantur eſtabantur ex lege Papia conſtituta; & jus liberorum, quo mutua inter conjuges teſtamenti factio, & ſucceſſionis utilitas lege Papia liberos non habentibus imminuta reſtituebatur. Hujus juris a principe impetrandi neceſſitate conjuges ſolvit Theodoſius, nec quidquam attigit de eo jure liberorum, quo nova legis praemia continentur. (f) Igitur priſtinam inter conjuges teſtamentorum libertatem omnibus reddidit Theodoſius, tam habentibus, quam non habentibus liberos: ut ſine ulla impetratione, & ſine venia legis Papiae, juris antiqui beneficio perfruantur. Nec modo cives Roma-

(a) *l.2.§.qui ad munera ff. de vacat. & excuſ.*

(b) *lit.3.c.16.in fine.*

(c) *lib.3. ad Caeſare. item lib.3.lib.9. & lib.10.* Duaren. *diſp. ann. verſ. lib.1.cap.40.*

(d) *l.ter. enixa ff. V. S.*

(e) *l.1.C.de jur. liber.*

(f) Cujac. *ad* Vlp. *tit.16.* Duaren. *diſp.ann. lib.1. cap.40. in fine: quem tamen notat* Jac.Gothof. *C.* Theodoſ. *de jur.liber.l.3.*

Digitized by Google

ni, sed & latini, quorum conditionem supra explicavimus, praemia ex liberorum numero tulerunt: nempe jus Quiritium, cujus potiebatur latinus, qui filium, filiamve, natum, natamve, anniculum, anniculamve servasset; ita ut filius filiave non decessisset ante extremum anni diem: quod spatium requirebatur, ut infans anniculus reputaretur. (a) Latina vero eodem jure fruebatur, si ter fuisset enixa, sive ordine naturae consueto, sive eodem die, sive intra biduum per intervalla: nam si uno impetu tres effudisset, magis censetur tres habuisse liberos, quam ter peperisse; quod ad impetranda legis praemia requiritur. (b) Neque si quis ex tribus liberis execto ventre sit exceptus parenti prodest. (c)

(a) *l. 132. & 134 ff. V. S. Paull. & ibi Cujac. 4. sent. tit. 9.*

(b) *l. 137. ubi Cujac. ff. V. S.*

(c) *l. 132. §. 1. V. S.*

XLIX.

DE PRAEMIIS LIBERTORVM EX SVSCEPTIS LIBERIS.

Atque haec ingenuis praemia legis liberorum causa quaerebantur: addita sunt etiam, & praemia libertis: quibus saepe manumissores, aut incontinenti, aut ex intervallo indicebant, vel officiales operas, quae in officii praestatione consistebant, vel fabriles, quae quasi in pecunia positae erant, (d) tamquam fructus ejus artificii, cujus utilitas omnis ante manumissionem cedebat domino; data autem libertate retinebatur a domino pars aliqua jurejurando adacto. (e) Etenim, ut Cujacius (f) putat, non debebantur operae, nisi juratae vel promissae; juratae autem erant officiales; & quidem post datam libertatem. Nam si quid in servitute libertus promiserat, liber factus praestare non tenebatur: eo enim in statu promiserat, quo particeps juris civilis non erat. (g) Nec debe-

(d) *lib. 6. ff. oper. libert.*

(e) *l. 7 ff. oper. liber.*

(f) *tit. C. eodem.*

(g) *Cujac. ibid.*

Digitized by Google

debebantur operae nisi praeteritae: quae si non ederentur, aestimabantur in judicio, & ad precium earum libertus patrono damnabatur, eaeque si fabriles essent, non modo in heredes extraneos (a) transibant, sed in ipsos patroni creditores, bona debitoris distrahentes, (b) futurarum autem petitionem habebat filius: qui eas etsi non indictas indicere, ac petere poterat, si non fuisset exheredatus; quamvis beneficio Praetoris usus hereditate abstinuisset. (c) Ceterum operae non exhibebantur ei, qui coactus manumiserat, sed qui sponte. Nam qui ex causa fideicommissi manumittit, nullum beneficium praestat, quia non liberalitate impellitur, sed necessitate. Haec autem operarum obligatio pluribus quidem solvebatur modis, veluti si patronus in concubinatu libertam habuerit, (d) vel si eadem alteri consentiente patrono nupsisset ut supra indicavimus: (e) nam haec in officio mariti esse debet. Lex vero Papia libertam 50. annis majorem ab ea praestatione liberabat, quod indicat inscriptio Paulli in l. liberta ff. de oper. libert. & tandem, ne singula exempla obeamus, liberabatur ex hoc capite; quo capite operarum obligatio extinguebatur, si libertus, qui tamen nec artem ludricam fecisset, neque ut cum bestiis depugnaret operas locasset, duos, pluresve, quamvis non eodem tempore liberos, vel unum quinquennem in potestate haberet: etiam si quod donum, munus, aliudve quid libertatis causa jurasset dare, aut promisisset. (f) Praemium autem filii quinquennis

(a) *l. 4. in fin. ff. oper. libert. l. 6. ff. eodem.*

(b) *l. 4. ff. oper. libert.*

(c) *l. cum patron. ff. oper. libert. l. pro herede §. si quid. ff. de adquiren. hered.*

(d) *l. 46. ff. de oper. liber.*

(e) *l. 13. §. penult. l. sicut ff. oper. liber. l. 2. ff. ob seq. patron. praestan.*

(f) *l. 37. ff. oper. libert.*

Digitized by Google

nis ex antiquo jure ductum arbitratur Cujacius: etenim major honos tribuebatur libertis filium quinquennio majorem habentibus. (a)

(a) Livius *lib. 45. cap. 15.*

L.

DE MVLIEBRI TVTELA LIBERORVM GRATIA SOLVTA.

Alio capite mulieres legitima tutela, sub qua esse perpetuo diximus, trium liberorum gratia solvebantur: libertam vero quatuor liberi, patroni tutela liberabant, ut ejus juris potitae mulieres sine tutorum auctoritate testari, ac res possent administrare suas; & tuto capere quidquid eis esset aliorum testamento legatum. (b)

(b) Vlp. *instit. 29. §. 3.*

LI.

DE POENIS COELIBATVS, ET PROHIBITIONE CAPIENDI EX TESTAMENTO.

Atque his sane praemiis cives alliciebantur, atque impellebantur ad nuptias: si cujus vero animus praemiis non flecteretur, poenis adigebatur, quae in publici aerarii commodum cedebant; ut qui Vrbem civibus exhaustam augere negligeret, is opibus publicam rem locupletaret. Quapropter per legem Juliam, & Papiam ab utilitate testamentaria coelibes exciderunt: iis enim ex testamentis extraneorum nihil accipere licebat; sed tantum ex testamentis cognatorum ad sextum usque gradum ut Cujacius (c) tradit. Nos vero hinc longius ratiocinando progredimus, putamusque agnatos sine fraude legis Papiae ad decimum usque gradum capere potuisse. Nam si beneficium cognatorum ad sextum gradum, qui est terminus cognationis extenditur, decet & agnationis beneficium ad gradum produci decimum, qui est agnationis extremus. (d) Porro coelibes quia non fato, sed sponte sua prole carebant, omni prorsus testamenti utilitate privabantur, nisi intra C. dies a morte testatoris matrimonium con-

(c) Parat. C. *de instrm. poenis coelib.* Vlpian. *instit. tit. 16. 17. 22.*

(d) *Vide instit. de succes. cogn. §. ult.*

Digitized by Google

contraxissent. (a) Nec quidquam immutatum est de jure antiquo, si agatur inter coelibes, orbosque conjunctos usque ad sextum gradum. At orbi, quibus natura denegavit prolem, non odium conjugii, mitius a lege tractabantur, nec toto eo, quod fuerat relictum, sed semisse privabantur ob leviorem culpam, quod scilicet agnita sterilitate uxoris ad feliciores nuptias misso repudio non migraverit. (b) Huc pertinet illud Juvenalis:

(a) Sozomen. lib. 1. c. 9. Cujac. in parat. C. de infirm. poen. coelib. & apud Jacob. Gothofr. hoc cap. 23. quod huc congessimus.

(b) Sat. 9. vers. 88.

Jam pater es, dedimus quod famae opponere possis,
Jura parentis habes, propter me scriberis heres,
Legatum omne capis, nec non, & dulce caducum:
Commoda praeterea junguntur multa caducis.
Si numerum, si tres implevero:

Nec tamen omnis aetas poenis premebatur, sed eas tum quis incurrebat, cum nuptias ultra tempus a lege constitutum protraxisset. Moram autem nuptiis fieri leges definierunt, in viris quidem ab anno vigesimoquinto, in foeminis a vigesimo. (c) Sed quoniam lex Julia eodem tempore conjugium exigebat, (d) quo Papia liberos; liberi vero nonnisi post decimum a conjugio mensem suscipi possunt; verbis quidem praefinita videbatur viris conjugii aetas anno XXV; & foeminis XX; re vero in utrisque anno minus: quamobrem ne quod verbis legis concedebatur, civibus re adimeretur; & quia satis videbatur absurdum eodem tempore conjugium, & liberos requirere; crediderim ex Tertulliano (e) in

(c) Cujac. parat. C. de infirm. poen. coelibatu.

(d) Vlp. tit. 16.

(e) in apologet.

Digitized by Google

(a) *ad tit. C. de infirm. poen. coelib.*

hunc sensum a Cujacio (*a*) explicato, Severum protraxisse spatium ad suscipiendos liberos constitutum, & poenam orbitatis ultra praefinitum a legibus tempus distulisse. Ea vero poena sequebatur homines usque ad senectam, qua in aetate poena solvebantur conjuges, ut deinceps non tenerentur, si lege praescriptos annos in matrimonio excessissent, ac vir sexagenarius esset, mulier vero quinquagenaria. (*b*) Porro suspicor solitario patri, sive cui filius esset unicus provecta aetate genitus, dictus Homero τηλυγέτῳ, aliquid etiam poenae, sed tamen levioris fuisse irrogatum: Nam Vlpianus in scriptione cum coelibe hunc, & orbo conjunxit, (*c*) cujus verba, quae ut ordo indicat ad solitarium patrem pertinebant interciderunt. Sed Constantinus debitum honorem coelibatui ex vera religione, sanaque pietate restituens: poenas omnes orbitatis, & coelibatus funditus sustulit, relictis legibus decimariis, mox a nobis percurrendis. (*d*) Ceterum eaedem leges, quae aut intercidebant, aut modum ponebant testamentariis lucris complectebantur etiam donationes causa mortis, ac donationes inter vivos, quae morte confirmabantur; nedum hereditates, & legata: quod S. C. ad hanc legem prodito definitum fuit. (*e*)

(b) Vlp. *tit. 16.*

(c) Vlp. *tit. de coelib. & orbo & solit. patre. Vide* Goth. *in not. ad l. Pap. c. 23.*

(d) *l. 1. C. de inf. poen. coelib.*

(e) *l. Senatus ff. mort. caus. donat. l. 1. C. Theodos. bon. proscrip.*

LII.

DE TESTAMENTIS CONJVGVM, ET DECIMIS EORVM.

Eadem lege repressa est opum profusio a mutuo amore inter conjuges. Ideo ne liberalitas haec absumat quidquid ex caritate liberis, & agnatis, atque benemerentibus ex honestate naturae debetur,

Digitized by Google

betur, vetuit lex Papia (a) conjugibus ex mutuis testamentis capere solidum: sed tantum concessit ob honorem matrimonii partem decimam aut aliam si liberos haberent pro numero eorum in singulos praemio foecunditatis. Et quoniam lex erat invidiosa, quippe quae libertatem testamentorum coërceret; levandae invidiae, ac remittendae severitati legis in liberorum numerum admissi sunt etiam portentosi, (b) & monstrosi, ut & ii decimae capiendae facultatem afferrent: cum id minime receptum sit in omnibus juris articulis, praesertim ubi non damnum avertitur; sed lucrum captatur. (c) Filius praeterea susceptus apud hostes, & postliminio reversus (d) legem Papiam laxabat, & decimae capiendae facultatem ex mutuis testamentis parentibus pariebat: idemque beneficium praestabant liberi post nonum natalis diem amissi: (e) quo die nomen infantibus imponebatur, nam nomine nondum indito perinde habebantur, ac si suscepti minime fuissent, ut observat Cujacius. Graecis vero nominalis dies erat septimus, & octavus, quod Causabonus, (f) & Scaliger a Cujacio dissentientes tradiderunt. Duo autem liberi amissi duas decimas adjiciebant. Praeter decimam jus erat conjugibus uti frui tertia parte bonorum, & quotcumque liberos haberent, ejusdem partis proprietatem capere. (g) Decima vero haec erat extra causam dotis legatae: ita ut praeter legatum dotis, uxor honore matrimonii etiam decimae capiendae jus ha-

(a) Vlp. in fragm. tit. 15. l. 2. C. Theodos. de jure liber. Basil. tit. 5. ad l. 1 unde vir & uxor. p. 47.

(b) l. 135. ff. V. S.

(c) l. ult. §. ff Vero creditores C. jure delib. Cujac. ad l. 135. ff. V. S. Paull. lib. sent. tit. 9.

(d) l. 9. ff. cap. & postlimin. reverf.

(e) Vlp. tit. 15.

(f) Ad Capitulin. in Marc. Ant. Joseph. Scaliger Anton. lect. lib. 2. cap. 12. Salmas. Capit. Festus in verbo Lustrici ubi Scal. Cujac. Enarr. ad parat. C. de infirm. poenis. coelib. Merill. 2. obs. 33.

(g) Vlp. tit. 15.

(a) l. 53 ff. legat. 2.

haberet. (a) Eadem decima bonorum erat non hereditatis portio; ad hereditatem enim, quae

(b) l. 72. ff. hered. instituen.

solvendo non est lex Papia non porrigitur: (b)

(c) L. 67. ff. ad l. Falcid.

& decimae quantitas praestanda est detracta prius Falcidia, (c) detractisque rebus per fideicommissum relictis. (d) Et quod legitimum

(d) l. 42. de leg. 2.

modum excesserit praestandum est, si ex alia causa, veluti crediti, aut mercedis debetur, dum a legatario doceatur omnem legis fraudem

(e) l. 27. ff. probat. l. cum quis 37. ff. leg. 3.

abesse. (e) Ob eandem rationem quidquid a legatario ad conditionem implendam confertur, peti praeter decimam potest: cogiturque heres adjicere decimae, quidquid ex ea conditionis implendae causa detractum a legatario fuit.

(f) l. sed si hoc. 62. ff. condit. & demonstrat.

(f) Verum prohibitio solidi capiendi ex mutuis testamentis facta conjugibus, ad aliorum testamenta non extenditur, in quibus utuntur jure communi: propterea uxor, quae a marito substituta pupillo fuerat, quamvis ex testamento mariti, nihil ultra legitimum modum capere possit, & pupillaris substitutio sit pars testamenti paterni; tamen si praeter bona patris, bona propria pupilli reperirentur in hereditate, minime ab iis mater arcebatur, quia etsi viri testamento substituta, bona tamen pupilli non ab eadem persona, nempe a mari-

(g) l. 6. ff. Vulg. & pupil. ubi Cujac. & Govean.

to, sed a pupillo capere videbatur. (g) Quod etiam benigna interpretatione minuendarum poenarum causa receptum fuit. Vnde si is, qui substitutus pupillo fuit, uxorem habuerit, moriente pupillo; sed moriente patre testatore

fuis-

Digitized by Google

fuisset coelebs : quamvis ob coelibatus poenam testatoris hereditate privetur, minime tamen capere prohibetur ex substitutione pupillari, quia moriente pupillo poenae legis non erat obnoxius. (a) At si uxori decima legata sit, & fundus Titio; adjecta conditione, si uxori testatoris centum dederit : ea centum ponenda sunt in ratione decimae; quia quamvis a Titio data fuerint, ex legato tamen testatoris pervenerunt, cujus conditionis implendae causa Titius centum erogavit. (b) Prohibitio vero haec solidi capiendi inter conjuges perpetua non erat, nam non complectebatur eos, (c) quorum aetas legi Papiae non obstringebatur, veluti si conjuges, aut alter eorum ejus aetatis nondum essent, quae liberos exigebat, nempe vir annorum XXV. uxor XX; vel annos lege praefinitos in matrimonio excessissent, nempe mulier egressa esset annno L, vir LX. Cognati praeterea, ut diximus, qui in matrimonium coissent, usque ad sextum gradum; quoniam inter eos esset successio ex jure communi ab intestato, prohibitione legis Papiae minime tenebantur : admit enim ea lex beneficia voluntatis alienae, non commoda cognitionis; & legitimas successiones minime aufert. Libera erat etiam inter conjuges testamenti factio, si reip. causa vir abfuisset : (d) aut si conjuges a populo, vel a principe jus liberorum impetrassent : ut intelligamus magis longe aliud esse hoc jus libero-

(a) *l. 11. ff. bul. gar. & pupil. ubi* Govean.

(b) *l. quod conditionis ff. mort. causa donat.*

(c) Vlp. *tit. 16.*

(d) Cujac. ad Vlp. *tit. 16. & l. 36, & 38. ff. ex quibus caus. major & l. 35. & 37. eodem.* Jacob. Gothof. *c. 28. ad hanc legem. Hinc* Martialis *lib. 8. epigram. 31.*

berorum, quo impedimenta legis Papiae solvuntur, ab illo, quo munerum praestatur immunitas; ad praesens autem liberorum jus pertinet illa Isidori definitio (*a*) libro V. *Conjugum sine liberis invicem pro loco pignorum hereditatis alterna conscriptio.* Quale jus, nempe veniam legis Papiae, liberamque inter conjuges testamenti factionem Constantinus Imperator concesserat Navicullariis Orientis. (*b*) Honorius autem, & Theodosius generaliter omnibus: sublato discrimine inter conjuges, quibus solidi capiendi jus jampridem amissum reddiderunt; quod jus liberorum est appellatum in pluribus juris locis; (*c*) non quia jus trium liberorum eo contineatur, sed quia tamquam praemio liberorum ex indulgentia principis solidi capiendi facultas conjugibus praebeatur. Idem solidi capiendi jus consequebantur (*d*) conjuges, qui filium, filiamve communem haberent, aut XIV. annorum filium, vel filiam XII. amisissent, aut duos trimos; fortasse propter Lactationis incommodum triennium a matre toleratum. Moribus enim veterum infantes non ante triennium mamma depellebantur. (*e*) Hoc etiam jus assequebantur conjuges qui tres post nonum diem liberos inter annum, & tres menses amisissent. Impubes etiam cujuscunque aetatis amissus, solidi capiendi jus praestabat, item & proles intra X. menses a viri morte suscepta. (*f*) Praeterea pater solitarius, & foemina, ingenua quidem trium; liberta vero qua-

(a) Cujac. *in not. ad* Vlp. *tit. 16.*

(b) *l. 7. C. Theodos. de navicul.*

(c) *l. 2. C. de infirm. poen. coelib.*

(d) Goth *ad l. 1. C. Theodos de jure liber.*

(e) Cujac. *obs. 19. cap. ult.*

(f) Vlp. *instit. t. 16.* Cujac. *legit hic:* ut intra annum, & sex menses etiam unus cujuscumque aetis. &c.

Digitized by Google

quatuor liberorum mater, ex testamento solidum capit. (a) Porro Constantinus, qui ne homines abducerentur a sancta professione coelibatus, poenas illius sustulit, (b) integram tamen reliquit inter conjuges solidi capiendi prohibitionem, quam, ut diximus, penitus aboleverunt Honorius, & Theodosius. (c) Jacobus tamen Gothofredus putat tantum per orientem hoc a Theodosio beneficium fuisse diffusum: (d) minime tamen per occidentem ab Honorio, cum semper a Principe fuerit impetrandum. (e)

(a) Dio. lib 55. pag. 229. & 667. & 662. & l. 8. & 19. C. Theodos. de bon. proscript. Goth. in notis ad hoc caput.

(b) tit. C. de infirm. poen. coelib.

(c) tit. C. de infirm. poenis coelib. & C. de jure liber.

Alio legis Papiae capite, quod integro legis ordine caput erat XXXV, ut ex Marcello loquitur, (f) tolluntur impedimenta, moraeque injustae nuptiis objectae, ab iis, qui dotare tenentur, vel jure patrio, vel officio pietatis. Quamobrem per Praetorem urbanum coërcendos statuit lex parentes, aliosve, qui eas, quas habent in potestate, in matrimonium collocare neglexerint, aut nuptias contrahere prohibuerint, aut dotem negaverint, aut conditionem quaerere omiserint; ut his artificiis nuptiarum dies protraheretur. Dotare autem debet pater filiam naturalem, & legitimam aut adoptivam; non vero naturalem tantum, (g) pro modo facultat[illegible], (h) cui oneri minime subest mater. (i) Fertur etiam hoc onus a fratribus germanis, & consanguineis, non ab uterinis, quia non sunt ex agnatione. (k) Sicut autem in Vrbe Praeter urbanus, ita in provinciis cogere parentes ad dotan-

LIII. DE DOTE CONSTITVENDA.

(d) l. 2. & 3. C. Theodos. de jur. liberor.

(e) l. ult. C. Theod. de jur. liber. l. ult. C. Theod. de diver. rescr. & l. 6. C. de infirm. his, qui sub tyran. l. 6. C. Theod. de inoff. test. ubi Gothofr.

(f) l. 19. ff. ritu nupt.

(g) l. uxorem 41. §. 11. ff. leg. 3.

(h) l. ult. ff. ritu nupt. l. 60. ff. jure dotium.

(i) l. 14. C. jur. dot.

(k) l. cum plures ubi gloss. ff. admin. tutor. Cujac. ibi sibe ad librum 38. Paulli ad edict.

Digitized by Google

tandum jubebantur proconsules, & praesides: (a) quorum munus erat compellere parentes non modo, ut filiam in matrimonium darent, sed etiam ut filio uxorem quaererent: nam filiusfam. quamvis ad aetatem perveniſſet nuptiis a legibus deſtinatam; non tamen cogebatur uxorem ducere; quia patriae poteſtati ſubeſſet propterea lex non filium coërcet, ſed parentem, cujus voluntati filius obſtringebatur. (b)

(a) *l. 19. ff. ritu nupt.*

(b) *l. non cogitur ff. ritu nupt.* Cujac. *ad tit. C. de caduc. toll.*

LIV. DE REMISSIONE JURISJURANDI.

Praeter impedimenta parentum, amovit etiam lex impedimenta patronorum, qui jurejurando impoſito libertis, aut libertabus nuptias interdicebant. Quamquam enim, uti diximus, per legem AEliam Sentiam, qui hanc nuptiis injuriam fecerat, excidebat jure patronatus; tamen libertus, aut liberta jurisjurandi religione minime ſolvebatur, unde, & patronus jure patronatus, & hi conjugio tota vita carere cogebantur. Lex igitur Papia (c) jurandi vinculum abrupit, eosque in naturalem nuptiarum libertatem reſtituit, ſive, ut Jurisconſulti verbis utar, jusjurandum eis permiſit, (d) hoc eſt gratiam jurisjurandi lex ipſa fecit; cum alias ſoleret princeps, & apud nos rectius Summi Pontifices, apud quos ex divino inſtituto ſunt jura ſacrorum: quae cum eſſent in veteri ſuperſtitione apud Imperatorem, qui Pontificatum maximum aſſumſerat, propterea haec remiſſio a principe concedebatur.

(c) *l. 6. ff. jure patron. § ult. ubi* Cujac. *& ad l. 1. eodem.*

(d) *l. 37. ff. de pact. l. 3. ff. pub. judic. & l. 6. ff. jure patron.*

LV. DE CONDITIONE PROHIBENTE NUPTIAS.

Verum ſi nec pater prohibendo, nec patronus jusjurandum adigendo, nec uterque pro poteſtate ſua jubendo; ſed vel iidem, vel extranei praemium pro-

Digitized by Google

promittendo a nuptiis homines abduxerint; veluti si quis sive pater, sive patronus, sive extraneus hereditatem reliquerit, aut legatum viro, foeminaeve sub ea conditione, *si coelebs, viduave permanserit*, aut per negationem *si nuptias non contraxerint*; lex Papia rejecta conditione tamquam bonis moribus, & propagationi sobolis adversa, legatum, atque hereditatem contulit in eum, cui relicta fuerunt. (a) Vnde non aliud erat expectandum, nisi ut hereditas deferretur: siquidem conditio nullam moram interjiciebat. Delatam autem hereditatem accipimus, cum nihil obstat, quin a nobis, aut adeatur, aut repudietur. (b) Deferebatur hereditas antea ex morte testatoris; sed post legem Papiam ex apertis tabulis: qua lege per Justinianum sublata, lex revixit antiquum. (c)

(a) *l. 64. ff. cond. & demonst. l. 63. & 62. §. ult. & l. 90. §. 2. d. 74. ff. eod.* Paull. 3. *sept. 4. § conditiones.*

(b) *l. 151. ubi* Cujac. *ff. V. S.*

(c) *l. unica. C. de cadduc. toll.* Cujac. *ad l 151. ff. V. S.*

Atque haec fuit prima legis Papiae sententia de rejicienda conditione coelibatus, simplex illa quidem, & recta, nullisque exceptionibus permista, ut liquet ex pluribus juris locis, (d) ubi distincte proponitur: sed postea modus huic definitioni fuit adhibitus per legem Juliam Miscellam, (e) de qua fuse disputatur, ac varie judicatur ab eruditis: ut omnes omnium sententias, & conjecturas referre, aut expendere non tam sit utile, quam legentibus, atque scribentibus operosum. Cujacius putat caput fuisse aliquod ipsius legis Papiae sic appellatum, quod mistum sexum complecteretur; nempe quod injungendo masculis coelibatu, & imperanda foeminis viduitate sexum

LVI.

DE LEGE JVLIA MISCELLA.

(d) *l. 63. & l. 64. & 74. ff. cond. & demonstr.*

(e) Briss. *select. lib. 3. cap. 2.*

Digitized by Google

contineret utrumque. Verum cum innumerae sint leges ejusdem naturae ad utrumque sexum spectantes, ignoratur lex ne potissimum haec fuerit, an legis alterius caput. Alii dictam ita censent, quia mistam continet materiem; Jacobus vero Gothofredus sic dictam arbitratur, quia composita est ex variis juribus, scilicet ex veteri lege Papia, & cautione Mutiana simul contextis, eodem modo, quo apud Siculum Flaccum dicitur *aes Miscellum*, & *Miscelliones* apud Festum dicuntur. Qui non sunt unius certae, sed variarum sententiarum, itemque apud Gellium appellantur *miscella*, quae multiplici sunt, variaque doctrina: unde frequens apud Criticos *miscellaneorum* titulus. Ego vero vel ita dictam arbitror, quod veteri juri legis Papiae, quo simpliciter coelibatus conditio, & viduitatis rejiciebatur, insita fuerit ex aliquo S. C. moderatio illa, quam subjiciemus, quaeque non patitur eam rejectionem esse perpetuam; vel de more appellatam sic arbitror a Julio Miscello, cujus nomen relatum est a Justiniano inter novellas, quo tempore cum vetustarum rerum fuerit memoria recentior, necesse non est, ut nos ab ea aetate remoti frustra vaticinemur. Atqui nusquam alibi, hujus familiae vestigia invenire licuerit. Quasi non major pars adhuc veterum familiarum lateat: nisi velimus in angustos admodum fines conjicere veterem eruditionem. Verum ducant hoc nomen unde libet; certe totum istud legis Juliae caput, quod per l. Juliam Miscellam exprimitur, conflatum est ex veteri, & novo jure, quod e Se-

na-

Digitized by Google

natusconsultis accessit. Hoc igitur capite modus adhibebatur rejectioni conditionis, adjecta cautione Mutiana, quae accommodabatur conditionibus omnibus, sub negatione conceptis, quae nonnisi morte poterant impleri: veluti *si mare non transieris, si non duxeris uxorem.* quarum conditionum eventus tota heredis, aut legatarii vita pendebat. Quis enim dum vivit praestiterit se, vel alium aliquid non facturum, quod ex hominis pendet arbitrio? Igitur heres, aut legatarius, dum viverent, arcebantur ab utilitate, vel hereditatis, vel legati. Nam conditio nonnisi post mortem implebatur, quo tempore sibi beneficium testatoris erat inutile. Quamobrem, ut hoc absurdum amoveretur, ac simul testatoris impleretur voluntas; Quintus Mutius cautione invenit; qua legatarius rem legatam acciperet, simulque jurejurando promitteret sese rem legatam redditurum, si conditioni parere neglexerit; aut contra testatoris praeceptum venerit. Hujus cautionis remedio temperata lex Papia est, & constitutum, ut si quid relictum fuisset sub conditione *ne nuberet, ne uxorem duceret*; siquidem legatarius post mortem conjugis intra annum nuptias contraheret, rejecta conditione statim legatum acciperet; dummodo jurasset se liberum quaerendorum causa nuptias appetere. Quod jusjurandum solenne erat in matrimoniis (a) ex l. Julia Miscella, & SCtis in eam conditis; si vero annus exisset a morte conjugis, tum quia serius nuberet, non aliter legatarius legatum caperet,

(a) *l. 3. C. de indict. vid. toll.* Cujac. *ad eum tit.*

Digitized by Google

quam si juraverit rem ab se restitutum iri, cum fructibus medii temporis, si ad novas nuptias convolasset. Quae ad heredes simul, & legatarios, atque ad mares itidem pertinebant, & foeminas. At si legatum uxori simul, & extraneo relictum fuerit sub conditione : *si uxor non nupserit*, eosque re, ac verbis testator conjunxerit, veluti *Titio & mulieri ususfructus si non nupserit :* non erit idem ac si uni Titio legatum fuisset sub conditione : *si mulier non nupserit* ; quo casu nubente muliere conditio deficeret, & legatum evanesceret : (a) sed quia legatum relictum fuit utrique sub conditione viduitatis, si ea conditio mulieri remittitur, puta, quod intra annum nubat, aut Mutianam cautionem praestet, debet ea remissio in Titii etiam utilitatem expetere ; ne quae conditio causa unius extinguitur, alterius causa duret. Quamobrem prorsus habebitur pro impleta, & tamquam vidua tota vita permanserit mulier, usumfructum cum Titio participabit. Quod si Titius decedat, an mulieri intra annum nempe nubenti, utpote re verbisque conjunctae, Titii pars accrescet ? Papinianus negat ; ne mulier, quae a defuncti voluntate defecit, plusquam sibi fuerat relictum consequatur ; neve cui singulari jure contra juris communis rationem fuit subventum ; per juris communis regulam iterum succurratur. Vnde ne per jus commune a singulari jure relaxatum singulare jus pandatur latius, excluſit hoc casu Papinianus regulam juris accrescendi, quae re conjuncto portionem deficientis ad-

(a) *l. 1. C. de indict. vid. toll.*

Digitized by Google

adjicit. (a) Aliquando ut effugeretur lex Julia Miscella, conditio non conferebatur nominatim in legatarium, sed in personam patris vel filii, ut *lego Titio centum si uxorem pater non duxerit :* vel *lego Sempronio centum* si uxorem *filius non duxerit :* quibus verborum flexibus, & orationis versutiis clam ad nuptiarum prohibitionem tendebatur ; quia is est inter parentem, & filium nexus, ut unius utilitas, aut damnum vertat in alterum : ideo jus conditiones ita conceptas reprobavit, rejiciendasque censuit, perinde atque si in legatarii personam cecidissent. Ceterum legis Juliae Miscellae sententia virgines minime comprehendit, utpote nondum functas munere conjugali. Quamobrem si puellae virove nondum matrimonium expertis coelibatus conditio injungeretur, ea confestim remittebatur ex priori legis Papiae capite. Quae sententia fuit Joannis vetustissimi interpretis, quem sequitur Cujacius. (b) Sustulerat autem Justinianus ambages legis Juliae Miscellae nova sua constitutione, (c) remiseratque prorsus viduitatis conditionem piis sane rationibus : post tamen trocho versatilior, utpote qui foeminae mentis suae gubernaculum tradiderat, in novella 22. capite 43. & seq. & cautionem Mutianam, & legem Juliam quodammodo restituit : noluit enim eas, quibus a testatore conditio viduitatis fuerat injuncta, capere legatum intra annum, nisi extincta prorsus spe nuptiarum, ut si mulier se Deo devovisset : post annum vero legatum non aliter capi voluit, nisi praemissa cautio-

(a) Cujac. ad Papin. l. 32. quaest. h. mulieri ff. condit. & demonstrat.

(b) in Parat. C. de indict. vid. toll.

(c) l. 2. & 3. C. de indict. vid. toll.

Digitized by Google

tione Mutiana, rationibus ab eo deductis in eadem novella.

LVII. DE FVNDO DOTALI EX L. PAPIA, & DE JVRE LATII, & DE JVRE ITALICO.

Erat & fortasse caput legis Papiae de fundo dotali Italico, cujus alienatio dissentiente uxore; (a) obligatio vero etiamsi uxor consentiret marito vetabatur. Fundus autem Italicus appellabatur is, qui juris erat Italici. Etenim praeter jus provinciarum, triplici jure populi, atque agri devinciebantur. Erat enim jus Quiritium, de quo alibi, quod jus optimum dicebatur, cujusque cives tantum Romani potiebantur in usucapionibus, & nexibus, aliisque ritibus jam expositis, cujus juris nemo latinorum participabat, nisi aliquis eorum populus, fundus, sive auctor factus esset, ut jure civili Romano deinceps tenerentur, atque concedente Populo Romano legibus in Vrbe latis (b) imbuerentur. Aliud jus erat Latii, quod in suffragiorum facultate versabatur, ac petitione honorum, & magistratuum. Ad suffragia enim ineunda latini populi arbitrio Romani Magistratus vocabantur, (c) tribuque destituti migrabant in eam, quam idem jussisset Magistratus. Quamobrem jus Latii constitutum erat maxime in honorum petitione. Qui enim in latinis civitatibus magistratus gessissent, AEdilitatem puta, vel Quaesturam, ii cives Romani petendi magistratus gratia fiebant. Postremum jus fuit Italicum juri latino inferius, provinciali majus, non quia daret omnem immunitatem tributorum Augusto auctore, ut censet Sigonius; sed quia populos Italiae, atque eos, qui jure Italico potiebantur capitis

(a) Mart. Capell. *lib. 2.*

(b) Cic. pro Balbo.

(c) Sigon. *de antiq. jur. Ital. lib. 1. cap. 4.* Ascon. *in orat. in Pison.*

Digitized by Google

tis tributo, nempe censione levaret; tributum vero soli relinqueret. Ideo enim in tit. ff. de censibus, pluribus locis separantur civitates immunes ab iis, quae sunt juris Italici, quia non omne tributum jure Italico remittebatur; sed ut diximus tantum censio capitis ab Augusto instituta. (a) Is enim instituit novam tributorum formam, cum antea vectigalia penderentur. Quamobrem Cujacius jus Italicum interpretatur *levationem censionis*, si colonia non sit immunis: etenim si immunis sit plenius aliquid ex jure Italico voluit accedere, nempe participationem juris civilis in traditionibus per nexum, in usucapionibus, in annali exceptione jure prorsus eodem, quo & Italici; qui eodem jure militiae, quo & latini potiebantur. (b) Omnia tamen haec discrimina fere sustulit Antoninus, ut recentiores ex eruditis putant, Caracalla, teste Bione: nam & is Imperator, Antonini nomine, quo indignissimus erat, clarescere voluit, auctore ipsius patre Severo. Qui ad civis Romani conditionem Romanum imperium extulit universum. Verum ut caput hoc expediamus, Augustus, qui non modo excitare frequentiam nuptiarum, sed contractas confirmare, atque futurae prolis necessitatibus providere studebat, inseruit, ut Gothofredus suspicatur, (c) legi Papiae praesens caput de alienatione fundi dotalis Italici; quo cavebatur ne fundus dotalis Italicus a marito, invita uxore alienaretur; neve ab eodem etiam consentiente obligaretur; a qua legis particula manavit, latior haec appellatio,

(a) D. Lucas in Evang.

(b) Sigon. de jur. Ital. lib. 1. cap. 21. Cujac. lib. 10. obs. 35.

(c) In not. ad hoc caput.

Digitized by Google

tio; nempe *lex Julia de fundo dotali*; ſicuti dicitur etiam *lex Julia decimaria*, *lex Julia de caducis*: cum ſint omnia haec capita legis Juliae, & Papiae Poppeae. Vnde mos recitandi ſponſis dotales tabulas, & leges forte Julias, & Papiam Poppeam: ut intelligeret maritus, quid juris in dote dotalibus ex tabulis, atque ex legibus haberet. quod ſignificat Martianus Capella (*a*) his verbis: *Tunc tabulas*, dotales nempe, *ac Papiam Poppaeamque legem ſinerent recitari.*

(a) *ſub fin. lib. 2. de Philolog. & Mercurii nuptiis.*

LVIII. DE DIVORTIIS.

Et quoniam liberorum procreatio concordia fovebatur; impediebatur vero diſſidiis, crebrisque divortiis; Auguſtus eorum frequentiam coërcendam cenſuit, ſpemque diſcedendi minuendam, quo ea dimiſſa conjugum animi ab ſeſe componerentur, ac ſaltem conſuetudine diſſimulandi, ſenſim irarum aeſtus deferveſcerent. Igitur damni metu maritos a divortiis abſterruit; (*b*) etenim lege Papia cautum fuerat, ut matrimonio ſine uxoris culpa ſoluto, maritus, heresve illius uxori tantumdem pecuniae penderet, quantum ad illum ex uxoris ejusque libertorum bonis perveniſſet; aut quidquid minus ad maritum ex dolo ipſius malo pervenerit. (*c*) Quod legis caput interpretes eorum temporum coërcuerunt potius quam ampliarunt. Quaeſitum enim fuit ſi ſervum dotalem vir manumiſiſſet, (*d*) eamque manumiſſionem uxor donandi animo probaſſet [quae donatio favore libertatis valebat; (*e*)] an quidquam ſoluto matrimonio eſſet a marito uxori de impoſitis libertatis cauſa reddendum? Juriscon-

(b) *Paul. l. 8 ff. cap. & poſtolim. l. 33. ff. ritu nupt.*

(c) *l. ſi vero §. dabit ff. ſolut. matrim.*

(d) *l. ſervum dotalem ff. manumiſſ. l. & ſi dotis C. jur. dot. l. 1. C. de ſer. pign. dat. man.*

(e) *l. ſi conſtante §. ſi vir ff. ſolut. matrim.*

ſul-

Digitized by Google

sulti responderunt, tum demum praestandum uxori a marito servi precium, & quidquid ex causa ejus manumissionis acceperit, cum invita uxore manumisisset; secus vero si ea consentiente ac probante. (a) Quamobrem si servus dissentiente uxore manumissus, maritum, sive manumissorem instituisset heredem: maritus non modo cogebatur partem reddere, quae ad eum spectabat jure patroni; sed integram hereditatem, (b) tamquam eo nomine sibi relictam, quod patronus esset ipsius, & dominae maritus. (c) At si negotium gerens uxoris ea non invita manumisisset, tantumdem reddebat, quantum patronatus jure a liberto accepisset: nam quod praeter patronatus jus accepit, id potius ex liberti beneficentia, quam ex causa matrimonii videtur assecutus. (d) Neque placuit Jurisconsultis ultra proprium verborum sensum hanc legem extendere: ideo, neque socerum, aut soceri successorem sententia legis comprehenderunt; neque, si ad mariti filium exheredatum bona liberti pervenerint, ad restitutionem compulerunt mariti heredem. (e) Quaeritur etiam si maritus in testamento liberti dotalis a se manumissi adscripserit sibi legatum; an illud recidat ad uxorem? Paullus negat, cum nihil ad maritum ex eo legato perveniat: (f) etenim adscribendo sibi legatum incidit in edictum Claudii, & in S. C. Libonianum: quibus legata, quae quis sibi, aut ei, quem in potestate habet adscripserit dictante testatore pro non scriptis habentur. Nec quia lege Julia legatum ex te-

(a) *si dotale 61. supr. ad l. 64. ff. solut. matr.*

(b) *§. sed nostra Instit. de succeff. libert.*

(c) *Duaren. ad l. si vero 64. ff. solut. matrim.*

(d) *l. si vero ff. solut. matr.*

(e) *l. si vero §. dabit, & §. de viro ff. solut. matrim. & §. si filium ibid.*

(f) *l. filium emancipatus 14. §. maritus 2. ff. ad l. Cornel. de falf.*

Digitized by Google

testamento liberti pertinet ad uxorem ; ideo illud sibi minus videtur adscripsisse : quia nec si quis adscripserit sibi legatum alteri restituendum, propterea edictum Claudii,& Senatusconsultum effugerit. (a) Sed legatum transibit cum onere ad heredem.

(a) Cujac. l. 1. filius emancip. 14, & l. cum quidam 17. ff. ad l. Cornel. de falsis.

LIX. De testamentis libertorvm, eorvmqve svccessione.

Erat, & caput de testamento libertorum. Si sane legibus XII. tabul. liberam testandi facultatem habebant, sicut ingenuus, sive cum liberis, sive absque liberis decessissent : neque patronus ad bona liberti vocabatur, nisi cum libertus mortuus esset intestatus, nullumque reliquisset heredem suum. Hanc juris licentiam Praetor aliquando patronis aequior coërcuit, eosque si libertus cum testamento decessisset, ad dimidiam partem bonorum illius per bonorum possessionem contra tabulas vocavit : eademque dimidiam patronis concessit, si libertus intestatus decessisset herede suo relicto filio adoptivo. Naturales enim liberi etiam emancipati & in adoptionem dati dummodo non exheredati, sed vel pro parte scripti heredes, vel praeteriti, atque ideo ad bonorum possessionem contra tabulas admissi, patronum excludebant. (b) Sed lex Papia jus hoc extenuavit. distinxit enim libertum centenarium, sive qui centum aureos in bonis haberet, (c) a liberto centenario minori, sive qui haberet hac summa minus: hic enim vel uno relicto filio ; (d) ille tribus liberis superstitibus hereditate sua, sive ex testamento, sive ab intestato patronum per legem Papiam excludebat : relictis vero minus quam

(b) Instit. de succeff. libert.

(c) Instit. eod. §. 2. & 3.

(d) l. 148. ff. V. S.

Digitized by Google

quam tribus filiis, patronus tantumdem consequebatur, quantum singuli ex liberis, nempe virilem; at dimidiam si unum filium, filiamve reliquisset libertus. Si tamen filius liberti unicus paternam hereditatem omitteret; heredis quidem nomen ipse ferebat, utilitas tamen hereditatis in patronum conferebatur. (a) Porro si libertus dum viveret, quo se centenario minorem efficeret, in fraudem legis partem bonorum alienasset, alienatio erat ipso jure irrita; (b) sin alienasset in fraudem patroni, quo illius virilem imminueret, non quo se centenario minorem redderet; tum valebat quidem ipso jure alienatio, cum contra patronum tantum esset, non contra legem; sed per Fabianam, & Calvisianam actionem revocabatur. Justinianus vero jus aliud invexit per graecam constitutionem, cujus cum verba desiderentur, sententiam in Institutionibus habemus expositam. (c) Patroni filia jure trium liberorum suffulta, eadem jura in paterni liberti bonis habebat ex lege Papia; quae & ipse patronus, patronique filii ex edicto Praetoris haberent. Patronae vero nullum aliud jus in libertorum bonis habebant, quam quod ex l. XII. tab. proficiscebatur. Verum ex lege Papia patronae ingenuae quidem duobus, libertinae vero tribus honoratae liberis, idem sunt jus assecutae, quod patronus ex edicto Praetoris impetraverat: (d) quod jus eadem lege productum fuit ad liberos patronae ingenuae trium liberorum numero auctae. (e) Superest caput de libertarum liberis, (f) quod

(a) *l. 6. §. 2. ff. de bon. libert. & l. 38. §. ult. eod.*

(b) *l. si libertus 16. ff. jur. patr.*

(c) *§. ult. Inst. de succeff. liber.*

(d) Vlp. *fragm. tit. de bon. lib. 29. §. patronae.* Terent. Clem. *l. 39. ff. bon. lib.*

(e) Vlp. *fragm. tit. ult.*

(f) Vlp. *tit. 29.*

Digitized by Google

nos ad postremum locum rejicimus secuti naturae ordinem, quae liberos constituit sequelam parentis. Hoc autem caput ita Gothofredus concinnavit, nempe ut in bonis libertae etiam quatuor liberorum jure subnixae, pro numero liberorum libertae, mortis ejus tempore superstitum, virilis pars patrono, patronique liberis masculis debeatur.

LX.

AD L. PAPIAM POPPAAM DE CADUCIS: SIVE AD L. CADUCARIAM, ET DE VICESIMIS.

Superioribus legis capitibus Augustus Vrbi reddere studuit absumtam bellis civilibus multitudinem. Eodem vero tempore de explenda aerarii lacuna cogitavit. Privatorum igitur incommodo publicam levavit inopiam, jusque populo tribuit in alienas hereditates, & legata, quae antea privatis integra planeque libera dimittebantur. Vnde post communicatam omni Romanorum imperio civitatem, in immensum haec lucra aerarii ad commodum, ut Dio refert, exundarunt. Et primo vectigal gravissimum extraneis heredibus [non liberis, & parentibus, (a) non denique pauperibus] imposuit, vicesimamque legatorum, & hereditatum partem inferri jussit in aerarium militare, populique offensionem Julii Caesaris auctoritate, gratiaque vitavit. Legem enim eam repertam simulavit in illius commentariis; quo odiosa, & nova omnia tum referebantur. Quam Tullius fraudem saepe Marco Antonio in philippicis exprobrat. Ne qua vero mora solutioni vicesimarum fieret, lex cavit, & Adrianus edixit, uti statim tabulae testamen-

(a) Plin *in Paneg. & l. unic. ubi* Cujac. *in parat. C. cad. toll.* Dio *lib. 55. an. 759.*

Digitized by Google

menti post mortem aperirentur : (a) unde tabulae a praesentibus intra tres dies erant aperiendae, vel quinque : atque idem tempus ab absentibus, cum supervenissent. (b) Huic autem de vicesima legi Nerva, Trajanus, Adrianus, Marcus modo ademerunt, modo reddiderunt ademtam vim ; donec ab aliis ante Justinianum Imperatoribus funditus tolleretur. Cujus abrogationis Gratianum auctorem fert Alciatus, (c) qui a Cujacio (d) falsi accusatur, propterea quod Ausonii testimonium, quo ille nititur, nullum invenitur. Auxit praeterea lex fisci commodum rebus iis, quae legatario, vel heredi non tam voluntate testatoris, quam lege quaerebantur : nempe illis, quae aliqua ex causa capere non poterat is, qui testamento vocabatur, quaeque propterea, vel ad heredem, alium, vel ad alium legatarium accedebant. Haec autem in tria genera tribuuntur : alia enim pro non scriptis habentur, alia dicuntur esse in causa caduci ; alia proprie caduca sunt, & nuncupantur. Pro non scriptis sunt relicta iis, quorum in personis ab initio non consistunt, veluti relicta incapacibus, & mortuis vivente testatore ; item obscura, & perplexa, quae non intelliguntur ; praeterea, quae dictante testatore ab ipso testamentario sibi adscribuntur, quibus tollendis prodiit Senatusconsultum Libonianum infra nobis exponendum : & captatoria, sive quae quis eo consilio legat, ut sibi, vel alteri commodum aucupetur ex testamen-

(a) *l. ult. C. de edict. D. Adrian. toll.*

(b) Paull. *lib. sent. 4. cap. 6.* Cujacius *ibid.*

(c) *dissunct. 34. 6.*

(d) *in* Paull. *lib. sent. 4. tit. 6.*

mento illius cui legavit, veluti: *Si Titius me heredem instituerit, vel qua ex parte Titius me heredem instituerit, mihi heres esto.* Item *si Titius Cajum sibi heredem instituerit mihi heres esto.* Quod relictorum genus Senatusconsulto damnatur. (*a*) Illa etiam pro non scriptis habentur, quae relinquuntur iis, qui sunt apud hostes spe reditus omnino peremta, nempe quod ibi postea decesserint; (*b*) & legata pura, quae peregrino relinquuntur, (*c*) & deportato, (*d*) aut damnato in metallum, qui cum sit servus poenae non habet dominum, ex cujus persona legatum consistat, ut consistit in servo, qui dominum habet legati compacem. (*e*) Quidquid autem ejusmodi est, & pro non scripto habetur, veteri jure manente, ut olim semper, sic & nunc etiam, non ad fiscum, sed ad heredem, vel legatarium, vel substitutum sine onere devolvitur; (*f*) exceptis duobus casibus, quos innuit Justinianus (*g*) & profert Cujacius, (*h*) nempe cum servus legatus est alicui, qui capere non potest, atque ab eodem relicta est servo libertas: quamvis enim legatum sit irritum, tamen humanitatis ratio libertatem intercidere non sinit; ideo contra subtilem juris rationem, praestanda est ab eo, apud quem servus permanserit. (*i*) Alter casus est, cum id, quod sibi dictante testatore quis adscripserit, rogatus est restituere: quamvis enim legatum intercidat, onus tamen sustinetur, & fideicommissum ab herede praestabitur, (*k*) cum ita sit cautum Senatusconsul-

(a) Cujac. *obs. 16. cap. 11. l. illac. §. ult. ff. de hered. instituendis.*
(b) *l. si servo meo ff. legat. 1. l. 4. in fin. ff. de his, quae pro non script. §. 24 Instit. de legat.*
(c) Cujac. *C. de cad. toll. p. 790.*
(d) *l. 1. C. hered. instit.*
(e) *l. 3. ff. de his quae pro non script. habentur.*
(f) *l. unica §. in primo C. caduc. toll.*
(g) *l. unica §. 2. C. caduc. toll. verbo permuto.*
(h) *ad eandem l. pag. 798.*
(i) *l. cum vero §. si pro non scripto ff. fideicomm. libert.*
(k) *l. ult. ff. his quae pro non scr. habentur.* Cujac. *ad l. unicam C. cad. toll. p. 798.*

Digitized by Google

sulto Liboniano. Nec tantum ea, quae ab initio sunt irrita, sed quae à primo valuerunt, deinde in eam causam reciderunt, a qua incipere nequeunt, pro non scriptis habentur. Cujusmodi duos casus ponit Jurisconsultus: (a) iique sunt, si heres institutus, vel legatarius facto testamento damnetur in metallum; vel si servus alienus, cui fuerat aliquid legatum, a testatore redimatur. In causa caduci ea sunt, quae vivo testatore deficiunt, veluti si legatarius, aut heres testatorem morte praeverterit, aut vivente testatore servus poenae factus libertatem amiserit, aliove modo conditio legati defecerit. Haec enim, quae jure antiquo vel in substitutum recidebant, vel in conjunctum, aliumve a quo relicta erant; lata lege Papia eodem jure coeperunt esse, quo & caduca, fisco scilicet obnoxia. (b). Caduca vero proprie sunt, quae post mortem testatoris in eam causam decidunt, a qua incipere nequibant: quae ut amplius fisco crescerent, vetitum fuit lege Papia, ne heres ex parte adire posset ante apertas tabulas hereditatem, quo aditione dilata caducum rederetur, quidquid ante apertas tabulas a testatoris morte deficeret. Vnde si vel decessisset heres, vel civitatem Romanam amisisset, illius portio caduca erat, & ad fiscum perveniebat; (c) in herede vero ex asse conservatum fuit jus antiquum. (d) Caducum erat etiam si quid relictum fuisset coelibi, nec is intra diem centesimum, qui dies erat cretionis, uxorem duxis-

(a) *l. 3. §. ult. ff. hic, quae pro non script. habent. & §. pen.*

Quae dr in causâ Caduci esse.?

(b) *l. unic. C. de cad. toll. §. pro secundo. ubi Cujac. p. 799.*

Quae sint proprie Caduci?

(c) *Vlp. instit. tit. 17.*

(d) *l. multum. ff. condit. & demonst. l. 1. §. ult. ff. jur. & fall. ignor. Cujac. ad l. un. C. de caduc. toll. pag. 802.*

Digitized by Google

xisset; vel si relictum fuit Latino, nec is ante dies centum jus Quiritium impetrasset. (a) Item si post mortem testatoris conditio, cui legatum suberat, defecisset. Tum autem ad ea, quae essent in causa caduci, tum ad caduca ipsa, populus, veluti omnium parens, ut ait Tacitus (b) lege Papia initio vocabatur, eaque suo cum onere capiebat, perinde ac jure antiquo heres, aut substitutus, (c) aut conjunctus. At quod populo fuerat jus in caducis Antonini lege translatum fuit ad fiscum principis, ut docet Vlpianus, (d) cujus lectionem nescio quam recte immutavit Cujacius, ne illum repugnantem faceret Juliano; (e) apud quem non populus vocari scribitur ad caduca, sed fiscus: cum tamen Adriani temporibus, quibus Julianus vixit non fiscus, sed populus ad caduca vocaretur: unde potius Juliani locum Gothofredo auctore suspicor fuisse a Triboniano vitiatum, expunctaque populi mentione fiscum substitutum, ut, quod saepe solet, veterum sententias ad Justinianei saeculi rationem accommodaret. Nunc quemadmodum ad caduca populus, vel fiscus admitteretur inspiciamus. Et constat eos tum demum abstuliisse caduca, cum testator sine liberis parentibusque decessisset: nam si liberi parentesve usque ad tertium gradum supererent heredes instituti: quod capere non poterat is cui relictum erat, ipsi servato vetere jure capiebant. (f) Pronepotes igitur etiam & proavi excludebant fiscum a caducis: ter-

(a) Vlp. tit. 22. §. cum quo & tit. 17.

(b) Tacit. lib. 3. annal.

(c) l. 96. §. 1. ff. leg. 1.

(d) tit. 17. §. 2.

(e) l. 96. §. 1. ff. leg. 1.

(f) l. unic. §. & cum lex. C. cad. toll. Vlp. Inst. cap. 17. & 18. l. pater meus §. ult. ff. legat. 2.

Digitized by Google

tertius enim gradus hujus legis ſententia comprehenditur, cum *usque* particula non raro includat extremum quo ſermo excurrit: quam etiam vim habet in pluribus juris locis, ut recte Cujacius obſervat. (a) Verum eadem haec exceptio, quam ad teſtamenta inter liberos parentesque facta pertinere didicimus a Juſtiniano, (b) extenditur a Gothofredo ad extraneos heredes, qui liberos habent, moveturque illo Juvenalis loco Sat. 9.

(a) *l. ult. in fin. ff. Senat.* Cujac. *tit. C. de ead. toll. pag. 787. & ſeq.*

(b) *l. unic. in princ. C. de cad. toll. verſic. & cum lex.*

Jura parentis habes: propter me ſcriberis heres
~~*legatum*~~
Legatum omne capis, nec non, & dulce caducum.

Quod tamen accipi poteſt de aliis legis capitibus, quibus quis relicto privabatur ob orbitatem. Movetur praeterea Vlpiani auctoritate tit. 25. in fine, cujus haec verba ſunt: *Si quis in fraudem, tacitam fidem accommodaverit, ut non capienti fideicommiſſum reſtituat, nec quadrantem eum deducere Senatus cenſuit, nec caducum vindicare ex eo teſtamento ſi liberos habeat.* Quae quaſi de extranei teſtamento dicantur putat Gothofredus ſententiae ſuae favere. Hunc autem verborum ſenſum Cujacius ut declinaret, pro *ſi liberos habeat*, ſubjecit *ſi ex liberis exiſtant.* Verum locus meo judicio nulla emendatione indiget: Siquidem Vlpiani verba ſine ulla extranei mentione recte congruunt teſtamento patris, cui filius tacitam

fidem in fraudem legis accommodavit, ut non capienti aliquid restituat suae fidei commissum: quae fraus ne filio esset impune, Senatus eum jure capiendi privavit: & quoniam illi conciliare gratiam poterant liberi, quorum causa multa parentibus remittuntur, adjecit ne quidem si filius, qui fraudem legi fecerat, liberos haberet, poenam evasurum. Si quidem qui dolo malo (a) in fraudem legis clam jussu testatoris aliquid restituendum recepisset, hoc est fidem suam accommodasset, ut alteri restitueret; is ex lege Papia excidebat hereditate, aut legato sibi relicto, eaque bona tamquam vacantia vindicabantur a populo: ut ne fructus quidem licuerit heredi, aut legatario ante litem motam perceptos retinere: quia bonae fidei possessores non habebantur, (b) nec eis adcrescebat quidquam deficiente conjuncto, cum nemo rem habere dicatur, qua fuerat ab initio privandus, (c) atque hoc unum erat genus bonorum ereptitiorum ex l. Papia descendentium. Alterum genus erat eorum, quae indigno relicta erant, ad quae populus etiam, & fiscus vocabantur, & aliquando etiam privati: veluti si legatarius testamentum suppressisset, quo heredem fraudaret; aut tutelam testamento relictam recusasset; (d) utroque enim casu indignus est legatarius legato; sed pars ei ablata traditur heredi cui fraudem tetenderat, aut pupillo cujus tutelam recusaverat: (e) ideo Justinianus (f) ait quae indignis auferuntr cedere aliquando privatis; & Vlpianus (g) scripsit non raro ereptitia

(a) *l. in fraudem 10. l. heres. 11. l. cum qui 18. ff. de his quae ut indign. l. 3. ff. jur. fisci.*

(b) *l. cum qui 18. ff. his quae ut indign.*

(c) *l. si totum 83. ff. adquir. vel omit. hered.*

(d) *l. 5. §. amittere ff. his quae ut indign.*

(e) *l. penult. C. de legat.*

(f) *l. unic. § 12. C. caduc. toll.*

(g) *Instit. cap. 19. §. 16.*

Digitized by Google

tia nobis adquiri. At quosnam praeterea indignos judicabimus beneficio teſtatoris? eos nempe, qui vel defunctum occiderint, (a) quos & a deſcendentium defuncti bonis lex excludit; vel eos qui teſtatoris morti cauſam aliquam per culpam aut negligentiam praebuerint, (b) eamve mortem vindicare omiſerint, vel teſtamentum proboſo aliquo nomine, vel falſi accuſaverint, aut inofficioſum dixerint: (c) ſiquidem pertenderint; non autem ſi deſtiterint ante ſententiam. (d) Item qui vel defuncto grave aliquod in judicio crimen objecerint, (e) vel ſtatus controverſiam moveant; vel contra tabulas bonorum poſſeſſionem petant; (f) vel uxores contra leges duxerint: (ab ejus enim mulieris hereditate ob turpitudinem arcentur;) (g) vel capitales inimicitias cum teſtatore ſuſceperint, eique maledixerint; (h) vel ejus uxorem vitiaverint; vel hereditatem compilaverint: pars enim compilata fiſco accedit, nulla per heredem detracta falcidia, (i) vel feſtinata improbe ſpe, bona ſibi ex legitima ſucceſſione perventura donaverint: turpe eſt enim cognato nondum mortuo, per aes, & libram illius bona mancipare, qui ritus ut diximus libro ſuperiori, adhibebatur ante Juſtinianum in quavis translatione dominii. Nec tantum ad partem alteri donatam fiſcus vocatur, ſed ad reliqua bona donatori legitima ſucceſſione obventura; denegatis huic actionibus hereditariis. (k) Aufertur autem dum-

(a) *l. Lucius Titius ff. de jur. fiſc. l. cum ratio §. fin. ff. bon. damn. DD. in l. eam 14. C. de fideicom.*

(b) *l. heredum 15. l. et qui mortem 20. ff. his quae ut indign. l. 1. & 3. C. eod.*

(c) *l. §. in princ. & §. ſi pater, & §. ult. l. heredi 15. l. cum tabul. 16. ff. his quae ut indign.*

(d) *l. 8. §. meminiſſe ff. inoff. teſtam.*

(e) *l. ſi inimicit. 9 ff. his quae ut indign.*

(f) *l. 2. ff. his quae ut indign.*

(g) *l. 2. ff. eod.*

(h) *l. ſi inimicitiae ff. his quae ut indign.*

(i) *l. reſcriptũ 6. ff. his quae ut indign.* Cujac. *ad l. quidam 30 ff. donat. ſive ad lib. 10. reſponſ. Papin.*

(k) *l. donatio vel l. quidem 30. ubi* Cujac. *ff. de donat. ſive ad Papin. lib. 10. reſponſ.*

Digitized by Google

taxat id, quod apud heredem permaneret, non quod ad ſubſtitutum, vel alterum per fideicommiſſum perveniret. (a) Alia via populo, vel fiſco patuit ad aliena bona per caput illud legis Papiae, quo conſtituitur, ut ſi heres decedat ante aditam hereditatem, hereditas in aerarium, vel in fiſcum cadat. (b) nam jure antiquo hereditas deficiente herede teſtamentario deferebatur ad legitimos ſine oneribus: cum jure ſuo, ſive beneficio legis transeat, non voluntate teſtatoris. (c) Hereditas enim non adita in heredes heredis minime transmittitur, niſi aliquibus caſibus, puta ſi a parentibus, ſive maribus, ſive foeminis liberi ſint inſtituti, ſive ſui, ſive emancipati, atque ita inſtituti ſuſceperint liberos: ad hos enim hereditas parentibus relicta transmittitur. (d) Praeterea ſi heres extraneus deceſſerit intra annum legibus ad deliberandum datum, (e) & ſciat hereditatem ſibi delatam: hereditas, etſi nondum adita transmittitur in heredem deliberantis, una cum jure deliberandi (f) per temporis reſiduum. Item infans ab extraneo inſtitutus, ſi in infantia decedat transmittit in patrem, qui ejus nomine adire cum poſſet non adivit. (g) Tandem ſi S.C. Silaniano, quo aditio, & apertura tabularum protrahebatur, donec de familia quaeſtio haberetur, heres adire impeditus deceſſiſſet: ne huic S.C. eſſet fraudi, Scaevolae placuit transmitti hereditatem. (h) Dies vero legatorum nonniſi ab apertura tabularum cedebat, etſi legatarius ante agnitum legatum decederet, legatum in

(a) *l. 8. §. meminiſſe ff. inoff. teſtam.*

(b) *l. unica §. in nobiſſimo 5. C. eod. caduc. toll.*

(c) Cujac. *ad tit. C. de caduc. toll. pag. 803. lit. a.*

(d) *l. unica C. de his qui ante apert. tab. hered. tranſ.* ubi Cujac. *ad l. unic. C. eod. toll.*

(e) *l. cum in antiquioribus C. de jur. delib.*

(f) *d. l. cum in antiquior.*

(g) *l. ſi infans. eod.*

(h) *l. ſi quiſ. 3. §. elegan. ff. S. C. Silaſian.*

Digitized by Google

in fiscum redigebatur, (a) exceptis legatis per vindicationem, quae Paullus (b) ad heredem legatarii transire scribit. Praeterea omissa, vel repudiata hereditas, & legatum fisco vacabant: partemque non capientis caducam esse, bonaque illius, qui jus omisit suum, populo ex l. caducaria deferri Vlpianus tradidit. (c) Quamvis enim hereditas, & legata, quae aut repudiantur, aut supersunt post mortem illius, qui decessit ante aditam hereditatem, agnitumve legatum, proprie sint bona vacantia, distinctumque nomen ferant a caducis: promiscue tamen haec aliquando accipiuntur. (d) Vlpianus enim simpliciter partem non capientis, aut non adeuntis ait esse caducam. (e) Ea sunt etiam caduca, quae legis Papiae modum excedunt, puta si conjugi relictum sit plus quam lege decimaria licet, vel si quid legatum sit coelibi, aliive relictum sit, quibus lege Papia capiendi facultatem ademtam esse ostendimus, (f) nec legata modo, sed & mortis causa donationes eidem juri subesse discimus ex S. C. ad caput hoc legis condito. (g)

(a) *l. unic. §. in nobissimo C. cad. toll. & §. cum igitur.*
(b) *lib. 3. sent. t. 6. §. per vindicat. ubi Cujac.*
(c) *tit. 28. §. intestati.*
(d) *l. 96. §. 1. ff. leg. 1. Tacit. lib. 3. annal.*
(e) Vlpian *tit. 24. §. 11. tit. 1. §. inter medias 19. & tit. 28. §. 7.*
(f) *l. 55. ff. leg. 2.* & Vlp. *tit 17.*
(g) *l. 37. l. 35. ff. mortis causa donat.*

LXI.

DE JVRE ADCRESCENDI.

Et quoniam duplici ratione fiscus arcebatur a caducis, jure scilicet accrescendi, & jure substitutionis: (nam jure accrescendi portio deficiens veniebat ad conjunctum re, & verbis, vel re tantum, vel aliquando ad conjunctum solis verbis, si appareret testatorem (h) conjunctionem affectasse, ne inane sit studium illius: jure autem substitutionis portio deficiens a substitu-

(h) Cujac. *ad l. triplici ff. V. S.*

Digitized by Google

ſtituto occupabatur); lex Papia jus quidem ſubſtitutionis reliquit integrum, jus vero adcreſcendi ex parte praecidit: (a) nec prorſus ejus juris commodo ſpoliavit heredes. Ait enim Vlpianus (b) ei, qui totam hereditatem, aut partem ſibi relictam ſit reſtituere rogatus, nihil adcreſcere debere; non quia pars deficiens fiſco inferatur, ſed quia heres totum reſtituere coactus careat re, cui portio deficiens poſſit acreſcere. Eſt & alius Vlpiani locus, ubi heredi ſcripto portio hereditatis, perinde atque bonorum poſſeſſio adcreſcit. (c) Et Celſus ait filium heredem, cui pars ejus, a quo fuerit legatum, adcreſcat; non praeſtare legatum, quod jure antiquo capit. Quandonam igitur in partem coheredis deficientem fiſcus ex l. Papia vocabatur? Neque enim Jurisconſulti ad l. Papiam ſcribentes de heredum conjunctione tractaſſent, neque Juſtinianus caduca funditus tollens attigiſſet etiam coheredum portiones, (d) easque ad priſcam juris obſervationem revocaſſet; niſi ad fiſcum illae aliquando pertinuiſſent. Quamobrem Jacobus Gothofredus ad hoc caput, & poſt eum Jurisconſultus recentior exiſtimarunt (e) lege Papia ſublatum jus accreſcendi inter heredes ſcriptos, quando partes deficiebant vivo teſtatore, aut ante apertas tabulas: (f) at apertis tabulis, atque hereditate adita, inter heredes jus accreſcendi manſiſſe: adeo ut conjuncti fiſco praeferrentur. Cum autem heredis portio repudiata adcreſceret alte-

(a) Goth. in not. pag. 349. ad hanc legem.

(b) l. ſi totum §3. ff. adquir. hered.

(c) l. 2. §. ſi duo ff. bon. poſſeſſ. ex tabul.

(d) C. caduc. toll. §. hoc ita.

(e) Merillus obſ. 4, & cap. 12 in fine.

(f) l. unica §. 3. & 4. C. caduc. toll.

Digitized by Google

alteri, dubitabatur, an simul cum onere suo transferretur? Quod Julianus negaverat. Vlpianus vero transferri scripsit post rescriptum Severi, ex quo ab instituto relicta onera censentur a substituto repetita. Vnde Vlpianus colligit pari ratione ab altero collega, cui portio adcrevit, onus videri repetitum. (a) Inter legatarios autem prorsus sublatum fuisse jus adcrescendi per legem Papiam praeter Justinianum, (b) docuerunt & JCti praesertim Vlpianus. (c) Substitutionibus tantum lex Papia pepercit, unumque hoc effugium patuisse testatoribus, qua legem declinarent Justinianus tradit. (d) Itaque JCti qui privatorum testamentis adhibebantur, quique pro viribus odiosam studebant coërcere legem; commenti sunt reciprocam substitutionem, tamquam perpetuum bonorum nexum; ut uno peremto modo statim hereditas, aut legatum revinciretur altero, itaque fiscus diutius averteretur. Adeo enim JCti hujus legis avaritiam abominabantur; ut vires illus ubicumque usuveniret, cautionibus responsisque extenuarent. Cujus bonitatis, prudentiae, atque caritatis plura in legibus nostris exempla supersunt. Quale est illud Vlpiani, qui legatum negat intercidere, si fuerit deportatus is, cui relictum fuerat sub conditione, *si Consul esset*; quamquam enim is mortuo comparetur; tamen ne fisco locus aperiretur, legatum consistere ait propter spem restitutionis. (e) Item & aliud ejusdem JCti, qui monstrosum partum

(a) *l. 61. ff. legat. 2.*

(b) *l. unic. C. cadue. toll.*

(c) *Instit. tit. 24. §. optimum autem.*

(d) *l. unica in princ. C. eod.*

(e) *l. interdixit ff. condit. & demonst.*

Digitized by Google

tum docet proinde atque integrum prodesse mulieri ad effugiendas legis Papiae poenas, ne materni fati calamitas cedat in fisci lucrum, (a) cum alias monstrosus partus in liberis non numeretur, illumque occidens poena legis Corneliae non teneatur: nam legibus XII. tab. parens eum, aut ferro necare, aut undis mergere jubetur: non enim videtur hominem interficere. (b) Porro princeps minime solutus erat omnibus legibus, quippe qui teste Dione, (c) Senatu veniam legis Voconiae peteret, & in legatis sibi relictis Falcidiam (d) pateretur: tamen ex S. C. solutus erat legibus caducariis ob earum odium, quod beneficium principes Augustae impertierunt, ut tradit Vlpianus. (e) Quam legem Tribonianus perperam locavit sub titulo *de legibus*, quasi ad leges respiciat universas, ac data opera celavit posteros, leges aliquando a Jurisconsultis κατ' ἐξοχὴν appellari solas leges *Juliam*, & *Papiam*, ad quas pertinet inscriptio tituli, quem praefert lex illa *princeps* ff. de legib. Odio quoque legis Papiae legatorum nomen in articulo fideicommissorum discretum fuit a fideicommissis, quae alias confunduntur: ne si sub legatorum nomine venirent; fideicommissorum dies cederet ab apertura tabularum quemadmodum legata: cum contra fideicommissa servato veteri jure cedant a die mortis testatoris. (f) Plura vero fuerunt S. Cta ad hanc legem condita, quorum primo illud occurrit, quo mortis causa

(a) *l. quaeret 135. ff. V. S.*

(b) *l. 14. ff. ßat. hom.* Goth. *in l. quaeret ff. V. S.*

(c) Cujac. *obs. 30. lib. 15.*

(d) *l. 4. C. ad leg. Falcid.*

(e) *ad l. princeps ff. de legib.*

(f) Cujac. *ad tit. C. de cad. toll. pag. 394. lit. C*

Digitized by Google

sa donationes iis factae, qui lege capere prohibentur, in eadem jubentur esse causa, quasi eisdem in testamento relinquerentur. (a) Sequitur & aliud S. C. quo, ut fiscus excludatur, substitutio reciproca, quamvis obscurior, tamen ex mente testatoris benigna interpretatione inducitur, (b) velut in hac specie, *Titius & Sejus uter eorum vivet heres mihi esto.* Hos Celsus existimat, si uterque vivat ambos heredes fore, alterutro vero mortuo, heredem fore superstitem ex asse, quia ut scribit Vlpianus (c) substitutio reciproca huic orationi subesse videtur; quod & in legato eodem modo relicto Senatum censuisse Celsus tradit. (d) Praeterea huic tractationi aliud S. C. accessit, quo potior causa ducitur illius, cujus fides electa sit quam heredis: unde quod Sejo fideicommissum fuerat sub conditione, ut Titio daretur; Si Titius pendente conditione decessisset, legatum apud Sejum manebit (e) exclusо herede simul, & fisco. Satis non erat hisce legum capitibus fisco, vel aerario prospexisse, nisi legislatores fraudibus viam intercluisissent: quibus detegendis, (quod in legibus poenalibus erat translatitium) certum decretum fuit praemium iis, qui privatorum fraudes ad Magistratus, & principes detulissent, quod fuit quarta pars rei delatae, idque vulgare praemium Paullus appellat; (f) eamque quantitatem praefinitam a Nerone fuisse docet Suetonius; (g) cum antea quamvis propositis

(a) *l. Senatus ff. mort. caus. donat. quo pertinet, L. & fideicom. ff. de legat. 3.* Cujac. *C. ad.* Goll. *pag. 794. lit. B.*

(b) *l. Titius, & Sejus cum seq. ff. hered. instit.*

(c) *l. sequenti.*

(d) *l. idque ff. hered. instit.*

(e) *l. Julianus ff. leg a. l. in fraud. ff. his, quae ut indign.*

(f) *l. 13. ff. jur. fisc. §. 5.*

(g) *in Nerone cap. 10.*

praemiis, eorum tamen quantitas incerta fuisset. (a) Ne autem delatorum improbum agmen in Vrbe nutriretur, propositum fuit praemium iis, qui se ipsos detulissent, propriamque fraudem patefeciissent, fuitque dimidium rei, quam detulerant: ut Paullus, & Martianus prodiderunt, (b) Quam ad rem S. Ctum prodiisse docent ii, quos indicavimus. Tandem qui in fraudem legis fidem accommodaverit, & receperit se redditurum, quod per legem non licebat; hereditate, ac legato sibi relicto a fisco privabatur. (c) Justinianus vero legem caducariam evellit prope radicitus, restituitque jus antiquum, & fisco reliquit bona vacantia, & ea, quae ut indignis eripiuntur: quam legis Papiae abrogationem explicat ipse luculenter. (d) Jam enim longe antea emendato bellorum civilium damno, populum oneribus hisce levatum oportuerat. Nam ut apud Livium (e) legitur: *quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, & temporibus ipsis mutabiles video.*

(a) Tacit. *lib. 3. annal; & lib. 14.*

(b) *l. 15. ff. jur. fisc. §. 3. & l. 13. §. ult. ff. eod.*

(c) *l. 10. ff. bis, ut indign. ff. jur. fisc. l. 13. §. 2. & l. 3. eod.*

(d) *l. unica C. caduc. toll.*

(e) *lib. 34.*

LXII. S. C. ET ORATIO ANTONINI DE TVTORVM NVPTIIS CVM PUPILLIS.

Legibus connubialibus recte attexentur S. Cta, quibus nuptiae inter pupillas, & earum tutores, curatoresve prohibentur. (f) Orationem habuit in Senatu M. Antoninus Imperator, qua sententiam suam de infirmandis ejusmodi nuptiis protulit, optimis ad id sane rationibus adductus: ne scilicet velamento nuptiarum tutores, qui conturbaverant pupillarum rationes, aut interverterant, fraudem tegerent suam; eoque

(f) *C. de interdic. matrim. inter pupill. & tut.*

Digitized by Google

que artificio doli judicium declinarent. Ideo ne conjugalis reverentia ad tutoris auctoritatem accedens puellares spiritus deprimeret, viresque omnes ad resistendum adimeret; Senatus ex M. Antonini sententia nullas esse nuptias censuit inter pupillam, & tutorem, aut tutoris filium: atque ita imbecillam aetatem, inopemque consilii sexum ab astutiorum fraudibus liberavit. Quam ob causam S. Cti sententia producta fuit a JCtis ad eos, ad quos tutoris, aut curatoris lucrum pertinet, & in quos fraudis suspicio cadit: veluti eos, qui tutores non sunt, tutelae tamen periculum suo nomine subeunt, & ad honorarios tutores, qui & de male gesta tutela tenentur. (a) Vnde non modo tutoris nepotes, qui filiorum nomine veniunt, (b) sed, & filios etiam emancipatos S. Ctum complectitur: immo & exheredatos, atque praeteritos, eosque etiam, qui se paterna hereditate abstinuissent: ne forte subductis rationibus bona patris per fraudem in eos collocata oporteat revocari tutelae judicio. (c) Quamobrem etiam extranei heredes tutoris ex JCti sententia a pupillae nuptiis arcentur. Quid si avus, qui tutelam neptis ex filio emancipato gessit, eam pupillam nepoti ex alio filio nuptum dare velit? Et quia par affectionis ratio suspicionem fraudis removet; responsum est S. Cti mentem eo non esse producendam. (d) Aliud erit si filiusfam. patri suo, aut fratri, qui est in eadem potestate, pupillam suam col-

(a) *l. quod si 14. §. 1. ff. solut. l. si quis 60. ff. ritu nupt.*

(b) *l. S. C. ff. ritu nupt.*

(c) *l. non solum 63. ff. ritu nupt.*

(d) *d. tit. ff. de ritu nupt. l. non solum §. 1.*

collocare velit: (a) tunc enim erit locus S. C. quae communia sunt patris, & filiorum commoda, sicuti & communia sunt onera, nam quemadmodum tria onera eadem in domo esse censentur, si pater alicujus, vel filius, vel frater unus tria sustineat onera; ideoque locum habet excusatio tutelae; (b) ita & pari suspicione fraudis involvuntur: ut enim prodest periculi communio ad excusationem, ita nuptiis obest participatio utilitatis. Praeterea, si ventri, aut bonis curator detur, is etiam removetur a nuptiis; (c) quamvis ad breve temporis spatium detur. Incivile praeterea visum est puellam, aut tutoris liberto, aut liberti filio in contubernio suscepto nuptum dari. (d) Quid si testator in uxoris arbitrio posuisset filiae nuptias? An matris consensus prohibitas nuptias confirmabit, tamquam patris auctoritate contractas? Minime: non tam enim nuptiarum arbitrium permisisse censetur testator, quam puellae custodiam tradidisse, (e) ne tutori nuptum daretur eadem ratione tutori adrogatio pupillae, vel pupilli, minime permittitur, (f) nec adoptio mariti puellae, ne hanc sibi viam ad aliena bona patefaciat. (g) Cum autem S. C. nuptias inter pupillas, & tutorem, atque curatorem, eorumque filios ob eam causam prohibuisset, ne imbecillis sexus infirma aetas, auctoritate tutoris opprimeretur, idque periculum in sexum virilem, utpote firmiorem minime immineret: haudquaquam oportuit (h) S. C. extendi ad eum, qui filiam suam pupillo suo in matri-

(a) *d. l. non solum §. 2.*

(b) *l. 5. ff. excus. tut.*

(c) *l. non solum §. 4. ff. ritu nupt.*

(d) *l. 4. C. interdict. matrim. l non est 66 ff ritu nupt.*

(e) *l. quamquam ff. ritu nupt.*

(f) *l. nec ei ff. adopt. §. 1.*

(g) *l. non solum. §. 2 ideamus ff. ritu nupt.*

(h) *l. libertum §. ult. ff. ritu nupt. l. 5. C. interdict. matr.*

mo-

Digitized by Google

monium collocat. Nec porrigitur S. C. ad eos, qui pro tutore, vel curatore negotia gerunt; quoniam non eadem est auctoritas. (a) Matrem quoque pupillae ducere tutori licet. (b) Praeterea si pupilla sit nurus tutoris; utpote quae ante testatoris mortem tutoris filio nupta fuerit: recte contractae nuptiae suspicioso eventu post matrimonium incidente minime dissolventur: sed alius curator datur, qui reddendis rationibus praesideat, (c) generalis enim est in jure definitio, atque perpetua, nuptias rite contractas consequenti facto minime vitiari. Nec nuptiae solum, sed & sponsalia hoc S. Cto rejiciuntur. (d) At si tutor, aut curator rationes reddiderint, licebit sibi, vel filio pupillae nuptias appetere, dummodo simul puella XXV. annum impleverit, annusque utilis exierit, qui petendae restitutioni conceditur. (e) At ex constitutione Justiniani ad XXIX usque annum prohibitio tenet: loco enim anni utilis ad restitutionem in jure antiquo petendam dati, substitutum est a Justiniano quadriennium continuum. (f) Ad hoc S. C. exceptiones duae produntur a prudentibus, nempe: nisi prius a patre desponsata tutori puella fuisset, & tutor maritus ab eodem patre puellae designatus; vel nisi quis nurui suae sit curator datus, non enim dissolventur contractae nuptiae, ut mox diximus: (g) quibus casibus vis S. Cti perimitur. Ceterum praeter dissolutionem nuptiarum fraude contractarum, hujusmodi tutor infamiae subjicitur, neque ex

(a) *l. 8. C. de interdict. matr.*
(b) *l. x. C. interdict. matr.*
(c) *l. 9. C. interdict. matrim.*
(d) Cujac. *parat. & enar. C. de interdict. matr.*
(e) *l. si patris 9. C. eod.* Cujac. *ibi in enar. parat. C.*
(f) Cujac. *ibi. C. de interd. matrim.*
(g) Cujac. *ibidem.*

puellae testamento capere quidquam potest, tenentur que lege Julia de adulteriis. (a) Puellae vero licet ex hujuscemodi mariti testamento capere; fraus enim non puellae, sed tutori adscribitur. Ejusdem exemplo S. Cti principes inter mandata, quae dabantur in provinciam cum jurisdictione proficiscentibus, illud inserebant caput, quo vetabatur provinciae rectori, sibi vel filio uxorem ex provincialibus quaerere: idque ratione potentatus, ut Papinianus ait: ne scilicet puellae resistendo impares, imperii metu, invitae pertraherentur ad nuptias. (b)

(a) l. ult. ff. leg. 2. l. quipupillum 7. ff. ad l. Jul. de adult.

(b) l. Praefectus 63. ff. ritu nupt.

LXIII. S. C. PLANCIANVM.

Nuptias consequitur procreatio liberorum, quos genitor agnoscere tenetur, atque alere: ideo si divortio facto mulier praegnans apparuerit, partus reddendus est ei, a quo concepit. Hinc leges verum patrem decernunt, cujus curae, ac potestati filius tradatur. Quamobrem S. C. Planciano, sive ut alii scribunt, Plauciano (cujus, quamvis ante Adrianum condictum sciam, certum tamen tempus ostendere non ausim:) hoc inquam S. Cto ratio praebetur, qua legitimo parenti filius usque ab initio assignetur: tum ut a patre, qui suus est, agnoscatur; tum ut partes juri civili definitae filiorum gratia ex dimissae uxoris dote detrahantur. Siquidem aut morte mulieris matrimonium dirimebatur, aut divortio. Si morte dirimeretur, dos a patre profecta eo mortuo penes maritum remanebat: vivente vero patre ad eum redibat, detractis partibus quin is in singulos liberos in infinitum, hoc est

Digitized by Google

est pro numero liberorum: (a) quarum partium retentionem quidem ante reddendam dotem habebat maritus, non petitionem. Vnde jure antiquo nullus erat disputandi locus ad patremne, an ad maritum dos superstitibus liberis pertineret. Nam quia quintae partes in singulos liberos a jure statuebantur; certe quod supererat ex detractionibus liberorum ad patrem redibat. Haec vero quaestio excitata fuit jure novo inter Martinum, & Bulgarum, cum detractio partium, & retentiones omnes a Justiniano sublatae fuerint. (b) Diu vero quaestione hac agitata, praevaluit opinio Martini, utpote liberis benignior: ne matris morte fieret eorum causa deterior. Si vero per divortium culpa mulieris, aut viri matrimonium solveretur, dabatur liberorum nomine retentio, non quintarum, sed sextarum partium in singulos liberos usque ad tres: nec in majori liberorum numero plusquam tres sexta, sive dimidium dotis retinere licebat. (c) Igitur S. Cto Plancino permittitur mulieri, parentive cujus potestati subest, vel ei, cui mandatum ab eis fuerit, si praegnans existimetur mulier, id denunciare intra triginta dies continuos a die divortii, vel ipsi marito, (d) vel parenti, cujus est in potestate; aut si horum copiam non habeat, denunciare domum, vel in hospitium, si maneat in civitate maritus; si in villa, vel in municipio, illuc ubi larem matrimonio collocaverit. Ita enim JCtus accipit illa verba S. Cti *XXX. dies*, & do-

(a) Vlpian. *tit. 6. de dotibus §. mortua.*

(b) *l. unic. §. taceat. Vers. fileat C. rei uxor. act.*

(c) Vlpian. *tit. 6. de dot. §. propter liberos.*

(d) Vlp. *l. 1. ff. de agnosc. vel. alen. liber. in pr. & seq. §. 9.*

Digitized by Google

& domum mariti. Atque ubi mulier se praegnantem ex eo esse viro denunciaverit; ille ne partum agnoscere cogatur, neve agnoscere recusans extra ordinem coërceatur, debet aut custodes praemittere, aut contra denunciare gravidam ex sese non esse: quo jus habeat in judicio negare filium. (a) Sin autem mulier denunciare neglexerit, aut oblatos ultro a marito custodes remiserit, liberum est marito, ejusve parenti recusare partum, ejusque agnoscendi, alendique curam rejicere in mulierem; (b) nisi mulier post lapsos triginta dies denuntiaverit, & negligentiam suam apud judices corrigens audita fuerit, (c) quod sane licebat. Hoc autem S. C. non eo pertinet, ut si ex sese conceptum non esse constiterit, tamen, quia se agniturum obtulit, cogatur heredem suum habere filium alienum, quamvis alere debeat; & contra, quamvis mulier intra praestitutum tempus denunciare neglexerit, & ob id pater alendi onere levetur, liceatque filium non agnoscere; non ideo tamen prohibebitur filius ex patre se natum asserere, idque legitimo judicio comprobare; sive enim praeceps fuerit patris voluntas in agnoscendo filio, sive matris cura in denunciando remissior; Jurisconsulti neutrum voluerunt praejudicium esse contra veritatem. (d) Est autem praejudicium omnis controversia status, in qua quaeritur liberne sit quis, an servus; filius annon. Diciturque praejudicium quasi judicium antecedens aliud, cum

(a) *d. l. §. 3. & 4. ff. de agnosc. vel al. lib.*

(b) Paull. *lib. 2. sent. tit. 24.*

(c) *d. l. 2. §. 6. & 7. ff. agnosc. vel alen. lib.*

(d) *l. pr. ff. agnosc. liber. §. 3. & 14.*

Digitized by Google

cum eam actionem alia, veluti pediſſequa, conſequatur? nam ſi quis filius pronuncietur, continuo poterit judicium de patris ſucceſſione movere. (a) Itaq; Senatusconſultum hoc ſic accipietur, ut quoad in judicio conſtiterit, ex quo revera parente partus deſcendat, ex ſuperiori regula alimentorum ratio ſtatuatur: aut ſi nulla de veritate partus controverſia moveatur, alimentorum ſubeat onus, qui contra Senatusconſultum venerit. Nec quia de alimentis quaerere quis antevertit, minus integrum erit ſtatus controverſiam agitare (b) Quamobrem quod Paullus ait maritum, ſi poſt uxoris denunciationem cuſtodes miſerit ad inſpiciendum, obſervandumque ventrem, cogi omnino mulieris partum agnoſcere; a Cujacio tantum ad alimenta trahitur: ne quis putaret ex hoc Paulli loco ademtam eſſe marito facultatem negandi partum, ſi id in judicio alienum eſſe comprobare potuerit. Itaque componit repugnantiam, quae videtur eſſe inter Paullum, & Vlpianum. (c) Secundum haec quaeritur quot, quive ſint mittendi? Et ſane ſi maritus divortio facto vivat, ex reſcripto Divorum fratrum, ſatis fuerint tres obſtetrices, quae ſi renunciaverint praegnantem, ventri cuſtodes apponentur. Marito vero mortuo ii, quorum intereſt, quibusque Praetor denunciatum vult, jubentur quinque mittere obſtetrices, quodque tres earum renunciaverint verum conſtituitur. (d) Verum Plancianum S. C. partum tantum ſoluto matrimonio editum complectitur. Quamobrem Adriani temporibus aliud prodiit Senatusconſultum,

(a) Paul. lib. 2. ſent. § ſi praegnantem t. 24.

(b) Paull. ſent. 2. § ſi mulier 4. tit. 24.

(c) L. 1. § quem admodum 11. ff. agnoſc. lib.

(d) l. 1. § de inſpiciendo ff. inſpic. ventr. Paull. ſent. l. 2. c. 24. ubi Cujac. § ſi mulier ſe, & § ventr.

tum, quo pater filium constante matrimonio susceptum agnoscere compellitur. (a) Quia vero haec Senatusconsulta pertinent ad eos, qui sui heredes agnascuntur, Jurisconsulti censuerunt ea cessare, si nati post mortem parentis in nullius sint potestate recasuri. (b) Sed, & aliud extitit hujus S. C. caput, quo poena l. Corneliae de falsis puniebantur ii, qui falsum partum subjecerint: cujus S. C. caput intercidit: tantum de falso partu pluribus locis in titulo Digestorum ad l. Corneliam disputatur. (c)

(a) *l. 3. §. 1. ff. agnosc. liber. ubi* Goth.

(b) *l. 1. & 3. in fin. ff. agnosc. liber.*

(c) *l. qui falsam 19. §. 1. ad l. Cornel. de falsi. l. cum suppositi 10. C. eod. tit. de falsis.*

Satis adhuc pro instituta brevitate leges pervagati sumus, & Senatusconsulta quae personarum statum attingunt: nunc ad ea, quibus negotia reguntur, ex ordine progrediamur. Atque ex negotiis primo ea, quae inter vivos reguntur examinabimus, deinde quae ex testamentis, & ex aliena morte proficiscuntur tractanda suscipiemus. Exordium vero sumemus a legibus usucapionis: quarum antiquissima sane fuit Atinia, quam ante Nigidium Figulum, & Ciceronem latam Gellius, (d) & Cicero ipse demonstrat. Eaque lex additamentum fuit vetustissimae legis XII. tabul. quae rerum furtivarum aeternam esse jubebat auctoritatem, earumque usucapionem prohibebat. Quod translatum fuit in legem Atiniam, (e) ex eaque additum, ut non prius rei furtivae vitium emendetur, usucapiove concedatur, quam res ab injusto possessore redierit ad verum dominum. Itaque per hanc legem, tum demum res furtiva vitium exuit, cum reprehensa fuerit a vero domino.

LXIV. DE LEGE ATINIA.

(d) *lib. 7. c. 7. noct. Attic.* Cic. *in Verr. 3.*

(e) *l. sequitur §. quod autem 6. ff. de usurp. & usuc. ubi* Cujac. *ad lib. 54.* Paull. *ad edict. l. non solum in princ. ff. eodem. Instit. de*

Quod

Digitized by Google

Quod Nigidius Figulus non ſolum ad poſteriora furta, ſed ad ea etiam ante legem facta trahebat. Quamquam enim verbum *erit* futurum reſpicit; tamen quia praepoſitum eſt ei praeteritum *factum*, utraque tempora, futurum ſcilicet, & praeteritum ea oratione conjunguntur. (a)

uſucap. §. furtivae l. poteſtatis 215. ff. V. S. vide Pulvaeum *lib. ſing. ad l. Atin.*

(a) *l. verbum erit ff. V. S.*

Quod autem lex Atinia ſtatuit de rebus furtivis, lex Plautia, & Julia transtulerunt ad res vi poſſeſſas, quae longa poſſeſſione uſucapere non licebat (b), niſi poſt reditum ad verum dominum, cujus in manu vitium exuiſſent. Legis vero hujus Plautiae auctorem faciunt eumdem, cui ceterae ejusdem nominis leges tribuuntur, M. ſcilicet Plautium Silvanum trib. pleb. cujus tribunatus incidit in Conſulatum Cn. Pompei Strabonis, & L. Porcii Catonis A. V. C. DCLXIV. Pertinet autem lex ad res vi poſſeſſas, non autem ad ea, unde quis vi dejectus eſt, & ab alio bona fide poſſidentur.

LXV.
DE LEGE PLAVTIA.

(b) *l. non ſolum §. ſi dominus ff. uſurpat. uſuc.*

Huic attexenda eſt lex Scribonia, quam aliqui Coelio Curioni trib. pleb. aliqui vero praecipue Raevardus, (c) tribuunt L. Scribonio Cos. F. (d) qui Tiberii tempore vixit, quod verius puto. Ea ſuſtulit omnino uſucapionem ſervitutum: quae non corpore poſſidentur, ſed tantum animo cernuntur, atque contrectantur. Vſucapio autem antea haerere tantum poterat ſervitutibus praediorum urbanorum, (e) quia continuam cauſam habebant, veluti ſi quis aedes altius ſublatas diu habuiſſet. Nam ruſticorum praediorum ſervitutes, [quod tamen Raevardus negat,] ea ratione uſu-

LXVI.
DE LEGE SCRIBONIA.

(c) *lib. ſing. ad l. ſcrib.*

(d) Dio Caſſius *lib. 57.*

(e) Cujac. *ad l. ſequitur 4. ff. uſurp. & uſuc. ſive ad lib. 54.* Paulli *ad edict. §. ultimo.*

Digitized by Google

usucapionem excludebant, quod ne quidem quasi possessione retineri poterant, quia deerat causa continua: nemo enim ambulare, agere, aquam ducere poterat continenter; unde numquam in his consistit usucapio. (a) Porro lex Scribonia servitutum usucapiones tollendo, non impedit quin servitutum libertas usucapiatur, (b) sive quin longa desuetudine, aut contrario usu servitus amittatur. Item quamvis ante legem Scriboniam servitutes biennio usucaperentur; nunc tamen etiam adquiruntur, sed longa possessione, bona fide, absque alio jure, sive titulo auctoritate Praetoris. (c)

(a) Cujac. *in repet ad §. ult. l. sequitur ff. eodem, nempe ad l. b. 54. Paulli ad edict.*

(b) *l sequitur §. ult. ff. usurp. & usucap. ubi* Cuj. *in repert. ad hunc. §* Raevard. *loc. c.*

(c) Cujac. *loc. c.*

LXVII. DE LEGE MAMILIA.

Tulit & C. Mamilius trib. pleb. inter plura capita de limitibus, [unde & Limitanus dictus,] ut inter fines agrorum, quinque, aut sex pedum latitudinis spatium ab usucapione deinceps eximeretur. (d)

(d) Cujac. *de leg 2. vide* Hottoman. *deleg.*

LXVIII. DE VSVFRVCTV EARVM RERVM, QVAE VSV CONSVMVNTVR.

Et haec de usucapionibus. Habemus autem de usufructu S. C. nempe de usufructu earum rerum, quae usu consumuntur, hoc est rerum quarum non usus est, sed abusus. Quae Senatusconsulto loco fundi, in quo ususfructus insideat, constituitur cautio reddendae pecuniae, vini, olei, aut similis alius rei corruptibilis post finitum usumfructum. Qui hac specie constitutus mutuo est affinis, de quo late tit. ff. de usufructu earum rerum, quae usu consum. Ejus nullum tempus certum ostenditur. Tantum scimus Marci Tullii tempore nondum prodiisse, (e) ut notat Contius, & Cujacius. (f) Neque cautio haec remitti potest

(e) Contius *ex Cic. topicis. ad l. 7. ff. eod.*

(f) *lib. 17 quaest.* Papin. *l. 8 ff. usuf. ear. rer. quae usu consum.*

Digitized by Google

potest a testatore, ne a suo testamento Senatusconsultum excludat. Intelligitur autem cautio haec fidejussoribus datis. (a)

(a) Cujac. l. c. LXIX.

DE S. C. MACEDONIANO.

Nunc pergamus ad leges de foenore, non eas scilicet, quae ad publicum regimen pertinebant, sed illas, quae respiciunt jus civile privatorum, cui operam nostram dicamus. Quamobrem omissa lege Laetoria, quam supra exposuimus, explicabimus S. C. Macedonianum, quod etiam coërcendae adolescentium intemperantiae, atque foeneratorum fraudibus recidendis conditum fuit. Cui Senatusconsulto auctoritatem tribuit lex Claudia Claudii Imperatoris tempore lata, qua vetabatur, ne pecunia mutua daretur adolescentibus in mortem patris, sive dilata solutione ad patris mortem. (b) In cujus sententiam legis, conditum fuit Senatusconsultum Macedonianum, sic appellatum, non a Macedone adolescente, qui sua omnia per luxuriem prodigebat, ut falso Theophilus tradidit; sed a Macedone foeneratore quodam improbo, qui suis vitiis, & pecunia, quam foenerato dabat, inconsultos, & praecipites ad libidinem adolescentes corrumpebat, incertis nominibus, (c) sive suppressa causa mutui, celatoque titulo crediti, & tacito foenore, atque ut elegan-ter Cujac. *sub tunica, & in sinu*, cui apud Horatium opponuntur *certa nomina*. Itaque, (d) ne filiusfamilias gravitate foenoris obruerentur, neve post mortem patris hereditatem omnem creditoribus transdare cogerentur; Senatus praestitit adversus creditores exceptionem, qua mutuantis

(b) Tacit. annal. lib. 11. c. 13.

(c) Vide Paraeum lexic. critic. VVessemb. hoc tit. Cujac. c. hoc tit. & parat. ff. ad S. C. Macedon.

(d) l. 1. ff. ad S. C. Maced.

Digitized by Google

(a) *In Instit. tit. 7. lib. 4.* actio repellatur. (*a*) Addit Justinianus ideo ita Senatum caviſſe, quia plerumque adoleſcentes luxuria, & aere alieno exagitati parentum vitae inſidias moliebantur. Itaque recte Vlpianus ſcribit pecuniam perdere, qui eam filiisfamilias mutuam dederit. Sunt qui hoc S. C. cum Claudii lege tempore conjungant, ſicuti & ſententia conjunguntur. Sed quia in eandem ſententiam Senatum decreviſſe ſub Veſpaſiano Svetonius (*b*) tradit, malunt plerique S. C. ejus originem a Veſpaſiano repetere, niſi forte obſoletum poſtea ſub Veſpaſiano revixit.

(b) *in Veſpaſ. cap. 11.*

LXX. LEX JVLIA DE CESSIONE BONORVM.

Debitoribus vero univerſis lex Julia ſubvenit, quae de ceſſione bonorum appellatur; eaque iis conceſſit, ut ſi ſolvendo non eſſent, liceret bona creditoribus cedere, quo non debitoris, ſed creditorum nomine bona deinde diſtraherentur. Quo beneficio debitores, non modo effugiunt poenam carceris, quae aſperitas e XII. tabulis ſupererat; ſed etiam declinant infamiam illam, quam incurrebant, cum aere alieno merſi patiebantur ex edicto miſeram illam ſectionem bonorum a Praetore ſubſtitutam loco illius longe miſerioris ſectionis, nempe dilacerationis membrorum XII. tabul. permiſſae legibus. Mitior certe fuit Praetoris poena, qua non membra corporis, ſed patrimonium debitoris, & fama proſcindebatur. Mitiſſima tandem lex Julia fuit, quae beneficio ceſſionis debitores etiam ea levavit infamia, quam ſubibant, cum eorum nomine bona ſubjiciebantur auctioni. Et quamvis actiones adver-

Digitized by Google

versus debitores non peremerit; eas tamen elisit, ac viribus spoliavit exceptione *si non cessit bonis*; quâ debitores post cessionem muniuntur, quoad nova bona adquisiverint. Cessio enim bonorum non obstat, quin bona post cessionem quaesita veteribus actionibus subsint, in quantum facere debitor possit. (*a*)

(a) *C. qui bon. ced. pos. ubi* Cujac.

LXXI.

DE S. C. VELLEJANO.

Atque his juribus in universum unicuique subvenitur. Mulieribus vero peculiare beneficium tribuerunt edictis suis Augustus, & Claudius: quibus occurrebatur imbecillitati mulierum, quae conjugali amore, atque inconsulta facilitate sese temere implicant. Itaque cavebatur, ne virorum obligationes in se susciperent, neve actioni, qua viri tenebantur, se subjicerent. M. tandem Silano, & Vellejo Tutore Coss. (*b*) subventum plenius fuit foeminis omnibus pro aliis quibuscumque bona fide non callide, neque dolo intercedentibus, & alienis obligationibus, sciente creditore, consentientibus. (*c*) Etenim hae omnes intercessiones infirmantur S. C. Vellejano, quo repellendis creditorum actionibus exceptio mulieri praebetur, sive novam, sive veterem in se susceperit actionem, (*d*) de quo S. C. pauca retulisse satis fuerit, cum perspicue, atque abunde de eo in Digestorum libris disputatum inveniatur: nec ulla difficultas ex antiquitate supersit.

(b) *l. 1. ff. ad S.C.Vell.* Cujac. *part. C. eod. & l. 2. ff. eod.*

(c) *l. 5. & 7. C. hoc tit. & l. quamvis 8. ff. eodem.*

(d) Cujac. *part. ff. eod.*

LXXII.

DE LEGE CINCIA.

Transeamus nunc ad donationes, de quibus anno ab V. C. DXLIX. lex prodiit, quae vetabat, ne ob causas orandas donum quis, munusve acciperet. Dictaque lex Cincia fuit, utpote lata a M. Cin-

Digitized by Google

Cincio Alimento trib. pleb. ejus anni. (a) Cum autem Cincia lex oratorum avaritia, & fraude contemneretur, saepe de ea restituenda inter Patres agebatur, & sub Augusto per S. C. revixerat, donec sub Claudio in Senatu constitutus fuit modus muneribus oratorum ad dena usque sextertia in singulas causas. Quam sententiam Cujacius censet fuisse comprehensam SCto illo, quod memoratur in ultima epistola Plinii libro 5. (b) Dena vero sextertia ratione recte ducta centum aureos conficiunt. Quod Budaeus, & Alciatus probant. Id vero S. C. a Nerone confirmatum tradit Svetonius. Haec autem lex Plauto dicitur muneralis, quo nomine legem Cinciam designari tradit Festus Pompejus. (c) Vnde colligitur non solum oratorum donationes, sed & alias omnes fuisse imminutas, quamvis Josepho Scaligero excelsi ingenii, atque inauditae eruditionis viro, in suis ad Festum notis id minime probetur. Acujus sententia me abducunt Justinianus, (d) & Jurisconsulti in pluribus juris locis, ubi *legitimus modus donationum* scribitur. Cur enim *legitimus modus*; nisi lege aliqua, & quidem Cincia de donationibus praescriberetur? Nisi putaverit Scaliger per legem Cinciam oratorum donationes omnino fuisse sublatas; alias vero ad certum modum redactas, nempe CC. aureorum, ut tradit Cujacius ex C. Theodosiano: (e) quod autem hunc legis modum excederet minime ratum per legem erat, praeterquam si conjunctis personis donaretur. (f) solennitas quoque traditionis per mancipationem, &

(a) Cic. *Cat. major, & lib 2. de orat.* Livius *lib. 34.* Arnob. *lib. 2. contra gent.* Tacit. *lib. 11. 13. & 15.* Lipsius *in Tacit. l. 11. annal.* Manut. *lib. de leg. ad hanc l.* Cic. *lib. 1. epist. ult. ad Attic.*

(b) Cujac. *obs. lib. 6. cap. 18.*

(c) *Verbo mulieris.*

(d) *l. sancimus C. de donat. l. cum de modo. l. ut mihi l. fidejussori ff. de donat.*

(e) *l. 4. & 5. de donat. ubi vide* Jacob. Goth.

(f) Cujac. *ad l. Aquilius 27. ff. donat. sive ad lib. 29. respons. Papin.*

Digitized by Google

& nexum ex hac lege injungebatur, exceptis donationibus inter parentes, & liberos. (a) Male vero aliqui, quos refellit Cujacius in citatis locis, decepti depravatis codicibus hanc cum lege Titia conjungunt, quae pertinet potius ad sponsiones, quas nonnisi virtutis causa fieri licebat. Porro qui primus ob orandam causam pecuniam acceperit traditur ab Ammiano Marcellino (b) Antipho Rhamnusius. Magistratibus vero xenia sive parva munuscula, esculenta vel poculenta, quae intra dies proximos consumuntur, licebat accipere ex plebiscito, cujus nullum adhuc patuit nomen. (c) Non omittam S. C. de donationibus mortis causa factis in eos, quos lex capere prohibet: quae eadem in causa sunt habendae, qua essent legata iis quibus per legem capere minime licet. (d) de quibus etiam supra. Sed jam ad negotia veniamus, quae a morte aliorum existunt, legesque ad ea pertinentes accedamus.

(a) Hottoman. *de leg. Ant.* Aug. *in hac leg. & l. 1. §. sicuti ff. Var. & extraord. cognit.*

(b) *lib. 30.* Brunner. *cap. 1. ad l. Cinc.*

(c) *l. plebiscito 18. ff. offic. Praet.* Cujac. *obs. lib. 6. cap. 18.*

(d) *l. Senatus ff. de mort. caus. donat.*

LXXIII. De Lege Cornelia de Testamentis.

Igitur ex testamentariis primum locum damus legi Corneliae, quae testamenta in Vrbe condita ab iis, qui apud hostes decesserunt, perinde confirmat, ac si nunquam in hostium potestatem deveniissent. Cum enim quis hostium potitur, testandi facultatem amittit, neque apud hostes moriens civis Romanus reputatur, & quia testamentum civis Romani morte consistit; ideo jure civili nullum esse testamentum videbatur illius, qui post illud conditum in Vrbe, decesserat apud hostes. Quae testamenta, ne propter calamitatem intercidirent, L. Cornelius Silla Dictator le-

Digitized by Google

(a) Julian. *l. 12. ff. qui test. fac. poss. ubi* Cujac. *lib. 42. ff. Salv. Jul.* Vlp. *Instit. tit. 23. ubi* Cuj. *l. 28. ff. Vulg. & pupill.*

gem tulit, (*a*) qua initium captivitatis pro morte habebatur: ut eorum testamenta quasi mortuorum in Vrbe convalescerent: omniaque in eamdem causam recíderent, in qua essent, si numquam testator in hostium potestatem perveniisset. Itaque si apud hostes quis decedat, testamentum ante captivitatem factum valet lege Cornelia, quae captivitatem convertit in figmentum mortis: si vero captivus redierit in Vrbem testamentum illius valebit jure postliminii, a jure gentium ducto, quo is, qui ab hostibus ad cives rediit, perinde habetur, ac si nunquam civitatem amisisset, quasi numquam fuisset apud hostes. (*b*)

(b) Cujac. *tit. 23.* Vlp. *& ad l. 28. ff. Vulg. & pupil. sive ad Julian. l. 62. ff. in Instit. quib. non est permiss. fac. test. §. ult.*

LXXIV. SC. NERONIANVM DE LEGATIS.

Porro antequam progrediar ad uberiores leges defungar explicatione S. C. Neroniani ad legata pertinentis, atque ob levem, quam de eo mentionem Vlpianus facit a paucis admodum animadversi: cujus sententia est, ut quod minus integris verbis legatum est perinde sit, ac si optimo jure legatum fuisset. (*c*) Laxavit igitur severitatem juris civilis in legatis, quae valere voluit quoquo modo sententia eliciatur: quamvis verbis prolata non fuerint a lege praefinitis.

(c) Vlp. *tit. de leg. §. per praeceptionem t. 24.*

LXXV. DE LEGE FVRIA.

Infinitam vero testandi licentiam XII. tab. lege permissam, leges aliquae posterioribus temporibus coangustarunt. Quarum est lex Furia, (*d*) quam tulit C. Furius trib. pleb. ne liceret testatori supra mille asses legare, aut mortis causa donare ulli, praeter quam cognatis, certisque personis: quibus exceptis si ex alieno testamento plus praefinita quantitate quis acciperet, quadruplum ejus, quod

(d) Vlp. *pro Balbo, & Varr.* Theophil. *inst. de l. Falc.* Vlp. *tit. 1. §. minus* Cujac *ad lib. 7. resp.* Papin. *l. 2. Donationes l. 8 servius ff. fam. ercisc. Instit.*

Digitized by Google

quod plusquam licebat acceperit, reddere cogebatur: itaque inter minus perfectas leges haec ab Vlpiano refertur, (a) quia poena non afficit eum, qui contra legem fecit, sed illum, qui accipiendo, quod contra legem factum est adprobavit, damnumque ducit ex facto minime ab ea rescisso. Quae lex cum heredi prospicere voluisset, callidi-tate tamen testantium eludebatur, quam enim quis quantitatem in unum conferre vetabatur, eamdem minoribus portionibus in plures legatarios tributam heredi subtrahebat, multiplicato legatorum numero, haudquaquam a lege praefinito. (b)

(a) *Just. de l. Fals. Cujac. obs. lib. 19. c 31.*

(a) *cap. 1. Inst. §. minus & cap. 28. §. intestati l. 120. ff. V. S.*

(b) *Govean. inst. interp. ad l. Falcid.*

LXXVI. DE LEGE VOCONIA.

Neque has effugit fraudes lex Voconia, quam tulit Q. Voconius Saxa trib. pleb. Coepione, & Philippo Coss. A. V. C. DXCIV. cujus inter capita illud fuit praecipuum, (c) ne quis census, sive qui centum millia sextertium possideret, (d) plus ulli legaret, quam ad heredem perveniret. Quod eodem revolvebatur; eveniebat enim, ut immiutis, multiplicatisque legatis minima portio heredi supereset, veluti si ex aureis C. testator distraxisset singulos in XCIX. legatarios: heres enim sine ulla fraude legis, tamen nonnisi aureum auferebat; ideoque propter minimum lucrum hereditatem adire facile recusabat. Aliud caput ejusdem legis fuit, ne foeminae ab intestato praeter consanguineas succederent. (e) Quod eo consilio fuit excogitatum, ne impotentia muliebris animi elata divitiis, nimia superbia, & opibus viros opprimeret. (f) Quamobrem Cato Major,

(c) *Cic. Verr. 2. pag. 517. n. 43. Cujac. obs. 19. cap. 31.*

(d) *Cujac. in tit. inst. ad l. Falcid. ex Inst. de success. lib. §. postea vero.*

(e) *Paullus lib. 4 sent. tit. 8. Cujac. Instit. Justin. de lege Falcid.*

(f) *Cujac. ad Paul. sent. 4. tit. 8. §. foem.*

jor, qui ob gravitatem morum sexus levitatem oderat maxime, magnis lateribus hanc legem suasit annos quinque, & sexaginta natus. (a) Quo minus autem illecebris suis mulieres hereditates extorquerent, eadem lex vetuit; ne quis census, heredem faceret mulierem supra quadrantem sive XXV. millia sextertium. Hinc Augustus (b) ut Liviam institueret ex triente, a Senatu legis veniam impetravit. Ceterum figmentum declamatorium duco id, quod apud Quintilianum legitur, *ne semissem relinquere liceat.* (c)

(a) Cic. *in Cat. maj.* Ant. Aug. *de leg. in l.* Voc. Gel. *lib.* 17. *c.* 6. *& lib.* 7. *c.* 13. Balduin. *ad l. Voconiam.*

(b) Dio *lib.* 56.

(c) Vinn. *Inst. lib.* 2. *tit.* 23. §. *sciendum verbo qui caperet.*

LXXVII. DE LEGE FALCIDIA.

Jam vero lege Voconia, ut diximus, non satis heredi cavebatur, quia plerumque multiplicato numero legatorum, omne fere lucrum heredi detraheretur. Propterea consilium legum Furiae, & Voconiae [ne scilicet parvitate lucri ab heredibus testamenta destituerentur] minime succedebat. Hinc sub Augusto Triumviro Reipubl. constituendae, antequam sibi tribunitiam potestatem adjecisset, L. Antonio P. Servilio Isaurico iterum Coss. A. V. C. DCCXII. lata fuit a Falcidio trib. pleb. lex, quae Falcidia dicitur, qua non plus dodrante permissum testatori fuit legando absumere: facta heredi facultate detrahendi sibi quartam hereditatis partem si hereditas supra dodrantem legatis occuparetur. (d) Gothofredus vero anno superiori, at Balduinus anno posteriori, nempe Calvino & Pollione Coss. latam putat. (e) Cujus legis vis ex intextis e re nata interpretationibus porrecta fuit etiam ad intestatorum successiones, propter fideicommissa ex constitutione

(d) *l.* 1. *ff. ad Falc.* Govean. *ibid.*

(e) Dio *lib.* 48.

Pii,

Digitized by Google

Pii, (a) & ad donatiònes cauſa mortis ex conſtitutione Severi; (b) itemque ad donationes inter virum, & uxorem, quae morte confirmantur. (c) Quia etiam his rationibus heredis portio infra Falcidiae quantitatem imminui potuit: ideo placuit ad haec vim legis extendere. Quae detractio fit ſalvo jure publico. Nam ex reſiduo legati detracta Falcidia detrahendum erit id, quod forte per legem Papiam legatario denegaretur. (d) Illud quoque caput ad legem Falcidiam revocat Cujacius, quo ex dote uxori relegata Falcidiam detrahi prohibetur, cum praeter teſtamentum alio etiam ex jure debeatur, (e) cumque hoc jungit aliud caput, quo decernitur, ut in ducenda ratione legis Falcidiae prius deducatur aes alienum: propterea prius deducenda erant precia ſervorum, quibus libertas erat relicta, adeo ut inde patrimonium teſtatoris minueretur. (f) Hac autem lege lata, Furia, & Voconia ſilue-runt. Per Falcidiam enim plenius teſtamentorum firmitati ſimul, & heredis utilitati conſuli-tur: propterea ſublatum quoque fuit ſexus discrimen ſuperioribus inductum legibus. Verum Falcidiae vires eliſit maxime Juſtinianus, permiſſa facultate teſtatoribus utiliter prohibendi Falcidiam: cum antea hujuscemodi voluntati, quantumvis expreſſae, heredes minime parere cogerentur. (g) His legibus apte contexetur SC. Trebellianum, de quo breviter, quando ejus eſt ſatis origo pervulgata.

(a) *l. filiusfam. ff. ad l. Falcid.*
(b) *l. 2. C. donat. cauſ. mort.*
(c) *l. cum hic ſtatus §. ortio 1. ff. de donat. inter vir. & uxorem.*
(d) Cujac. *C. ad l. Falcid.*
(e) *l. ſed uſusfructus ff. ad l. Falcid.* Cujac. *C. eod. in pr.*
(f) *l. 2. §. haec verb. & ſeq. ff. ſi cui plg quam per l. Falcid.* Cujac. *C. ad l. Falcid.*
(g) Aut. *collat. 1. cap. 2. de hered. & Falcid.* Ant. Aug. *in lib. de leg. ad hanc legem. anth. ſed cum teſtator C. ad l. Falcid.*

Digitized by Google

LXXVIII. DE SCTO TREBELLIANO, PEGASIANO, APRONIANO, & SABINIANO.

Veteri Jurisprudentiae legum XII. tabul. ignota fuerunt fideicommissa: quia non certa obligatione juris, sed fide, atque benevolentia eorum, qui erant rogati continebantur: nisi fidem etiam aliquo juris vinculo testatori obligassent. (a) Itaque res omnis testamentaria incumbebat in heredem, qui defuncti obligationes suo periculo susceptas praestare cogebatur: nec in eum, ad quem hereditatis commoda perveniebant, sed in illum, qui heredis nomen praeferebat actiones dirigebantur. At quoniam Augusti temporibus certa juris necessitate fideicommissa fuerunt adstricta, neque amplius eorum restitutio ex heredis voluntate pendebat; ne heredes, qui totam aliquando restituere jubebantur hereditatem, damnum ex sua fide facerent, onusque obligationum in sese directarum nullo suo compendio sustinerent; oportuit hereditariarum actionum incommodum ab eis removere. Etenim non raro testamenta deserebantur, iisque destitutis fideicommissa intercidebant; quia heredes ne implicarentur hereditariis actionibus saepe adire recusabant, (b) Ideo Neronis temporibus VIII. Kalend. Septembris Anneo Seneca & Trebellio Maximo Coss., suffectis [desunt enim in fastis, ut notat Vinnius institut. 2.] ad Senatum referentibus, factum est Senatusconsultum, quo restituta ex testamento universa hereditate; actiones omnes, quae heredi, & in heredem competerent, simul cum hereditata-

(a) Cic. *lib. 2. de finib. ubi de Sex.* Rufo, *& Sex. Peduc.*

(b) *l. 1. ff. ad SC. Trebell. Just. Instit. lib. 2. tit. 23.* Vlp. *cap. 25. de fideicomm §. 6 qui,* Cujac. *ibi.* Ant. Aug. *ad leg. & S. C. Rom. hoc titulo.*

Digitized by Google

tatis commodo, sive cum bonis ipsis hereditariis transirent in eum, cui restitueretur hereditas: ita ut heres sine sua fraude, directam sibi hereditatem alterius commodo posset adire. At quoniam heredes rogati aliquando inutilem molestiam refugientes, aliquando commodum hereditatis invidentes iis, quibus hereditatem restituere jubebantur, adire recusabant; ne testamentum desereretur, & ne spes commodorum inde ducta concideret, necesse fuit heredes rogatos non solum damno levare, sed utilitatis etiam blandimentis impellere permissa eisdem certae portionis detractione de bonis ex testamento restituendis. Quamobrem sub Vespasiano Pegaso, & Pusione Coss. Senatusconsultum est proditum, quod Pegasianum appellatur, quo permittitur heredi restituere rogato detrahere quartam ex bonis suae fideicommissis. Hinc lex Falcidia, quae ad legata tantum intendebatur producta fuit ad fideicommissa etiam universalia: adeo ut quartam scriptus heres, tum ex universa hereditate restituenda, tum ex singulis rebus per fideicommissum relictis retineret. Quoniam vero nihil hoc Senatusconsulto de actionibus hereditariis cavebatur; mos erat inter heredem, & eum cui restituenda erat hereditas, ut interponerentur pactiones: non aliter ac solebat inter heredem, & legatarium partiarium, cujus loco habebatur is, ad quem bona ex restitutione deferebantur: ita ut pro sua cujusque portione one-

onera hereditaria inter heredem, & eum cui restituebatur hereditas, communicarentur, quo damnum, & lucrum pro sua quisque portione participaret. Quod si heres scriptus hereditatem sibi suspectam nollet adire; jussu Praetoris adire cogebatur, translatis in eum, qui sibi restitui postulaverat, actionibus, tamquam ex S.C. Trebelliano. Qua in re nullis interpositis stipulationibus opus erat: tum enim nihil oneris in herede scripto manebat; sed commoda simul, & incommoda cum ipsa hereditate restituta jubente Praetore transibant. Verum quia stipulationes, quae interponebantur post Senatusconsult. Pegasianum, in fraudem aliquando alterutrum contrahentium inducebant, eoque nomine summo viro Papiniano captiosae videbantur; placuit Justiniano, prudenti sane consilio, hujuscemodi nexus resecare, atque omnibus ex ambagibus evolvere fideicommissa. Ideo vim Pegasiani S. C., & facultatem quartae detrahendae, jusque cogendi heredem adire nolentem convertit in S. C. Trebellianum, atque utraque S. C. confudit, ut ex duobus unum efficeretur de viribus utriusque conflatum. Quo pacto nunc heres quartae detractionem habet, & exemtionem onerum hereditariorum, quae onera tantum in eo resident pro ratione quartae detractae. Cetera simul cum hereditate transeunt, cum qua, & legata, quorum nulla oneris pars apud scriptum heredem remanet; quarta enim retinet onus aeris alieni, non legatorum: (a) nam si de quarta legata detra-

(a) VVesemb. *in §. sed quia Instit. de fideic. hered. & pamt. ff. ad SC. Trebel. dissentiente* Donello *l. 2. C. fideicomm. hered.* Vid. Vinnium *instit. §. sed quia verb. pro rata sit. 23.*

Digitized by Google

traherentur, res ad antiquum rediret incommodum, & heredi scripto beneficium legis eriperetur. At si heres non sponte adeat, sed coactus a fideicommissario, qui judicis officium imploraverit; eum tanquam extraneus commodis omnibus, & incommodis hereditariarum actionum spoliabitur: & si totam hereditatem sponte restituerit, omnes hereditariae actiones fideicommissario, & adversus eum dabuntur. (a) Sive autem ex toto quis institutus, sive ex parte fuerit, ac sive totum, sive partem restituere cogatur, nihil interest; cum idem juris in quartae detractione fuerit a Justiniano constitutum. (b) Actiones item ex S. C. Trebelliano non in privatas modo, certasque personas transmittuntur; sed etiam in universitates, & municipia: quibus directa hereditas relinquitur inutiliter: (c) obstat enim ratio juris civilis, quae ad hereditatem adeundam certam personam exigit; adire autem nequeunt universi. Hinc Plinius junior ait rempublicam neque institui heredem posse, neque percipere. Ne vero subtilitas juris civilis alienorum testamentorum commoda civitatibus eriperet, auctor fuit Marcus Aproniano, & Paullo Coss. ut S. C. conderetur, quo civitatibus, quae sub Imperio Pop. Rom. essent, liceret, si non directam, quod jure civili vetabatur, at fideicommissariam relinquere hereditatem. Itaque in eas utiles actiones ex SC. transeunt, quo illas non universi [qui enim possent ( ] Sed universorum nomine, aut conveniendo, aut excipiendo actor ab omnibus con-

(a) *Instit. lib. 2. tit. 23. §. sed quia.*

(b) *Instit. eod. §. sed quia.*

(c) *l. 28. & seq. in princ. ff. ad S. C. Trebel. l. unic. ff. libert. universor.*

stitutus exerceat. Quod S. C. Apronianum appellatum Antonius Augustinus revocat ad Adriani tempora; Cujacius (a) vero, ad Marci aetatem: tradidit enim Paullus (b) Marci temporibus S. C. factum fuisse, quo collegiis legare permittitur. Quae fortasse sententia ob affinitatem, Aproniani S. C. portio fuit: Postea vero alio S. C. municipiis patefactae sunt hereditates liberorum suorum. Testatur porro Ulpianus (c) a Nerva primum fuisse introductum ut civitatibus legare liceret: idque diligentius ab Adriano confirmatum. Hae leges atque S. C. heredibus extraneis prospexerunt; at Sabinianum adoptivis. (d) Eo autem jubetur, ut si pater naturalis e tribus maribus filium unum in adoptionem dedisset; ei filio pater adoptivus quartam bonorum partem relinqueret praemii loco parentibus, quod tres reipubl. mares dedissent: quod & de impubere adrogato constitutum invenimus. (e) Eadem ratione unus ex tribus maribus Senatui dabatur, ut curiae liberatio impetraretur, sive ut liberaretur quis onere tributorum exigendorum, quae curiales sub Imperatoribus Romanis in se suscipere cogebantur. Quo pacto miserrima coepit eorum esse conditio; cum si esset exactio difficilior, proprio aere praestare cogerentur, quod aliis imperabatur. Liberationem autem horum onerum, etiam ex S. C. Sabiniano praestari Cujacius (f) censuit, probavitque totam lectionem, ut nulla mutatio facienda sit in Institutionibus Justinianeis, ubi hoc de S. C. aliquod

(a) *in Julian. lib. 40. ff. sive l. 23. ff. ad S. C. Trebell. in pr.*

(b) *l. cum Senatus ff. de reb. dub.*

(c) *l. r. ff. libert. universit. tit. de legat. §. civitatibus.*

(d) Raevard. *cap. 6. in fin. lib. de auct. prud. & §. sed in omnia, ubi Theophil. Inst. de hered. quae ab intest.*

(e) *l. 2. C. adoption.*

(f) *in C. de decurion. & filecor. l. ult.* Vinnius *Inst. §. sed eam in fine, de hered. quae ab intest.*

Digitized by Google

quod non obscurum vestigium apparet. (a) Quem locum Raevardus, & Alciatus perperam vexarunt.

(a) §. sed ea. Instit. de hered. quae ab intest. LXXIX.

Atque haec ad jam natos filios pertinent: sequuntur ea, quae ad postumos. De quibus ne testamentum rumperent, cautum est lege Velleja; cum antea tantum Jurisconsultorum ingenio, & Galli Aquilii formula, vitio praeteritionis occurreretur. De qua tota ratione postumorum instituendorum obscura sane, atque perplexa, in qua integra pene volumina consumuntur, pauca quidem a nobis lector accipiet, sed ea ni fallor satis expedita: certa enim dicere non ausim in eo juris articulo, ubi vate opus est magis, quam interprete. Postumus dicitur, vel quasi post humatum patrem natus, ut contendunt ii, qui hoc vocabulum cum adspiratione scribunt: vel quasi postremus, ut Cujacius (b) censuit, qui & adspirationem ex pandectarum florentinarum auctoritate rejecit, existimans *postumus* esse productionem particulae *post*, ut & *postliminium* dictum putant. Quamobrem nomine postumi non modo continetur natus post mortem testatoris; sed etiam natus eo vivo post testamentum factum; immo & is etiam, qui natus testamenti tempore, mortuo deinde patre, succedit avo in locum heredis sui. Vide ratione avi postumus, vel agnasci dicitur, vel succedere. Agnascitur avo postumus, si mortuo patre, ac vivente avo post testamentum nascatur; succedit vero postumus, si tempore quidem

DE LEGE VELLEJA & AD L. GALLVS ff. DE LIBER. & POSTVM.

(b) lib. 3. obs. 4.

dem testamenti natus erat, sed postea patre amisso, vivente adhuc avo in locum heredis sui succedit: tum enim fit avo heres suus non agnascendo, quia jam natus erat, sed succedendo: hoc est quasi agnascendo, ac patris locum subeundo. Postumus autem, vel suus est, vel alienus, postumus suus est, vel qui post mortem patris nascitur suus heres; vel qui agnascitur avo, aut quasi agnascitur mortuo patre. Postumus alienus aliquorum opinione [inter quos Goveanus] est, qui nunquam nascendo futurus est heres suus, qualis est nepos ex filio emancipato, qui propter emancipationem patris nascitur extra familiam avi, & ideo mortuo patre non fit avo suus heres. Medii sunt inter hos nepotes nati ex filio, quem habemus in potestate: qui nec alieni sunt, quoniam sui esse possunt avo post mortem patris; neque sunt sui, quoniam eos pater nondum mortuus antecedit. Hos igitur distinctionis causa vocaverim *postumos non suos*, quales appellantur a Theophilo, qui eos nunquam *alienos* appellat, sed *non suos*. (*a*) Theophilus vero postumos alienos ita definit. (*b*) *Est autem alienus postumus, qui si nascatur, suus mihi non est futurus.* Qua definitione comprehenditur tum nepos ex filiofamilias, tum nepos ex filio emancipato. Priscis autem Romae temporibus jus civile tanta religione tenebatur; ut nefas esset leges ultra proximam verborum significationem extendere. Quamobrem quia leges XII. tabular. quae patrifam. de re sua testandi liberam potestatem

(a) *Instit. lib. 2. tit. 13. §. 2.*
(b) *Instit. de hered. ab inst. §. 2.*

Digitized by Google

tem permiserunt, nihil de personis nondum natis indicarant; ideo verebantur parentes heredes instituere postumos, qui nondum erant in rerum natura, & institutionem conferre in personam incertam. Quamobrem, qui sine filiis uxore praegnante decedebat, cogebatur extraneum instituere; nato vero postumo reddebatur intestatus. Cum enim postumus nasceretur heres suus, & praeteritus a patre reperiretur; testamentum rumpebat: quia praeterire non licet heredes suos, sed eos, aut instituere oportet, aut exheredare. Verum Jurisconsulti, qui occultos legum sensus assidua disputatione, atque interpretatione verborum extricabant, adhibita regula publicae utilitatis, cui leges omnes obediunt; sensim intulere, ut liceret instituere, aut exheredare postumos suos nascituros; sive testaretur pater, sive avus, qui nurum praegnantem haberet ex filio mortuo. Quod Jurisconsultorum consilium secunda voluntate populi, propter communem utilitatem acceptum tandem cessit in morem, relatumque fuit inter regulas juris civilis: quo non modo XII. tabulae significantur, sed quidquid uberius, atque utilius disputatio fori, & interpretatio Jurisconsultorum adduxerat; ad quam saepe juris civilis appellatio angustius accepta referebatur. Igitur jure civili licebat instituere postumos suos, hoc est eos, qui ab nativitate nascerentur in potestate testatoris, quales filii sunt, aut nepotes ex filio mortuo in potesta-

Ns. te patris. At nihil cautum reperiebatur de postumo nato post mortem patris, & avi, quem postumum pater vivens testamenti tempore praecedebat. In eo testamento avus instituebat proprium filium, quem habebat in potestate; filio vero mortuo ante testatorem; nepos post mortem avi natus testamentum rumpebat uti praeteritus ab avo, cui per mortem patris nepos fiebat heres suus. Ut igitur testamenta etiam ex hac parte protegerentur, Gallus Aquilius Jurisconsultus novum jus minime statuendo, ut perperam aliqui docuerunt, [nec enim licebat privata Jurisconsultorum auctoritate novam legem condere,] sed quod jure civili receptum jam erat ad hanc etiam speciem accommodando, more Jurisconsultorum cautionem, sive formulam excogitavit, qua praeteritionis vitium removeretur, atque is etiam casus includeretur in jure civili. Itaque consilium dedit avo, ut prius filium institueret, postea nepotem, qui post ejusdem avi mortem nasceretur, si filius vivente se decederet: his nempe verbis concepta formula: *filium meum heredem instituo: si filius meus vivo me morietur; tunc si quis mihi ex eo nepos post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus erit, heres esto.* Quod autem de nepotibus Gallus protulit, Jurisconsulti ad omnes liberorum gradus extenderunt, nempe ad pronepotes, abnepotes, & quotquot heredes sui nasci possent, mortis item nomine civi-

Digitized by Google

vilem etiam mortem comprehenderunt; ita ut conditio extitisse censeatur, si filius, aut interdictus esset aqua, & igni, aut deportatus. Atque hactenus jus civile, Gallique formula complexum est eos, qui mortuo patre, vel avo nascerentur. De natis vero vivente avo, sive testamenti tempore, sive post testamentum Jurisconsulti nihil attigerunt; quia huic incommodo poterat ipse testator occurrere alio condito testamento, in quo institueret, aut exheredaret nepotem, qui vel agnascendo, vel succedendo heres suus factus esset avo. Sed quoniam non ubique facultas datur condendi testamenti, quia non ubique tot cives Romani praesto sunt, quot requiruntur ad testamentorum solennitatem; ideo lex Velleja novi testamenti condendi necessitatem sustulit data potestate instituendi nepotes, qui vivente testatore nascerentur sui, traditaque ratione instituendi jam natos. Id enim alii non sunt Jurisconsulti, quia legibus non licebat nepotem heredem facere necessarium vivente patre, quem avus habebat in potestate. Ideo novo juri constituendo nova lege opus fuit, nempe Velleja, cujus auctor nondum e veteribus monumentis patet, sive Juniam, ut plerique, sive Juliam Vellejam cum Cujacio appellemus. (a) Ea lex omne praeteritionis periculum impostumum exclusit, complexaque est casus omnes institutionis postumorum, quibus casibus duobus capitibus aptissime occurrit. In priori permittit avo institutionem quorumlibet postumorum, qui post mortem filii se vivente nascentur sui;

(a) *in fine.* Vlp. *qui hered. instituipossit.* §. 8. (a) *Quod Aquilius in testamento.*

te patris. At nihil cautum reperiebatur de postumo nato post mortem patris, & avi, quem postumum pater vivens testamenti tempore praecedebat. In eo testamento avus instituebat proprium filium, quem habebat in potestate; filio vero mortuo ante testatorem; nepos post mortem avi natus testamentum rumpebat uti praeteritus ab avo, cui per mortem patris nepos fiebat heres suus. Ut igitur testamenta etiam ex hac parte protegerentur, Gallus Aquilius Jurisconsultus novum jus minime statuendo, ut perperam aliqui docuerunt, [nec enim licebat privata Jurisconsultorum auctoritate novam legem condere,] sed quod jure civili receptum jam erat ad hanc etiam speciem accommodando, more Jurisconsultorum cautionem, sive formulam excogitavit, qua praeteritionis vitium removeretur, atque is etiam casus includeretur in jure civili. Itaque consilium dedit avo, ut prius filium institueret, postea nepotem, qui post ejusdem avi mortem nasceretur, si filius vivente se decederet: his nempe verbis concepta formula: *filium meum heredem instituo: si filius meus vivo me morietur; tunc si quis mihi ex eo nepos post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus erit, heres esto.* Quod autem de nepotibus Gallus protulit, Jurisconsulti ad omnes liberorum gradus extenderunt, nempe ad pronepotes, abnepotes, & quotquot heredes sui nasci possent, mortis item nomine civi-

vilem etiam mortem comprehenderunt; ita ut conditio extitisse censeatur, si filius, aut interdictus esset aqua, & igni, aut deportatus. Atque hactenus jus civile, Gallique formula complexum est eos, qui mortuo patre, vel avo nascerentur. De natis vero vivente avo, sive testamenti tempore, sive post testamentum Jurisconsulti nihil attigerunt: quia huic incommodo poterat ipse testator occurrere alio condito testamento, in quo institueret, aut exheredaret nepotem, qui vel agnascendo, vel succedendo heres suus factus esset avo. Sed quoniam non ubique facultas datur condendi testamenti, quia non ubique tot cives Romani praesto sunt, quot requiruntur ad testamentorum solennitatem; ideo lex Velleja novi testamenti condendi necessitatem sustulit data potestate instituendi nepotes, qui vivente testatore nascerentur sui, traditaque ratione instituendi jam natos. Id enim alias non sunt Jurisconsulti, quia legibus non licebat nepotem heredem facere necessarium vivente patre, quem avus habebat in potestate. Ideo novo juri constituendo nova lege opus fuit, nempe Velleja, cujus auctor nondum e veteribus monumentis patet, sive Juniam, ut plerique, sive Juliam Vellejam cum Cujacio appellemus. (a) Ea lex omne praeteritionis periculum impostetum exclusit, complexaque est casus omnes institutionis postumorum, quibus casibus duobus capitibus aptissime occurrit. In priori permittit avo institutionem quorumlibet postumorum, qui post mortem filii se vivente nascentur sui;

(a) *in fine.* Vlp. *qui hered. instituipossit.* (a) *quidem ne testatoris.*

te patris. At nihil cautum reperiebatur de postumo nato post mortem patris, & avi, quem postumum pater vivens testamenti tempore praecedebat. In eo testamento avus instituebat proprium filium, quem habebat in potestate; filio vero mortuo ante testatorem; nepos post mortem avi natus testamentum rumpebat uti praeteritus ab avo, cui per mortem patris nepos fiebat heres suus. Vt igitur testamenta etiam ex hac parte protegerentur, Gallus Aquilius Jurisconsultus novum jus minime statuendo, ut perperam aliqui docuerunt, [nec enim licebat privata Jurisconsultorum auctoritate novam legem condere,] sed quod jure civili receptum jam erat ad hanc etiam speciem accommodando, more Jurisconsultorum cautionem, sive formulam excogitavit, qua praeteritionis vitium removeretur, atque is etiam casus includeretur in jure civili. Itaque consilium dedit avo, ut prius filium institueret, postea nepotem, qui post ejusdem avi mortem nasceretur, si filius vivente se decederet: his nempe verbis concepta formula: *filium meum heredem instituo: si filius meus vivo me morietur; tunc si quis mihi ex eo nepos post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus erit, heres esto.* Quod autem de nepotibus Gallus protulit, Jurisconsulti ad omnes liberorum gradus extenderunt, nempe ad pronepotes, abnepotes, & quotquot heredes sui nasci possent, mortis item nomine civi-

vi-

vilem etiam mortem comprehenderunt; ita ut conditio extitisse censeatur, si filius, aut interdictus esset aqua, & igni, aut deportatus. Atque hactenus jus civile, Gallique formula complexum est eos, qui mortuo patre, vel avo nascerentur. De natis vero vivente avo, sive testamenti tempore, sive post testamentum Jurisconsulti nihil attigerunt; quia huic incommodo poterat ipse testator occurrere alio condito testamento, in quo institueret, aut exheredaret nepotem, qui vel agnascendo, vel succedendo heres suus factus esset avo. Sed quoniam non ubique facultas datur condendi testamenti, quia non ubique tot cives Romani praesto sunt, quot requiruntur ad testamentorum solennitatem; ideo lex Velleja novi testamenti condendi necessitatem sustulit data potestate instituendi nepotes, qui vivente testatore nascerentur sui, traditaque ratione instituendi jam natos. Id enim alii non sunt Jurisconsulti, quia legibus non licebat nepotem heredem facere necessarium vivente patre, quem avus habebat in potestate. Ideo novo juri constituendo nova lege opus fuit, nempe Velleja, cujus auctor nondum e veteribus monumentis patet, sive Juniam, ut plerique, sive Juliam Vellejam cum Cujacio appellemus. (4) Ea lex omne praeteritionis periculum impostorum exclusit, complexaque est casus omnes institutionis postumorum, quibus casibus duobus capitibus aptissime occurrit. In priori permittit avo institutionem quorumlibet postumorum, qui post mortem filii se vivente nascentur sui;

(a) *in fine* Vlp. *qui hered. instituti possunt* (4) *Quibus autem testamentis heredes instituti videantur*

In

te patris. At nihil eautum reperiebatur de postumo nato post mortem patris, & avi, quem postumum pater vivens testamenti tempore praecedebat. In eo testamento avus instituebat proprium filium, quem habebat in potestate; filio vero mortuo ante testatorem; nepos post mortem avi natus testamentum rumpebat uti praeteritus ab avo, cui per mortem patris nepos fiebat heres suus. Vt igitur testamenta etiam ex hac parte protegerentur, Gallus Aquilius Jurisconsultus novum jus minime statuendo, ut perperam aliqui docuerunt, [nec enim licebat privata Jurisconsultorum auctoritate novam legem condere,] sed quod jure civili receptum jam erat ad hanc etiam speciem accommodando, more Jurisconsultorum cautionem, sive formulam excogitavit, qua praeteritionis vitium removeretur, atque is etiam casus includeretur in jure civili. Itaque consilium dedit avo, ut prius filium institueret, postea nepotem, qui post ejusdem avi mortem nasceretur, si filius vivente se decederet: his nempe verbis concepta formula: *filium meum heredem instituo: si filius meus vivo me morietur; tunc si quis mihi ex eo nepos post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus erit, heres esto.* Quod autem de nepotibus Gallus protulit, Jurisconsulti ad omnes liberorum gradus extenderunt, nempe ad pronepotes, abnepotes, & quotquot heredes sui nasci possent, mortis item nomine civi-

Digitized by Google

vilem etiam mortem comprehenderunt; ita ut conditio extitisse censeatur, si filius, aut interdictus esset aqua, & igni, aut deportatus. Atque hactenus jus civile, Gallique formula complexum est eos, qui mortuo patre, vel avo nascerentur. De natis vero vivente avo, sive testamenti tempore, sive post testamentum Jurisconsulti nihil attigerunt; quia huic incommodo poterat ipse testator occurrere alio condito testamento, in quo institueret, aut exheredaret nepotem, qui vel agnascendo, vel succedendo heres suus factus esset avo. Sed quoniam non ubique facultas datur condendi testamenti, quia non ubique tot cives Romani praesto sunt, quot requiruntur ad testamentorum solennitatem; ideo lex Velleja novi testamenti condendi necessitatem sustulit data potestate instituendi nepotes, qui vivente testatore nascerentur sui, traditaque ratione instituendi jam natos. Id enim olim non sunt Jurisconsulti, quia legibus non licebat nepotem heredem facere necessarium vivente patre, quem avus habebat in potestate. Ideo novo juri constituendo nova lege opus fuit, nempe Velleja, cujus auctor nondum e veteribus monumentis patet, sive Juniam, ut plerique, sive Juliam Velleiam cum Cujacio appellemus. (a) Ea lex omne praeteritionis periculum impostetum exclusit, complexaque est casus omnes institutionis postumorum, quibus casibus duobus capitibus aptissime occurrit. In priori permittit avo institutionem quorumlibet postumorum, qui post mortem filii se vivente nascentur sui;

(a) *in fine.* Vlp. *qui hered. instituipossunt.* (§) *quidam.* *tenebat.*

In

te patris. At nihil cautum reperiebatur de postumo nato post mortem patris, & avi, quem postumum pater vivens testamenti tempore praecedebat. In eo testamento avus instituebat proprium filium, quem habebat in potestate; filio vero mortuo ante testatorem; nepos post mortem avi natus testamentum rumpebat uti praeteritus ab avo, cui per mortem patris nepos fiebat heres suus. Ut igitur testamenta etiam ex hac parte protegerentur, Gallus Aquilius Jurisconsultus novum jus minime statuendo, ut perperam aliqui docuerunt, [nec enim licebat privata Jurisconsultorum auctoritate novam legem condere,] sed quod jure civili receptum jam erat ad hanc etiam speciem accommodando, more Jurisconsultorum cautionem, sive formulam excogitavit, qua praeteritionis vitium removeretur, atque is etiam casus includeretur in jure civili. Itaque consilium dedit avo, ut prius filium institueret, postea nepotem, qui post ejusdem avi mortem nasceretur, si filius vivente se decederet: his nempe verbis concepta formula: *filium meum heredem instituo: si filius meus vivo me morietur; tunc si quis mihi ex eo nepos post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus erit, heres esto.* Quod autem de nepotibus Gallus protulit, Jurisconsulti ad omnes liberorum gradus extenderunt, nempe ad pronepotes, abnepotes, & quotquot heredes sui nasci possent, mortis item nomine civi-

vi-

vilem etiam mortem comprehenderunt; ita ut conditio extitisse censeatur, si filius, aut interdictus esset aqua, & igni, aut deportatus. Atque hactenus jus civile, Gallique formula complexum est eos, qui mortuo patre, vel avo nascerentur. De natis vero vivente avo, sive testamenti tempore, sive post testamentum Jurisconsulti nihil attigerunt; quia huic incommodo poterat ipse testator occurrere alio condito testamento, in quo institueret, aut exheredaret nepotem, qui vel agnascendo, vel succedendo heres suus factus esset avo. Sed quoniam non ubique facultas datur condendi testamenti, quia non ubique tot cives Romani praesto sunt, quot requiruntur ad testamentorum solennitatem; ideo lex Velleja novi testamenti condendi necessitatem sustulit data potestate instituendi nepotes, qui vivente testatore nascerentur sui, traditaque ratione instituendi jam natos. Id enim alsi non sunt Jurisconsulti, quia legibus non licebat nepotem heredem facere necessarium vivente patre, quem avus habebat in potestate. Ideo novo juri constituendo nova lege opus fuit, nempe Velleja, cujus auctor nondum e veteribus monumentis patet, sive Juniam, ut plerique, sive Juliam Vellejam cum Cujacio appellemus. (a) Ea lex omne praeteritionis periculum impostumorum exclusit, complexaque est casus omnes institutionis postumorum, quibus casibus duobus capitibus aptissime occurrit. In priori permittit avo institutionem quorumlibet postumorum, qui post mortem filii se vivente nascentur sui;

(a) *in frag. Vlp. qui hered. instituipossit §. 19. & Gaius lib. 2. tit. 134. ad tertullian.*

In

In posteriori tradit rationem instituendi nepotem jam natum si esset in locum heredis sui per patris mortem successurus, permittitque eum ante tempus adjecta conditione instituere ut necessarium : *si quis ex suis heredibus suus heres esse desierit :* nam si avus simul cum filio nepotem pure instituisset, ea institutio valebat, ut institutio extranei : & si moriente avo filius erat in potestate, nepos portionem suam adquirebat patri ; si vero avus post testamentum filium, & nepotem emancipaverat, suam tum sibi quisque portionem hereditatis separatim auferebat. Sicut autem Aquilii cautio ad omne mortis genus, & per omnes liberorum gradus trahitur ; ita etiam lex Velleja ; unde non solum nepotem, sed & quoslibet liberorum gradus ex legis praescripto licet instituere ; ac, si filius vel naturaliter moriatur, vel interdictus aqua, & igni fuerit, aut deportatus, patet nepoti sui heredis locus. Vestigavit Julianus & alium casum, qui lege Velleja minime includitur, & tamen de utroque capite trahit : nempe hunc : Avus testamentum facit, ubi prius filium, deinde nepotem nondum natum instituit. Nascitur nepos vivente avo, & patre, qui praemoritur avo. (x) Ad quod caput legis ea species referetur ? non ad prius, quia pertinet ad eos, qui sui nascuntur vivente avo, mortuo patre : hic autem natus est vivente patre, unde non fuit avo heres suus cum nasceretur ; non ad posterius, quia pertinet ad eos, qui

(x) *Vide Ant. Matth. de ex. hered. libr. lib. 2, tit. 13. inst.*

qui testamenti tempore nati erant: hic autem natus est post testamentum: & tamen infertur ad utrumque simul. Nam idem casus aliorsum inspectus, partim pertinet ad prius caput, quia hic nepos testamenti tempore nondum erat natus; partim ad posterius, quia natus est avo vivente. Ideo Julianus quasi commistis utrisque legis capitibus censuit per hujus nativitatem testamentum non rumpi: quia quod a singulis capitibus excluditur, iisdem simul concurrentibus continetur. Et haec de lege Velleja satis. Si quis uberiorem explicationem desideret, adeat latiores Duareni, Hotthomanni, Alciati, Cujacii, Goveani, aliorumque commentarios, (a) ex quibus tamen nos haud levi labore nucleum studiosis exclusimus, longiori disputatione consulto abstinentes, ne non tam lucem afferamus copia, quam tenebras: res enim est ejusmodi, ut limosae aquae instar, quo plus fundus tractatur, eo magis ab imo turbetur.

(a) *ad l. Gallus ff. de liber. & post.* Vinn. *instit. lib. 2. tit. 13. §. postumorū 2.*

Atque his praeteritionis vitium removetur. Si vero in testamento exheredatio contineatur, ad aliud remedium excurritur, quo exheredatis subvenitur, nempe ad auxilium legis Gliciae, cujus vestigium habemus in inscriptione legis IV. ff. de inofficioso testamento, quae inscriptio florentini codicis auctoritate defenditur adversus Hotthomannum, (b) & alios, qui ne Cujacio gloriam tribuant detectae legis, ad suum usque tempus aliis interpretibus ignotae, legem prorsus nullam agnoscunt Gliciam: quaerelamque

LXXX
DE LEGE GLICIA, SIVE DE QUERELA INOFFICIOSI TESTAMENTI.

(b) Hotthoman. *disp. de quarta legit. cap. 1.*

inofficioſi, ex moribus magis, & ex conſilio JCtorum quam ex certa lege fluxiſſe contendunt. (a) Ceterum Glicium nomen repertur in vetuſtis auctoribus, nempe Tacito, Suetonio, Floro, Livio, & agnoſcitur a Carolo Sigonio, qui & Gliciae dictaturam in lapidibus capitolinis notatam ſe inveniſſe teſtatur. (b) Haec autem querela, quae inofficioſi teſtamenti dicitur, teſtamento dementiam objicit teſtatoris, quem arguit quaſi furioſum: non enim videtur hominem ſani capitis potuiſſe ſine cauſa filium exheredare. Vnde per cauſam dementiae teſtamentum reſcinditur, ut inofficioſum, & conditum contra pietatis rationem: naturale enim jus quodammodo videtur mutuam inter parentes, & liberos ſucceſſionem inſtituiſſe. Sed quoniam aut illecebrae muliebres, & novercalia delinimenta, patris morientis voluntatem ſaepe a privigno abducunt; aut ipſe pater levius aliquando ex cauſis naturalem filiorum caritatem exuit; ideo filius injuſte ſe exheredatum probans, patrisque furorem praetendens teſtamentum ita reſcindit, ut cum inſtitutione concidant & legata. (c) Sane liberis praeteritis opus non eſt inofficioſi querela ineſt enim vitium ab initio; vetuſtioribus namque legibus interdictum eſt praeterire liberos: ſed eos, aut inſtituere oportet, aut exheredare, iis autem opus eſt querela, quibus vel minus legitima portione relictum eſt, vel omnis prorſus ademta. (d)

(a) Cujac. *obſ.* 2. *cap.* 21. & *l.* 4. *ff. inoffic. teſtam.* & *lib.* 17. *obſ. cap.* 17.

(b) Ant. Aug. *lib. de leg. in leg. Glicia,* & Cujac. *d. obſ.* 2. *cap.* 2.

(c) *l. Papinianus* 8. § *penult. l. Titia* 23. *l. cum mater* 28. *ff. inoffic. teſtam.*

(d) Paull. 4. *ſent. tit.* 5.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam autem querela inofficiosi genus est petitionis hereditatis: ideo ex ordine edicti perpetui, & Digestorum licebit hinc transire ad universam hereditatis petitionem. Super qua conditum est (a) S. C. quod a Graecis appellatur Adrianum, utpote factum Adriani jussu post ejus orationem de more habitam in Senatu prid. id. Mart. Q. Julio Balbo, & P. Juventio Celso, Tito Aufidio, Oeno Severiano Coss. qui ea de re verba fecerunt. Ex qua nominum descriptione Alciatus infert, cum Consulibus unius anni, admistos etiam esse Coss. designatos: neque meminit raro sub Imperatoribus unius anni Consules integrum annum in Magistratu mansisse, sed suffectis aliis intra annum abire consuevisse, dignitate consulari tantum in nominibus retenta, ut ex iis annus nuncuparetur. (b) Huic autem S. Cto, quod a Julio Balbo Cons. ab aliquibus Julianum appellatur, causam praebuit hereditas fisco delata ex legibus caducariis, nempe Papiae Pappaeae capitibus: cujus hereditatis bona, priusquam hereditas fisco deferretur, distracta fuerant ab iis, qui se heredes putabant. Ideo cogitatum fuit de fisci damno sarciendo, revocandisque rebus alienatis, & de precio ex iis redigendo. Quamvis autem fisci causa S. C. prodierit, commune tamen etiam est privatis heredibus adversus eos, qui sive bona, sive mala fide res hereditarias aut possideant, aut distraxerint. Plura vero sunt hoc S. C. comprehensa; scilicet ne qui hereditatis petitione agunt, usucapi

LXXXI. S. C. JULIANUM DE PETITIONE HEREDITATIS.

(a) *l. 20 ff. petit. hered.*

(b) Dion. *lib. 43. Ant Aug. in S. C. sine nomine.*

exigent ab iis, qui heredes se putantes res bona fide distraxerint, nullamque precii reddendi moram fecerint. Item cautum, ut si res hereditariae periissent, diminutaeve fuissent, precium earum ab iis, qui in judicio succubuissent, actori redderetur: quatenus tamen possessores facti fuerint locupletiores; amplius enim exigi bona fides non sinit. Ex eo autem tempore petita hereditas intelligitur, quo primum possessoribus innotuit eam ad se non pertinere, sive denunciationibus, sive literis, sive edicto, ut deinceps malae fidei possessor fiat. Porro malae fidei possessores si ante litem contestatam fecerint quo minus possiderent, ut possessores tamen damnantur.

LXXXII. DE S.C. CLAVDIANO, SIVE DE ADSIGNATIONE LIBERTORVM.

Huic recte attexetur S.C. Claudianum, ex quo certa pars hereditatis defertur ei, eisve ex liberis, cui, quibusve sive institutis, sive exheredatis, libertus libertave a patre, qui duos, pluresve liberos habet in potestate fuerit assignatus. Hujus enim liberti, si pater, qui adsignavit in civitate esse desinet, hereditas ei cedit, in quem pater jus patronatus judicio suo contulerit, cujusque libertum eum esse voluit praecipuum, sive testamento, sive aliter: (a) nisi qui patronus ex filiis fuerat a patre constitutus sine liberis decessisset, etenim tum ceteri liberi, fratresque defuncti omnes pariter ad ejus liberti successionem veniunt, neque enim assignatione uni facta, ceteri desinunt esse patroni; unde contra tabulas habent bonorum possessionem, ut notat Cujacius

(a) *L. 1. §. 5. ff. de adsignand. libert. & Instit. de adsignat. libert.*

Digitized by Google

cius parat. ad hunc tit. (a) Quod S.C. ſub Claudio, Sabellio, vel ut alii malunt, Vellejo, Rufo, & Oſterio Scapula Coſſ. conditum fuit. (b) Quamvis autem aſſignatio filiofam. facta poſt emancipationem evaneſcat, quia filii ſtatus, in quo beneficium teſtatoris reſidebat, fuit immutatus; tamen ſi ab initio emancipato filio libertus fuit attributus, eam aſſignationem valere Mynſingerus cenſet. (c) Ego vero exiſtimo tum utiliter emancipato filio libertum adſignari, cum non pauciores, quam duo ſunt in poteſtate, atque emancipato ſimul cum altero ex iis, qui ſunt in poteſtate adſignatur. Quod enim infirmum eſt ex perſona emancipati, propter perſonam ejus, qui eſt in poteſtate conſiſtit; exemplo (d) l. ult. ff. lib. & poſtum. At ſi duos tantum liberos habeat pater, quorum alter, ſi emancipatus, adſignatio utrisque facta nulla eſt: quia neque ex emancipati, neque ex filiifam. perſona ſuſtinetur: cum ex S. C. non aliter adſignari libertus queat, quam ſi adſignans duos minimum liberos habeat in ſua poteſtate; ut optime Cujacius explicavit. (e)

(a) *per l. 2. §. ſi capit. ff. bon. libert.*

(b) *Inſtit. de adſign. lib. §. 3. l. 1. ff. eod.*

(c) *ex l. utrum §. ff. adſignat. libert. in fin. Inſtit. eod.*

(d) *l. mulieri ff. condit. & demonſtr.*

(e) *Inſtit. de adſign. libert.*

LXXXIII.

De S.C. Tertullianum.

Rerum ſeries nos ducit ad S.C. Tertullianum, & Orphitianum, quae ad mutuas matrum, & filiorum ſucceſſiones pertinent. (f) Jure namque XII. tabul. ſucceſſionis jura ſequebantur ſolos agnatos, neque ad ſucceſſionem vocabantur, praeter eos, qui viriliſexu conjungerentur. Vnde quia nulla inter liberos, & matrem agnatio intercedit, ſpes etiam ſucceſſionis

(f) Paull. *lib. 4. ſent. tit. 9. & 10.* Juſtin. *hoc tit. Inſt.* VVeſemb. *in parat.*

Digitized by Google

ab inteſtato inter eos omnis jure civili perimebatur; niſi mater conveniſſet in manum, & viro filiifam. loco fuiſſet. Etenim, ut alibi diximus, uxorum duo genera erant, (a) earum nempe, quas viri annum integrum uxoris loco habebant, eoque ſpatio uſucapiebant, quae proprie uxores dicebantur; & earum, quae matresfam. appellabantur, quaeque convenerant in manum, ſive poteſtatem viri dupliciter: nempe confarreatione, ſive certis ſolennitatibus, & ſacris, quibus de more adhibebatur far, quo farre utpote communi Romanorum victu, vir, & uxor veſcebantur, ut perpetuam vitae communionem ſignificarent; & coëmtione, cum vir mulierem interrogaret, an ſibi materfam. eſſe vellet, & viciſſim foemina virum, an ſibi eſſe vellet paterfam. ac ſi conſentirent, mulier conveniebat in manum, ſive convertebatur fictione juris in ipſam viri perſonam, & in ejusdem familiam transferebatur, tamquam filius patri, eaque coëmtio dicebatur forſan, quia ut Varro teſte Nonio (b) tradit, mulier tres aſſes ferebat, quorum alterum viro, veluti pro emtionis pretio dabat; alterum in foco ponebat ante Larem familiarem; alterum in ſacciperio, ſive in marſupio majori conditum compito vicinali dabat, ſive Laribus compitalibus, quibus fiebant ſacra: erant enim & Lares, qui viis publicis praeſiderent. (c) Igitur ſive confarreatione, ſive coëmtione mulier conveniret in manum, ac tamquam filiusfam. viri poteſtati ſubjiceretur; naſcebatur inter eos, & filios

(a) Cic. *in topic.* Vlp. *Inſtit. tit 9.* Boët *topic.* Cic. *ſer 6.* Georg. *1.* Scalig. *ad Feſtum verbo* diffarreatio Apul. *lib. 6. de reſtin.*

(b) Roſin. *lib. 5. cap. 37. Aurig.*

(c) Sueton. *in Aug. Arnob. lib. 3.* Manut. *de Veter. dier. rat.*

Digitized by Google

filios mutua succeſſio ex jure civili, tamquam inter heredes ſuos, & inter conſanguineos. (a) Nam inter hujuscemodi conjuges intercedebat jus conſanguinitatis, quae ad cognatos ex veterum ſenſu non porrigitur, nec tranſit in alios liberos, niſi eos, qui communem habeant patrem, quod optimis auctoribus, validisque rationibus adverſus Accurſium, & alios contendit Cujacius. (b) Quoniam igitur leges XII. tabularum ad ſucceſſionem vocabant conſanguineos, ideo conjugum horum ſucceſſio ad ſenſum XII. tabul. relata fuit a Jurisconſultis qui legis verba porrexerunt ad confictam hanc a jure civili conſanguinitatem. At quae mulieres viro annua poſſeſſione fuerant uſucaptae, quae proprie dicebantur uxores, differebantque a ſuperioribus, quae matresfam. vocabantur; nullo jure agnationis viro, aut filiis conjungebantur; ideo nulla mutua ſucceſſio inter eos jure civili fuit inſtituta: quia leges XII. tabul. non niſi agnatis aperiebant inteſtati ſucceſſionem. Verum beneficio Praetoris, qui vinculum naturae a jure civili neglectum agnoſcebat, admittebantur inter cognatos, & ex edicto *unde cognati* ad filiorum ſucceſſionem vocabantur. (c) Claudius praeterea miſeratione materni luctus, in ſolatium amiſſi filii, deferre matribus coëpit filiorum hereditates. (d) Tandem juris civilis aſpera ſubtilitas, quam per ambages Praetor declinabat, ſublata prorſus fuit aevo Adriani, ſive Pii, ut Cujacius (e) probat: (duxit enim Pius ex adoptione nomen Adriani). Itaque

(a) Cujac. *enarrat. C. ad S. C. Orphit. §. poſtremo ad hered. & parat. C. unde vir, & uxor.* Gell. *cap. 6. lib. 18.*

(b) *enarrat. ad C. de S. C. Orphit. §. poſtremo notandum.*

(c) *Inſtit. de S. C. Tertull. in pr.*

(d) *Inſtitut. eod. §. 1.*

(e) *in notis ad Inſtit. eod.*

Digitized by Google

In posteriori tradit rationem instituendi nepotem jam natum si esset in locum heredis sui per patris mortem successurus, permittitque eum ante tempus adjecta conditione instituere ut necessarium : *si quis ex suis heredibus suus heres esse desierit :* nam si avus simul cum filio nepotem pure instituisset, ea institutio valebat, ut institutio extranei : & si moriente avo filius erat in potestate, nepos portionem suam adquirebat patri ; si vero avus post testamentum filium, & nepotem emancipaverat, suam tum sibi quisque portionem hereditatis separatim auferebat. Sicut autem Aquilii cautio ad omne mortis genus, & per omnes liberorum gradus trahitur ; ita etiam lex Velleja ; unde non solum nepotem, sed & quoslibet liberorum gradus ex legis praescripto licet instituere ; ac, si filius vel naturaliter moriatur, vel interdictus aqua, & igni fuerit, aut deportatus, patet nepoti sui heredis locus. Vestigavit Julianus & alium casum, qui lege Velleja minime includitur, & tamen de utroque capite trahit : nempe hunc : Avus testamentum facit, ubi prius filium, deinde nepotem nondum natum instituit. Nascitur nepos vivente avo, & patre, qui praemoritur avo. (a) Ad quod caput legis ea species referetur ? non ad prius, quia pertinet ad eos, qui sui nascuntur vivente avo, mortuo patre : hic autem natus est vivente patre, unde non fuit avo heres suus cum nasceretur ; non ad posterius, quia pertinet ad eos, qui

(a) *Vide Ant. Matth. de exhered. libr. lib. 2, tit. 13. Inst.*

Digitized by Google

qui teſtamenti tempore nati erant: hic autem natus eſt poſt teſtamentum: & tamen infertur ad utrumque ſimul. Nam idem caſus aliorſum inſpectus, partim pertinet ad prius caput, quia hic nepos teſtamenti tempore nondum erat natus; partim ad poſterius, quia natus eſt avo vivente. Ideo Julianus quaſi commiſtis utrisque legis capitibus cenſuit per hujus nativitatem teſtamentum non rumpi: quia quod a ſingulis capitibus excluditur, iisdem ſimul concurrentibus continetur. Et haec de lege Velleja ſatis. Si quis uberiorem explicationem deſideret, adeat latiores Duareni, Hotthomanni, Alciati, Cujacii, Goveani, aliorumque commentarios, (a) ex quibus tamen nos haud levi labore nucleum ſtudioſis excluſimus, longiori diſputatione conſulto abſtinentes, ne non tam lucem afferamus copia, quam tenebras: res enim eſt ejusmodi, ut limoſae aquae inſtar, quo plus fundus tractatur, eo magis ab imo turbetur.

(a) *ad l. Gallus ff. de liber. & poſt.* Vinn. *in ſtit. lib. 2. tit. 13. §. poſtumorũ 2.*

Atque his praeteritionis vitium removetur. Si vero in teſtamento exheredatio contineatur, ad aliud remedium excurritur, quo exheredatis ſubvenitur, nempe ad auxilium legis Gliciae, cujus veſtigium habemus in inſcriptione legis IV. ff. de inofficioſo teſtamento, quae inſcriptio florentini codicis auctoritate defenditur adverſus Hotthomannum, (b) & alios, qui ne Cujacio gloriam tribuant detectae legis, ad ſuum usque tempus aliis interpretibus ignotae, legem prorſus nullam agnoſcunt Gliciam: quaerelamque

LXXX
DE LEGE GLICIA, SIVE DE QVERELA INOFFICIOSI TESTAMENTI.

(b) Hotthoman. *diſp. de quarta legit. cap. 1.*

inofficiosi, ex moribus magis, & ex consilio JCtorum quam ex certa lege fluxisse contendunt. (a) Ceterum Glicium nomen reperitur in vetustis auctoribus, nempe Tacito, Suetonio, Floro, Livio, & agnoscitur a Carolo Sigonio, qui & Gliciae dictaturam in lapidibus capitolinis notatam se invenisse testatur. (b) Haec autem querela, quae inofficiosi testamenti dicitur, testamento dementiam objicit testatoris, quem arguit quasi furiosum: non enim videtur hominem sani capitis potuisse sine causa filium exheredare. Vnde per causam dementiae testamentum rescinditur, ut inofficiosum, & conditum contra pietatis rationem: naturale enim jus quodammodo videtur mutuam inter parentes, & liberos successionem instituisse. Sed quoniam aut illecebrae muliebres, & novercalia delinimenta, patris morientis voluntatem saepe a privigno abducunt; aut ipse pater levius aliquando ex causis naturalem filiorum caritatem exuit; ideo filius injuste se exheredatum probans, patrisque furorem praetendens testamentum ita rescindit, ut cum institutione concidant & legata. (c) Sane liberis praeteritis opus non est inofficiosi querela ineft enim vitium ab initio; vetustioribus namque legibus interdictum est praeterire liberos: sed eos, aut instituere oportet, aut exheredare, iis autem opus est querela, quibus vel minus legitima portione relictum est, vel omnis prorsus ademta. (d)

(a) Cujac. *obs. 2. cap. 21. & l. 4. ff. inoffic. testam. & lib. 17. obs. cap. 17.*

(b) Ant. Aug. *lib. de leg. in leg. Glicia, &* Cujac. *d. obs. 2. cap. 2.*

(c) *l. Papinianus 8. § penult. l. Titia 15. l. cum mater 28. ff. inoffic. testam.*

(d) Paull. *4. sent. tit. 5.*

Quo-

Digitized by Google

Quoniam autem querela inofficiosi genus est petitionis hereditatis: ideo ex ordine edicti perpetui, & Digestorum licebit hinc transire ad universam hereditatis petitionem. Super qua conditum est (a) S. C. quod a Graecis appellatur Adrianum, utpote factum Adriani jussu post ejus orationem de more habitam in Senatu prid. id. Mart. Q. Julio Balbo, & P. Juventio Celso, Tito Aufidio, Oeno Severiano Coss. qui ea de re verba fecerunt. Ex qua nominum descriptione Alciatus infert, cum Consulibus unius anni, admistos etiam esse Coss. designatos: neque meminit raro sub Imperatoribus unius anni Consules integrum annum in Magistratu mansisse, sed suffectis aliis intra annum abire consuevisse, dignitate consulari tantum in nominibus retenta, ut ex iis annus nuncuparetur. (b) Huic autem S. Cto, quod a Julio Balbo Cons. ab aliquibus Julianum appellatur, causam praebuit hereditas fisco delata ex legibus caducariis, nempe Papiae Pappaeae capitibus: cujus hereditatis bona, priusquam hereditas fisco deferretur, distracta fuerant ab iis, qui se heredes putabant. Ideo cogitatum fuit de fisci damno sarciendo, revocandisque rebus alienatis, & de precio ex iis redigendo. Quamvis autem fisci causa S.C. prodierit, commune tamen etiam est privatis heredibus adversus eos, qui sive bona, sive mala fide res hereditarias aut possideant, aut distraxerint. Plura vero sunt hoc S.C. comprehensa; scilicet ne qui hereditatis petitionem agunt, usuta exi-

LXXXI. S.C. JULIANVM DE PETITIONE HEREDITATIS.

(a) *l. 20 ff. petit. hered.*

(b) Dion. *lib. 43. Ant Aug. in S.C. sine nomine.*

exigent ab iis, qui heredes se putantes res bona fide distraxerint, nullamque precii reddendi moram fecerint. Item cautum, ut si res hereditariae periissent, diminutaeve fuissent, precium earum ab iis, qui in judicio succubuissent, actori redderetur: quatenus tamen possessores facti fuerint locupletiores; amplius enim exigi bona fides non sinit. Ex eo autem tempore petita hereditas intelligitur, quo primum possessoribus innotuit eam ad se non pertinere, sive denunciationibus, sive literis, sive edicto, ut deinceps malae fidei possessor fiat. Porro malae fidei possessores si ante litem contestatam fecerint quo minus possiderent, ut possessores tamen damnantur.

LXXXII. DE S.C. CLAVDIANO, SIVE DE ADSIGNATIONE LIBERTORVM.

Huic recte attexetur S.C. Claudianum, ex quo certa pars hereditatis defertur ei, eisve ex liberis, cui, quibusve sive institutis, sive exheredatis, libertus libertave a patre, qui duos, pluresve liberos habet in potestate fuerit assignatus. Hujus enim liberti, si pater, qui adsignavit in civitate esse desinet, hereditas ei cedit, in quem pater jus patronatus judicio suo contulerit, cujusque libertum eum esse voluit praecipuum, sive testamento, sive aliter: (a) nisi qui patronus ex filiis fuerat a patre constitutus sine liberis decessisset, etenim tum ceteri liberi, fratresque defuncti omnes pariter ad ejus liberti successionem veniunt, neque enim assignatione uni facta, ceteri desinunt esse patroni; unde contra tabulas habent bonorum possessionem, ut notat Cujacius

(a) *l. 1. §. 5. ff. de adsignand. libert. & Instit. de adsignat. libert.*

Digitized by Google

cius parat. ad hunc tit. (a) Quod S.C. sub Claudio, Sabellio, vel ut alii malunt, Vellejo, Rufo, & Osterio Scapula Coss. conditum fuit. (b) Quamvis autem assignatio filiofam. facta post emancipationem evanescat, quia filii status, in quo beneficium testatoris residebat, fuit immutatus; tamen si ab initio emancipato filio libertus fuit attributus, eam assignationem valere Mynsingerus censet. (c) Ego vero existimo tum utiliter emancipato filio libertum adsignari, cum non pauciores, quam duo sunt in potestate, atque emancipato simul cum altero ex iis, qui sunt in potestate adsignatur. Quod enim infirmum est ex persona emancipati, propter personam ejus, qui est in potestate consistit; exemplo (d) l. ult. ff. lib. & postum. At si duos tantum liberos habeat pater, quorum alter, si emancipatus, adsignatio utrisque facta nulla est: quia neque ex emancipati, neque ex filiifam. persona sustinetur: cum ex S. C. non aliter adsignari libertus queat, quam si adsignans duos minimum liberos habeat in sua potestate; ut optime Cujacius explicavit. (e)

(a) *per l. 2. §. fi capit. ff. bon. libert.*

(b) *Instit. de adsign. lib. §. 3. l. 1. ff. eod.*

(c) *ex l. utrum 9. ff. adsignat. libert. in fin. Instit. eod.*

(d) *l. mulieri ff. condit. & demonstr.*

(e) *Instit. de adsign. libert.*

Rerum series nos ducit ad S.C. Tertullianum, & Orphitianum, quae ad mutuas matrum, & filiorum successiones pertinent. (f) Jure namque XII. tabul. successionis jura sequebantur solos agnatos, neque ad successionem vocabantur, praeter eos, qui viriliexu conjungerentur. Vnde quia nulla inter liberos, & matrem agnatio intercedit, spes etiam successionis

LXXXIII. DE S.C. TERTVLLIANO.

(f) Paull. lib. 4. sent. tit. 9. & 10. Justin. hoc tit. Inst. VVesemb. in parat.

ab inteſtato inter eos omnis jure civili perimebatur; niſi mater conveniſſet in manum, & viro filiifam. loco fuiſſet. Etenim, ut alibi diximus, uxorum duo genera erant, (a) earum nempe, quas viri annum integrum uxoris loco habebant, eoque ſpatio uſucapiebant, quae proprie uxores dicebantur; & earum, quae matresfam. appellabantur, quaeque convenerant in manum, ſive poteſtatem viri dupliciter: nempe confarreatione, ſive certis ſolennitatibus, & ſacris, quibus de more adhibebatur far, quo farre utpote communi Romanorum victu, vir, & uxor veſcebantur, ut perpetuam vitae communionem ſignificarent; & coëmtione, cum vir mulierem interrogaret, an ſibi materfam. eſſe vellet, & viciſſim foemina virum, an ſibi eſſe vellet paterfam. ac ſi conſentirent, mulier conveniebat in manum, ſive convertebatur fictione juris in ipſam viri perſonam, & in ejusdem familiam transferebatur, tamquam filius patri, eaque coëmtio dicebatur forſan, quia ut Varro teſte Nonio (b) tradit, mulier tres aſſes ferebat, quorum alterum viro, veluti pro emtionis pretio dabat; alterum in foco ponebat ante Larem familiarem; alterum in ſacciperio, ſive in marſupio majori conditum compito vicinali dabat, ſive Laribus compitalibus, quibus fiebant ſacra: erant enim & Lares, qui viis publicis praeſiderent. (c) Igitur ſive confarreatione, ſive coëmtione mulier conveniret in manum, ac tamquam filiusfam. viri poteſtati ſubjiceretur; naſcebatur inter eos, & filios

(a) Cic. *in topic.* Vlp. *Inſtit. tit 9.* Boët *topic.* Cic. *ſerv.* Georg. *1.* Scalig. *ad Feſtum verbo* diffarreatio Apul. *lib. 6. de reſtin.*

(b) Roſin. *lib. 5. cap. 37.* Aurig.

(c) Sueton. *in Aug.* Arnob. *lib. 3.* Manut. *de veter. dier. rat.*

Digitized by Google

filios mutua succeſſio ex jure civili, tamquam inter heredes ſuos, & inter conſanguineos. (a) Nam inter hujuscemodi conjuges intercedebat jus conſanguinitatis, quae ad cognatos ex veterum ſenſu non porrigitur, nec tranſit in alios liberos, niſi eos, qui communem habeant patrem, quod optimis auctoribus, validisque rationibus adverſus Accurſium, & alios contendit Cujacius. (b) Quoniam igitur leges XII. tabularum ad ſucceſſionem vocabant conſanguineos, ideo conjugum horum ſucceſſio ad ſenſum XII. tabul. relata fuit a Jurisconſultis qui legis verba porrexerunt ad confictam hanc a jure civili conſanguinitatem. At quae mulieres viro annua poſſeſſione fuerant uſucaptae, quae proprie dicebantur uxores, differebantque a ſuperioribus, quae matresfam. vocabantur; nullo jure agnationis viro, aut filiis conjungebantur; ideo nulla mutua ſucceſſio inter eos jure civili fuit inſtituta: quia leges XII. tabul. non niſi agnatis aperiebant inteſtati ſucceſſionem. Verum beneficio Praetoris, qui vinculum naturae a jure civili neglectum agnoſcebat, admittebantur inter cognatos, & ex edicto *unde cognati* ad filiorum ſucceſſionem vocabantur. (c) Claudius praeterea miſeratione materni luctus, in ſolatium amiſſi filii, deferre matribus coëpit filiorum hereditates. (d) Tandem juris civilis aſpera ſubtilitas, quam per ambages Praetor declinabat, ſublata prorſus fuit aevo Adriani, ſive Pii, ut Cujacius (e) probat: (duxit enim Pius ex adoptione nomen Adriani). Itaque

(a) Cujac. *enarrat. C. ad S. C. Orphit. §. poſtremo ad hered. & parat. C. unde vir, & uxor.* Gell. *cap. 6. lib. 18.*

(b) *enarrat. ad C. de S. C. Orphit. §. poſtremo notandum.*

(c) *Inſtit. de S. C. Tertull. in pr.*

(d) *Inſtitut. eod. §. 1.*

(e) *in notis ad Inſtit. eod.*

Digitized by Google

que Tertyllo, & Sacerdote Coss. conditum est S. C. a Tertyllo Tertyllianum appellatum, quo filiorum etiam spuriorum successio aperitur (a) matri liberorum trium, si sit ingenua, non vero aviae; & libertinae, si mater sit liberorum quatuor, etiam si sit in potestate parentis, cujus jussu adire debet; siquidem filius neque suum heredem habeat, nec filium emancipatum, quem tuetur Praetor, neque patrem, neque fratrem consanguineum, ad quos lege XII. tabul. successio pertinet, tantum cum sorore consanguinea defuncti mater ad hereditatem ex S. C. vocabatur. (b) Sed si frater, & soror consanguinei superfuissent; frater matrem trium, aut quatuor liberorum jure suffultam excludebat, & hereditas inter fratres, & sorores dividebatur ex aequis partibus. (c) Quod S. C. beneficium Justinianus ad matres omnes produxit, sive ingenuas, sive libertinas cum liberis, & sine liberis; ex cujus Institutionibus, & novellis petere licet ea, quae addita fuerunt ab eo, & immutata. Supereſt ut admoneamus mortuis filiis impuberibus, matrem, quae iis intra annum petere tutorem neglexerit, successione privari: (d) ut ex eadem causa successores ceteri. (e) Excidet etiam commodo S. C. mater, quae cum juraſſet non nupturam, postea nupserit, (f) non dato alio tutore idoneo, nec redditis rationibus.

(a) Paull. *lib. 4. sent. tit. 10. & Instit. tit. de S. C. Tert.*

(b) Vlp. *Inst. cap. 26. de legit. hered. §. intest. & instit. tit. de S. C. Tertyll.*

(c) *Instit. eod. §. 3.*

(d) *l. 2. §. si mater 23. ff. ad S. C. Tertyll.*

(e) *l. sciant C. legit. hered.*

(f) Cujac. *in enarr. C. hoc tit. & Instit.*

LXXXIV. De S. C. Orfitiano.

Rursus quia filius matri non succedebat jure veteri, ob eandem causam, quod scilicet nulla inter

Digitized by Google

inter eos esset agnatio; ideo ut par beneficium redderetur liberis, M. Antonini tempore Orfitio, & Rufo Coss. prodiit S. C. Orfitianum, quo filiis etiam vulgo quaesitis, si mater non sit illustris, nec legitimam sobolem habeat, (a) matris hereditas posthabitis agnatis & consanguineis defunctae adquiritur, etiamsi alieno juri subjecti sint, post aditionem, ac gestionem pro herede. (b) Et quoniam haec S. C. conjunctionem naturalem tuentur; ideo minima capitis dimi-nutio non tollit successionem inter matrem, & filium mutuam per ea inductam. (c) Filia vero defunctae matris ancilla, vel liberta ex S. C. Claudiano facta, de quo alibi dictum, quia matrem civilem non habet S. C. beneficium non impetrabit; neque ullus, qui hereditatis adeundae tempore civis Romanus non fuerit. (d) Ex constitutionibus vero Principum nepotes etiam, & neptes ad successionem aviae vocantur, ut in Inst. h. t.

(a) *l. penult. C. hoc. tit.*

(b) Paull. *lib. 4. sent. tit. 10.* Cujac. *enarr. C. ad hunc. tit.*

(c) *Inst. hoc tit. §. 3.*

(d) *l. 1. §. filio ff. ad S. C. Tertull.*

LXXXV. DE LEGE CORNELIA, ET JULIA MAJESTATIS.

Jam quoniam leges produximus, quae personarum status, & negotia complectuntur: ad eas, quibus judicia, & crimina continentur, transeamus. Exordiemur autem a judicio tristiori, atque atrocissimo, nempe a crimine perduellionis, sive majestatis: quae leges ab ipsis primordiis Vrbis initium duxerunt. Etenim nunquam satis civitas constituta censetur, nisi latis hujuscemodi legibus: quibus veluti jactis fundamentis publicae tranquillitatis reip.

Digitized by Google

ſtatus, & quies inniti̇tur. Quid enim prodeſt muris urbem circumdare, ſi lateant intus inſidiae, ut ubi ſe occaſio dederit in principes, & magiſtratus, quibus omnium eſt concredita ſalus, erumpant? Sicut igitur muris vim exteram, ita majeſtatis legibus inteſtinam arcemus. Quamobrem harum legum praeſidio, hisque judiciis poteſtatem reges muniuere ſuam: earum auctoritatem Junius Brutus, vel ipſo filiorum ſanguine ſancivit: ut quae regium imperium defenderant, majori auctoritate rempublicam cuſtodirent. Primum vero Romanorum regem Romulum de proditione legem tuliſſe Dionyſius refert: quod unum eſt e praecipuis capitibus legum de majeſtate, quas Decemviri a regibus acceptas in XII. conjecere tabulas, quibus capite punitur quisquis aut hoſtem in patriam concitaſſet, aut civem hoſtibus tradidiſſet. (a) Quae lex ſequentibus temporibus varie aucta fuit. Etenim lege Gabinia clandeſtinarum coitionum particìpes capite multabantur. Acceſſit lex Apuleja (b) a Lucio Apulejo Saturnino lata trib. pleb. anno DCLI. & lex Varia (c) a Q. Vario anno DCLXII, quibus legibus vis, & ſeditio in Vrbe coorta vindicabatur; magis enim ad animadvertendum in ejus delicti reos, quam ad jus majeſtatis conſtituendum prodierunt; jam enim ſuperioribus munitum erat legibus. Lucius vero Cornelius Sylla pluribus capitibus majeſtatis crimina comprehendit, legemque tulit, veteribus capitibus ſuſcitandis & no-

(a) *Lg. lex 12. ff. ad l. Jul. Majeſt.*

(b) Cic. *de Orat.*

(c) Cic. *in Brut.*

Digitized by Google

& novis instituendis. Quo plures enim hujuscemodi trucibus judiciis irretiret, poenam remisit iis, qui per calumniam alios accusant, locumque in hisce causis mulierum testimoniis aperuit. Quod etsi perturbatis illis temporibus conveniisset, se praesertim homine solertissimo verarum, & falsarum criminationum vindice; sequentibus tamen temporibus in maximam hominum perniciem erupit: data enim licentia in criminibus gravissimis calumniarum, innocentium supplicio fraus exultat, atque bachatur, ut deterior omnibus criminibus sit, criminum accusandorum impunitas. Nec solum fautores hostium, publicaeque perturbatores pacis huic judicio subjecit, sed & eos, qui magistratibus muneris exercitium impedissent, aut ducibus hostium, vel praedonum captis ignovissent, & quod Verri Tullius (a) objicit, eos accepta pecunia liberassent; & eum praeterea, qui potestatem suam abjecisset, eamque defendere neglexisset cum publico munere fungeretur. (b) Tandem Julius Caesar, & post eum Augustus, unde huic legi nomen, *Julia*, nempe, *Majestatis*; alia criminum capita superioribus adjecerunt, quae a Jurisconsultis nostris referuntur. Etenim priscis temporibus majestatis nomen intra perduellionem continebatur; quod crimen erat hostium patriae, sive illorum civium, qui opera, dolo, consilio, aut machinatione ali-

(a) Cic. *in Verr.*

(b) Cic. & Asconius *apud* Sigonium *lib. 2. de jud. cap. 29.*

qua, etiam sine ullo effectu, seditionem commovere, vel externum hostem suscitare studuissent; aliave ratione rempublicam perturbassent, aut partem discidissent illius. Porrecta deinde majestatis lex fuit a L. Lylla posteaque a Julio Caesare, atque Augusto, aliisque principibus ad crimina leviora: ita ut ad criminum genera distinguenda nomina quoque distinguere oportuerit. Vnde perduelles dicebantur qui, aut rempublicam universam, aut principis dignitatem laesissent: qui vero levius aliquid hoc in genere perpetrassent, rei majestatis vocabantur. Eo enim suas vires haec lex extendit, ut illos etiam arriperet, qui principum imagines in communem argenti usum verterant, aut urina statuas eorum adspersérant, aliave ratione dehonestarant. Vnde majores opes hinc in fiscum cadebant, quam ex vicesimis, & caducis. Quilibet enim vaferrimus assentator, quorum hominum semper sub dominatione unius est plusquam satis, dilatandis faucibus hujus teterrimae legis, gratiam captabat principis, & evertendis civibus rem suam familiarem augebat. Singula vero sive perduellionis capita, sive majestatis peti abunde possunt a jurisconsultis, qui ea diserte, ac studiose recensuerunt in Digestis, uti & Imperatores in Codice. (a) Ex quibus, itemque ex Tacito lib. 1. annal. colligitur famosorum quoque libellorum crimen fuisse redactum in hanc legem ab Augusto: cui forsan praeivit Sylla, de quo ita Cicero ad Attic. *Est majestus, ut Sylla*

(a) *ff. & C. ad l. Jul. Majest. Cujac. ad lib. Paull. sent. 5. cap. 29, & in C. hoc tit.*

Sylla voluit, ne in quemvis impune declamare liceret, (a) crimen quoque falsae monetae fusae in hanc legem principes incluserunt. (b) Et ne quid contra majestatem clam a pluribus non probatae fidei hominibus strueretur, S. C. prodiit adversus illicita collegia. (c) Quamvis autem differentia sit inter crimina perduellionis, & majestatis; poenarum tamen haud scio an discrimen inveniatur ullum. Siquidem ante Imperatores unum erat crimen majestatis perduellio, ultimo damnata supplicio; quae lege Cornelia, & Julia interdictio erat aquae, & ignis: (d) eamque poenam omnibus delictis majestatis impositam fuisse docemus a Paullo JCto, (e) a quo accepimus hanc fuisse antiquiorem poenam hisce criminibus: at suis temporibus invaluisse, ut humiliores quidem objicerentur bestiis, aut igni exurerentur; honestiores vero capite punirentur. Verum aliquid certe in perduelles excogitatum fuit atrocius, non modo ab Arcadio & Honorio celeberrimae legis auctoribus; (f) sed a superioribus principibus, quorum constitutiones Arcadius & Honorius credo, attexuere legi suae. Nam & Vlpianus scribit, (g) omnia crimina reo decedente finiri, praeter crimina majestatis: nec tamen omnia crimina majestatis post rei mortem subesse judicio, sed tantum perduellionem; itaque perduellionis crimen post mortem quoque rei leges ulciscuntur, ejusque memoriam persequuntur, itemque filios, quibus ad propagationem calamitatis, atque ad longiorem miseriae

(a) Manut. *de leg. pag. 858. post* Rosin. Matth. *de crim. pag. 305.*
(b) *l. 2. C. de fals. mon.*
(c) *l. 1. ff. de Coll. leg. & corp.*
(d) Cic. *philip. 1.* Sigon. *loc. cit.*
(e) *l. 5. sent. 29.*
(f) *l. quisquis C. ad l. Jul. majest.*
(g) *l. ult. ff. ad l. Jul. majest.*

Digitized by Google

fensum vita relinquitur. Auferturenim iis a fisco paterna substantia, & hereditas quaelibet sive cognatorum, sive extraneorum, spesque dignitatum omnis, & honorum eripitur, ut nihil iis ex hac mortali luce superstit, praeter lucis taedium, & mortis cupiditatem. Minus erunt enim parentes proclives in hanc sceleris immanitatem, si norint sese poenas etiam in sobolem transmissuros. Eas vero minime comitari minora majestatis delicta ex humaniorum JCtorum auctoritate nobis facile persuasimus. (a) Filiabus tantum propter infirmitatem, pudoremque sexus principes concessere Falcidiae, quam legitimam exponunt interpretes, (b) detractionem ex maternis bonis. (c) Id etiam triste manat ab hoc crimine, quod omnes donationes, alienationes, emancipationes post crimen a reo etiam ante sententiam factae prorsus irritantur: etsi reum vita defecerit, nihilominus tamen condemnatur, poenaeque adhuc vivere existimatur. Ac propter delicti gravitatem haud pauca sunt in hoc judicio singularia, minimeque cum ceteris communia: quorum haud exigui momenti est illud, quod non modo effectus, verum etiam consilium, & voluntas poenis afficitur; aliter atque aliis in criminibus, de quibus Vlpianus tradit neminem cogitationis poenam pendere debere. (d) Quamobrem Cato poenam in Senatu Rhodiensibus deprecabatur propter cogitatum, non tamen patratum facinus. (e) Verum Jacobus Cujacius, (f) lux Romanae vetustatis, negat poenam cogitati facinoris

(a) Matth. *de crim. ad lib. 48. ff. tit. 2. cap. 3. de laesa majest. num. 7.*

(b) Matth. *de crim. de laes. majest. cap. 3. n. 20.*

(c) *d. l. quisquis C. hoc tit. §. ad filias.*

(d) *l. cogitationis ff. de poenis,*

(e) Gellius *lib. 7. cap. 3.*

(f) *obs. 8. cap. 22. & lib. 15. cap. 25.*

Digitized by Google

noris hujus tantum esse delicti, sed alia quoque gravia crimina comprehendisse apud Romanos probat ex eo Servii loco ad illud Aeneid.

Ausi omnes immane nefas, auroque potiri,

quo loco Servius tradit jure Romano non effectum tantum, sed voluntatem poenae subesse. A quo non dissentit Seneca, (*a*) nec desunt auctoritates ex jure civili. (*b*) Pluraque praeterea Cujacius ex veteribus monumentis exempla collegit puniti, nec dum perpatrati facinoris in vario genere delictorum, idque generali Maximi Titii definitione comprobavit: quasi Vlpiani definitio pertinuisset ad illud crimen, de quo tractabat in eo loco, unde particula haec fuit avulsa, nempe ad edictum, *quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur*; cujus cogitatio delicti utpote levioris, poenam non incurrit, nisi sequatur effectus. Sed quid respondebimus hisce M. Catonis verbis adductis a Gellio? *Quis tandem est nostrorum, qui quod ad se attineat, aequum censeat, quemquam poenas dare ob eam rem, quod arguatur male facere voluisse? Nemo opinor.* Sane secernerem puram nudamque cogitationem facinoris, neque confecti, neque dum affecti, quam expertem prorsus poenae semper fuisse crediderim, itaque acceperim verba Catonis; ab alia voluntate cum periculoso conatu, & aliqua machinatione conjuncta, quam puto poenam in gravioribus viguisse de-

(a) *declamat. 7.*
(b) *l. 1. C. Theod. ad l. Jul. de amb. & l. 1 ff. de extraord. crimin.*

Digitized by Google

delictis : ut hac distinctione, quam & Matthaeus (a) probavit, omnis auctorum dissensio tollatur. Haec vero praecipua certe, ac propria hujus fuere criminis, ut nulla dignitas quem eximeret a tormentis, (b) ac si res poscceret, etiam torqueretur accusator, (c) & servus adversus dominum, utque cujusvis etiam, si alias reprobatum fuisset, testimonium reciperetur : (d) inimico tamen excluso, ac si opus fuerit subjiciantur tormentis etiam testes. (e) Item ne hoc damnati crimine lugeantur, neve sepultura dignentur. (f) Quorum plura collegit Cujacius, (g) qui receptam illam rejecit interpretum opinionem, ut scilicet ad torquendum majestatis reum sufficeret judici fides unius testis, quia semiplena, ut vocant, probatio inde nascatur. Qualem probationis speciem negat Cujacius agnitam fuisse veteribus jurisconsultis : quia nullum sit veritatis, falsitatisque dimidium. Quam Cujacii opinionem, & Matthaeus (h) amplectitur.

(a) *de crim. ad lib. 48. ff. tit. 2. cap. 3. n. 4.*
(b) *l. nullus C. hoc tit.*
(c) *l. 3. C. eod.*
(d) *l famosi. l. in quaest. ff ad Jul. majest.*
(e) *l. Decuriones C. de quaest. l. 3 & 4. C. ad l. Jul. Majest.*
(f) *Vide expos.* Jac. Goth. *ad l. quisquis C. Theod. ad l. Cornel. de Sicariis.*
(g) *C. ad l. Jul. majest.*
(h) *de crim. lib. 48. ff. tit. 2. cap. 4 n. 6 l jurisjurandi 9. C. de test.* Cujac. *enarrat. n. 6. C. ad l. Jul majest.*

LXXXVI.

AD L. JVLIAM DE ADVLTERIIS.

Proxime legem majestatis locatur lex de adulteriis, cum e criminibus hoc sit gravissimis; tum quia vix ulla mulier ad hoc scelus adigitur, quin pluribus una flagitiis involvatur; tum quia marito alenda obtruditur aliena proles, eique ab adulteri, & perfidae uxoris insidiis periculum saepe creatur : quorum quoque metu cum pudore conjuncto maritus domum turbat, evertitque familiam. Julia vero haec dicta est lex ab Augusto, qui eam tulit, cuique Julium nomen ob

Digitized by Google

ob adoptionem ex testamento Julii Caesaris mansit. Hac ex lege publicum oritur quoque judicium, & accusatio triplex: nempe jure patris, jure mariti, jure extranei. Haud procul ab suspicione sunt erroris, qui hanc secernunt a lege de pudicitia, quam ab Augusto latam prodit Suetonius. Nam quidquid ad munimentum pudicitiae pertinet, comprehensum fuit hujus legis capitibus: quae non adulterium tantum, sed & stuprum, & incestum, & lenocinium, & puerorum corruptionem, & alia propudiosae, ac nefariae libidinis genera complectuntur. Quodque ad stuprum attinet, hoc sane nomen latissime funditur: dedecus enim significat, & turpitudinem, & non corporis modo, sed & famae, ac dignitatis notam. Quod probat Festus ex illis Naevii versibus a Scaligero restitutis:

Seseque ei perire mavolunt ibidem,
Quam cum stupro redire ad suos populares.

Quibus in versibus quis dubitet positum esse stuprum pro ignominia? item alio loco:

Sin illos deseratis fortissimos virorum,
Magnum stuprum populo fieri pergetis.

Quamobrem consultissime Danthes poëtarum alter ab Homero princeps, in divino poëmate daemonum inferorum superbiam stuprum

appellavit. Vnde non mirum, si quaelibet libido, & corporis commistio sive cum virgine, sive cum vidua, sive cum puero, sive cum aliena conjuge stupri nomine continetur. (a) Adulterium vero dicitur, auctore Festo, quasi ad alterum itio, sive accessus: vel, ut ego interpretor, quod proprio quis conjugio relicto corpus appetat alienum. Quod non omnino discrepat a Papiniani explicatione: qui adulterii nomen ortum ait a partu ex altero concepto. Verum vestigium hujus vocis *partus* in adulterii vocabulo nullum invenio: utcumque affinitatem habeat cum voce *alterius*, ex qua natum est *adulterium*, velut ad *alterius*, nempe, *uxorem*. Ex his omnes Vallae (b) criminationes dissipantur, cum enim vocabulum stupri modo latius, modo strictius accipiatur, facile sententiarum dissensio tollitur, quam ipse inter JCtos falso notavit; etsi revera id eorum culpae tribuerit, qui has definitiones descripserunt. Age nunc de adulterio primum, post vero de variis stupri generibus hac lege damnatis disputemus. Igitur ante legem Juliam, sive lege ipsius Romuli, sive moribus priscis Romanorum, crimen hoc acerrime vindicabatur. Ex injuriis enim privatorum publica res maxime vexatur: praecipue per labem alieni thori, qua ita exasperantur animi, ut flagrantes odio civitatem distrahant in seditiones, atque tumultus. Itaque nunquam satis constitutam putarunt quietem publicam, nisi pudicitia, sacraque jura thori

(a) *l. inter libros § 1. ff. ad l. Jul. de adult.*

(b) *lib. 6. eleg. cap. 45.*

Digitized by Google

ri legibus munirentur. Vt igitur metus proxime, ac perpetuo imminens, mulieres a flagitio absterreret, facultatem uxoris necandae marito permiserunt, si cum adultero deprehenderetur, quod ex Catonis oratione retulit Gellius: (a) verba Catonis haec sunt: *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necares: illa te, si adulterares, digito ne auderet contingere, neque jus esset.* Quam sane morum adsperitatem lenivit dies, & humanitas una cum literis, cultque bonarum artium in Vrbe paullatim repens, quae viri manibus extorsit vindicem gladium: ita ut si eum in uxoris necem vertisset, lege Cornelia de Sicariis plecteretur. (b) Verum Imperatores aliquanto irae parcentes exulcerati conjugis mitigavere poenam, censueruntque virum uxoris adulterae interfectorem in opus perpetuum tradendum, si esset humilior; honestiorem vero in insulam relegandum. (c) Vnde recte Cujacius locum illum Julii Paulli in lib. sent. 2. cap. 26. emendavit, ac pro *adultera* legit *adulterum*, nempe ita: *inventa in adulterio uxore maritus, ita demum adulterum occidere potest, si eum domi suae deprehendat.* Marito enim occidere adulterum usque, & ubique minime licuit; (d) sed deprehensum domi suae: nec tamen quemlibet, sed vita turpes, puta lenonem, aut publico judicio damnatum, necdum restitutum, aut eum qui artem ludicram exerceret, lucrive causa scaenam conscenderet,

(a) lib. 10. cap. 28.

(a) l. pr. §. ult. ff. ad l. Cornel. de Sicar.

(c) l. si adult. §. Imperat. ff. ad l. Jul. de Adult.

(d) l. maritoff. ad l. Jul. de adult.

Digitized by Google

aut libertum ejusdem mariti, parentumve adulterae, vel ejus liberorum; dummodo adultero maritus occiso, statim ab se dimittat uxorem, (a) ne non tam honestatis, quam vindictae causa videatur hominem interemisse, quod leges minime ferrent. Patri vero mulieris adulterae, quam habet in potestate, permittitur hac lege adulterum occidere quemlibet domi suae, vel generi in ipsa turpitudine, actuque obscaeno, ipsoque in opere, sive ut graeci legislatores Draco, & Solon loquuntur ἐπ' ἀυτοφώρῳ deprehensum; dummodo simul cum adultero eodem impetu interimat & filiam, ideo enim tam lata facultas patri adversus adulteros tribuitur, quia & filiam uno impetu simul occidere compellitur. A cujus nece cum proprii sanguinis caritate parentes abducantur; ideo a patre minus periculum vitae adulterorum impendet. Plus igitur licentiae datum est patribus, quia parcius ea essent usuri, si scirent plus esse sibi ex filiae morte lugendum, quam ex morte adulteri exultandum. Quamobrem elegantissime Papinianus: (b) *pietas*, ait, *paterni nominis, plerumque consilium pro liberis capit.* At cum viro leges fuere minus indulgentes, quia nulla cognati sanguinis caritas ferventem ejus iram temperat, & conjugalem amorem rem recentis injuriae dolor facile superat: ita ut nihili penderent viri uxoris animam, dum ne viventem relinquerent suam ignominiam. (c) Quo autem supplicio lex Julia

(a) *d. l. marito ff. eod.*

(b) *l. 22 ff. ad l. Jul. de adult. l. 20. 21. 23. 24. 32.*

(c) Cujac. *ad Papin. l. 22. ff. ad l. Jul. de adult.*

Digitized by Google

lia crimen hoc affeciſſet, interpretes ambigunt. Juſtinianus in Inſtitutionibus gladio ſcribit in hosce reos animadvertendum. (a) Quod forſan additamentum fuit aliorum principum ad L. Juliam. (b) Vnde ne variationem poenarum diſcentium faſtidio deſcriberet, voluit Tribonianus tempora conjungere, ac ſuppreſſis aliis poenis, tantum eam, quae ſua aetate vigebat, ad Juliam legem attexuit, ut ſupervacuis diſcriminibus lectores liberaret. Ceterum plura in veteribus monumentis exempla ſuperſunt poenae levioris, puta relegationis, aut deportationis. Ipſe enim legis hujus lator Auguſtus filiam, ac neptem adulterii reas relegavit in inſulas, (c) utque id paternae pietati adſcribatur, quid de Ovidio dicemus, cujus quoque vitae peperit, quamvis eam ſe amiſſurum fuiſſe ſcribat, niſi aliqua ex parte delictum excuſationem meruiſſet:

Et niſi delicti pars excuſabilis eſſet,
Parva relegati poena futura fuit.

Vnde Cujacius leniorem in crimine hoc Auguſtum arbitratur, quam poëtis perhibetur. (d) Qui vero adulterium cum inceſtu cumulaſſet, & cognationem ſuam proprio corpore polluiſſet, deportandum ſcribit Marcianus; (e) Ex quo colligitur detracto inceſtu, qui poenam auxit ad deportationem, pro adulterio relegationem ſupereſſe. Item in militem, qui ſeveriori diſcipli-

(a) *Inſtit. de pub. judic.*

(b) *l. 30. C. hoc tit.*

(c) Sueton. in *Aug cap. 65.* Paterc. *hiſt. lib. 2.* Dio *lib. 55.* Briſſon. *ad hanc l. §. qui ſimprum 2.*

(d) *in parat. ad hunc tit. ff.*

(e) *l. ſi quis 98. duam ff. de quaeſt.*

Digitized by Google

na obligatur, si comperiatur adulter, deportatio statuitur; (a) unde in paganum, qui cum lenius agitur, relegationem tantum cadere oportet, uti poenam mitiorem: ut non mirum si veteres interpretes tradiderint hujus legis poenam antiquioribus non fuisse capitalem, ut Cujacius observationum 18. lib. 20. observavit, quod comprobatur, quia capitalis delicti reus absens defendi potest: (b) nam potest etiam absens damnari: mulier vero adultera minime, cur? nisi quia delictum capitale non habetur, (c) utcumque facti atrocitas aliquando principes exasperasset, & capitalem sententiam ab iis expressisset, (d) ac recentiori aetate morum dissolutio in perpetuam legem id vertisset: ex qua in Theodosianum codicem, & in jus Justinianeum capitalis adulterii poena devenit. Extremum supplicium consequitur multa bonorum: adulterii etenim damnatae dos eripitur lucro mariti, quod ante legem Juliam inoleverat, ut de Cajo Titinio Minturnae, ac ejus uxore Fannia memorat Valerius; & Horatius *cruribus haec metuat doti deprehensa*; quod originem ducit ex veteri judicio, quod de moribus appellabatur, quoque uxor ob detectam ejus turpitudinem sexta dotis parte multabatur, (e) vel octava, si turpitudo esset levior, quae actio, quia per legis Juliae judicium silebat, ideo poenam illius in legem Juliam conjecerunt; non enim utroque, sed altero horum judiciorum licebat experiri. (f) Recentioribus vero

(a) *l. milef. II. ff. ad l. Jul. de adult.*

(b) *Cujac. obs. 20. lib. 20. & lib. 29. cap. 18.*

(c) *l. milef. §. ea quae ff. ad l. Jul. de adult.*

(d) *l. castitati 23. C. eod.*

(e) *Vlp. in frag. tit. 6. de dot. §. morum.*

(f) *l. milef. §. facer ff. ad l. Jul. de adult. ubi* Cujac. *in Papin. lib. 2. de adult. leg. & §. eodem.*

Digitized by Google

vero constitutionibus, praecipue novellis Justiniani, extenuata est adulterii poena: unde mulier verberata in monasterium detruditur, ut a viro, si velit, intra biennium repetatur; eo vero non repetente intra biennium; aut mortuo, ibi maneat privata dotis commodo, ac lucri dotalis, donationisque propter nuptias; & translatis duabus partibus, sive besse bonorum in liberos; parte vero tertia, sive triente in monasterium; vel si liberi non extent, superstint vero parentes qui crimini non consenserint, duae partes cadent in monasterium; in parentes vero tertia. Nullis autem superstitibus parentibus, ad monasterium substantia universa devolvetur, servatis viro semper dotalium instrumentorum pactis. (a) At ob adulterium viri mulier suam recipit dotem, & donationes propter nuptias, & reliquis de bonis tantum, quantum patet pars tertia donationis propter nuptias: reliquum fisco vindicatur, nisi adsint descendentes, & ad tertium gradum ascendentes, qui fiscum excludunt. (b) Nunc in eos, qui hac lege tenentur, inquiramus. Atque ab ea eximitur, quae in honestis artibus vitam transigit: honestatis enim custos est lex ista: unde prorsus negligit eas, quae turpi professione jam pudorem projecerunt. (c) Ideo nec ea, quae cauponariam exercet, aut ludricas artes, nec quae in scaena operam locat, lege ista tenetur: nisi quae, ut hanc legem effugeret, & impune pudicitiam alienis viris objiceret, matronalem stolam exuisset, quod aetate Fi-

(a) *Amb. sed hodie C. de adul. nobel. 134. cap. 10. & nobel. 117. cap. 18. l. consensu C. de repud.*

(b) *Gudelin. de jure nov. lib. 5. cap. 18.*

(c) *ad l. 29. C. ad l. Jul. de adult. ubi Cujac.*

(i)

berii frequenter usu veniebat. (a) Cui doloso teterrimoque consilio puniendo S. C. in eam sententiam ad l. Juliam est adjectum. (b) Item nec ea elabitur legem, quamvis impudicam professionem edidisset; postea tamen honesto connubio turpitudinem emendasset: ut sapientes existimarunt. (c) Has autem uxores, quae matrimonio vetus dedecus dilnerant, eas esse arbitror, quae JCtis *uxores vulgares* appellantur, (d) ait enim Vlpianus, *quae vulgaris fuerit*: scilicet ante matrimonium, quo sensu non pugnat cum legibus codicis, (e) quas credo pertinere ad eas, quae adhuc in connubio priorem impudicitiae professionem retinebant; ideoque diversae ab illis, quae honestam vitam nubentes inierant, quamvis ante fuissent vulgares: unde non mirum si hae vulgares, de quibus loquitur Vlpianus, in legem Juliam incident; minime vero illae, quae in Codice memorantur. (f) Vxores etiam Vlpianus huic legi subjiciendas censuit injustas, nempe ductas contra leges, & cum quibus leges connubium interdixerant, quae propterea non jure, sed usu habebantur uxores: (g) quales erant, nuptiae a filiisfam. contractae invito patre, vel nuptiae contractae inter civem Romanum, & peregrinam, quo refert Cujacis (h) Vlpiani verba. In quibus certe omnibus est matrimonium, quia muliere vir ea pro uxore utitur; sed non connubium, quod sine solennitatibus, & formula juris minime consistit. (i) Porro quoniam non conjugium tantum, sed spes ipsa illius digna est honesto cultu; pro-

(a) Tacit. 2. annal.

(b) l. mater 10. §. mulier ff. ad l. Jul. de adult.

(c) l. si uxor. §. 2. ff. ad l. Jul. de adult.

(d) de l. si uxor §. 2.

(e) l. 22. & 29. C. ad l. Jul. de adult.

(f) Bud. in l. si uxor ff. hoc tit. Alciat. parerg. 4. Cujac. C. ad l. Jul. de adult. in parat.

(g) l. si uxor ff. ad l. Jul. de adult. Cujac. obs. 6. cap. 16.

(h) lib. 3. obs. 5.

(i) Raevard. variar. lib. 4. cap. 16. pag. 614.

Digitized by Google

propterea cum sponsa quoque adulterium committitur; quod Severum, & Antoninum rescripsisse tradit Vlpianus, (a) etsi hodie propter Constantini constitutionem, quae mariti tantum, ac genialis thori meminit, (b) neget Cujacius accusari posse sponsam sive jure mariti, sive extranei. (c) In concubina vero non haeret adulterii crimen: (d) quia utcumque concubina uxorem imitetur; tamen cum voluptatis nomen sit potius, quam honestatis, minime digna est, quae a legibus honestatis vindicibus respiciatur; nisi se in concubinatum permittendo matronae nomen retinuerit: qualis concubina patroni, quae jure non viri, sed extranei potest accusari. (e) Eadem ratione cum ancillis nullum [siquidem de jure civili loquamur] intelligitur adulterium, quia eo jure connubii sunt expertes: unde si vitientur, damnum vel actione de servo corrupto, vel Aquilia lege, aut injuriarum vindicatur. (f) Nec tantum auctores hujus flagitii, sed fautores quoque sive re, sive consilio, sive opera, eodem crimine implicantur. (g) Quamobrem & maritus, qui sciens prudens de uxoris adulterio lucrum ceperit, quique deprehensam retinuerit, lenocinii poenas pendet, & poena adulteri hac lege damnabitur; nisi uxoris libidinem, non tam consilio, quam taedio judiciorum, ac negligentia proprii pudoris inultam reliquerit, (h) non tamen effugiet poenam si damnatam adulterii, vel propter crimen hoc expulsam domum reducat. (i) Supereſt nunc de adulterii accusatione disputandum. Cum igitur hoc publicum es-

(a) *l. si uxor 13. §. Dibi & ff. ad l. Jul. de adult.*
(b) *l. 30. C. ad l. Jul. de adult.*
(c) *observat. 6. cap. 16.*
(d) *l. 1. §. 1. ff. de concubinis.*
(e) *l. si un. ff. ad l. Jul. ad adult.*
(f) *l. 6. in princ. ff. ad Jul. de adult. l. 23. & 24. C. eod. l. si stuprum 25. ff. de injuriis.*
(g) *l. qui domum ff. ad l. Jul. de adult.*
(h) *l. 1. §. 2. & 3. ff. ad l. Jul. de adult. l. mariti §. 4. ff. eod.*
(i) Cujac. in enarrat. C. ad l. Jul. de adult. l. 11. §. ult. ff. eod.

esset judicium, accusandi facultas omnibus dabatur. Maritus enim & pater injuriam propriam; extranei vero publicam civitatis labem ulciscebantur; tantum vero mulieres ab accusatione repellebantur, etiamsi propriam injuriam adversus conjugem expostularent. Quod SS. Patrum pluribus videbatur absurdum. (a) Atqui plus mali oritur viro ex adulterio uxoris, quam uxori ex adulterio viri; quia illud proprium thorum commaculat, & obtrudit marito prolem extraneam; hoc vero thorum polluit alienum: ideo non mirum si plus viro in uxorem, quam uxori in virum permittatur. Itaque non lege Julia, sed actione injuriarum licebit uxori divortium petere ob laesam fidem thori conjugalis: vel marito sibi adulterium objicienti referre lenocinium, non quo lege Julia ita liberetur, sed quo suus dolor justa ultione, meritaque poena mariti quoquo modo leniatur. (b) Igitur vir accusationem instituens, prius cogitur uxorem dimittere, quam eam, aut adulterum accuset. (c) Sed si post divortium alii nupserit, prius reum peragere debet adulterum, quam se vertat ad mulierem: nisi ei mulieri ante nuptias crimen intenderit; aut ne nuberet quoquo modo denunciaverit. (d) Neque enim licet adulteram simul, & adulterum accusare, (e) poterit vero simul cum reo accusari is, a quo vel opera, vel consilio fuerit adjutus, sive ut admitteretur, sive ut crimen pecunia redimeret. (f) Praeterea si quis non fraude sua, sed reipubl. causa sine dolo absit, inter reos minime referri potest ex capite VII. legis Juliae. (g) Ea-

(a) Athanas. q. 94. ad Antioch. Lactant. divin. Inst. cap. 6. Nazianzen. Ambros. & alii apud Cujac. C. hoc tit.

(b) l. si uxor §. judex. ff. ad l. Jul. de adult. l. 2. §. 4. ff. eod.

(c) l. crimen C. ad l. Jul. de adult. §. Volenti.

(d) l. qui uxori 16. & seq. ff. ad l. Jul. de adult. l. 3. ff. eod.

(e) l. 15. §. ult. ff. ad l. Jul. de adult. l. reg. C. eod.

(f) l. nihil interest 32. ff. ad l. Jul. de adult. §. 1.

(g) l. 15. §. legis. ff. eodem.

Digitized by Google

Eadem lex propter aetatis lubricum, & levitatem consilii, minoribus XXV. annis interdixit accusandi facultatem, nisi thori sui ulciscantur injuriam. (a) Multum vero interest adultera ne, an adulter sit accusandus: etenim constante matrimonio non licet ab extraneo adulteram accusari, nisi maritus, qui eam dimittere neglexit, lenocinii prius accusetur: (b) cum adulterum fas sit etiam nondum facto divortio postulare. (c) Tempore porro ab aliis criminibus accusatio ista distinguitur. Plurimorum enim criminum accusatio spatio XX. annorum; (d) haec vero quinquennio a die admissi criminis praescribitur in adultero accusando; in adultera vero accusanda sex mensibus utilibus a die divortii ita computandis, ne quinquennium continuum a die admissi criminis numerandum exuperent, hoc est ne sex illi menses utiles ultra spatium quinquenne continuum excurrant: ne, ut ait Jurisconsultus, crimen quinquennio continuo sopitum excitetur. (e) Ex illis autem sex mensibus utilibus primi duo dantur marito, vel patri ad accusandum jure patris, aut mariti; reliqui autem quatuor menses supersunt ad accusandum non jure patris, aut mariti, sed extranei. (f) Id enim praestat accusatio jure patris, aut mariti, ut praeferantur aliis accusare volentibus: ita tamen, ut patri maritus anteponatur, utpote majori dolore accusationem executurus. (g) Hoc etiam ei permittitur, ut adulterum, quem occidere vetetur viginti continuas diei, vel noctis horas domi coërcere liceat, dum deprehensi criminis testes

(a) *l. l. 15. §. lex Julia ff. ad l. Jul. de adult.*

(b) *l. constante ff. ad l. Jul. de adult.*

(c) *l. 6 §. 1. ff. eod.*

(d) Cujac. *in Papin. lib. 15. respons. §. praescriptione.*

(e) *l. mariti. §. ex mensium & seq. ff. hoc t. l. 7. §. accusationem ff. ad Turpil.* Cujac. *obser. 15. lib. 20.*

(f) *l. 2. §. penult. l. 3. l. 4. §. 1. l. 11. §. 60. l. 14. §. penult. l. 30. §. 1. ff. ad l. Jul. de adult.*

(g) *l. 2. §. 8. ff. eod.*

Digitized by Google

advocet, quorum fide acceptam injuriam in judicio comprobet: quam facultatem, & ad patrem etiam adulterae sapientes extenderunt. (a) Prodiit ad hanc legem S. C. a Scaevola relatum, quo adulterii poena plectitur (b) simul cum uxore in scelera deprehensa, maritus is, qui clam, & callide adulterum uxori subjecerit, ut eam in fraudem, & crimen impelleret. Nam quilibet suasor, atque auctor, & machinator hujus flagitii hac lege comprehenditur per ea verba: *Ne quis posthac stuprum; adulterium facito sciens dolo malo*, ubi Jurisconsultus subjicit, *& ad eum, qui suasit, & ad eum, qui stuprum, & adulterium intulit pertinent.* (c) Excidit autem omnino maritus inposterum ab accusandi jure, si delatum adulterum non peregisset. Quod caput Hottomannus tribuit legi Petroniae. Verum ne concordes nuptiae in perpetuo discrimine versarentur, neve conjuges paterent livoribus extraneorum, qui ad accusandum, non studio alienae pudicitiae, sed vulnere saepius acceptae a muliere repulsae adducuntur; eripuit Constantinus extraneis alieni thori accusandi facultatem, eamque restrinxit ad eos, quos verus dolor urget commaculatae familiae, nempe praeter maritum, & patrem, ad necessarios, & propinquos, uti fratrem, patruum & avunculum: quibus etiam per Constantinum licet ab accusatione recedendo, delatum crimen abolere: (d) nam neque lege Julia extraneis accusandi facultas sine modo ullo dabatur; sed arctiorem habebant: non enim eis licebat accusare mulierem alie-

(a) *l. capite 25. ff. ad l. jul. de adult. in princ. & §. 1.*

(b) *l. is cujus. 14. §. 1. ff. eod.*

(c) *l. haec verba 12. ff. ad l. Jul. de adult.*

(d) *l. quamvis 30. C. eod.*

Digitized by Google

alienam, nisi prius virum etiam lenocinii compertum postularent. (a) Scilicet visum fuit verecundius agendum cum conjuge de uxore sua bene cogitante, nec per extraneum uxoris fidem ei suspectam reddendam, neque alieno livore conjugalem pudorem publicae infamiae subjiciendum. Quoniam vero ea ratione Constantinus ab accusando adulterio arcet extraneos, quia indignum videtur concordes nuptias extraneorum audacia perturbare; colligit Cujacius facto divortio vetera extraneorum jura resurgere, quia nullae jam consistunt nuptiae, quas vexare sit nefas; ac solum permanet crimen, quod utile sit reipublicae vindicari. (b) Mitius etiam ea constitutione cum marito agitur dum accusat jure mariti; tum enim non cogitur inscribere in crimen: ideoque si accusationem non probet, calumniae judicium non subibit: unde vel ex sola suspicione ad accusandum ei descendere licebit; secus vero si jure accuset extranei; quam legis benignitatem ortam ex miseratione maritalis doloris, minime ad patrem extenderim, cui minor injuria offensionem parit minorem: ideo cogetur inscribere in crimen, ut si falsum detulisse arguatur, calumniae damnetur. (c) Et quoniam crimina haec parietibus concluduntur, tenebrisque teguntur, ut probari nequeant, nisi per servos, & familiares efferantur, utpote sceleris conscios, & non raro adjutores; ideo lex quaestioni, tormentisque subjecit servos, & ancillas tum uxoris, tum patris ejus, tum etiam viri simul viventium. Et ne datis liberta-

(a) *l. constante 16. ff. ad l. Jul. de adult.*

(b) *Vide C. Theodos. & ibi Gothofred. hoc tit. & hac leg.*

(c) *l. 30. ff. eod.*

tibus judicio subducantur, vetuit lex mulierem, vel ipsius heredes per sexaginta dies a matrimonio dissoluto eos manumittere: (a) si vero cognitio criminis diutius trahatur, manumissiones etiam protrahendas censuit Ulpianus, ne criminis probationes judici eripiantur. (b) Adimitur autem testimonii dictio tum foeminis, tum maribus crimine adulterii damnatis. (c) Ac Senatusconsulto fuit constitutum, ut Praetor quoque in hoc judicio, si fuerit conscius testimonium edere debeat. (d) Figuram quoque divortii faciendi haec eadem lex descripsit. Etenim ut adspectu testium pudor conjugibus offunderetur, minusque frequenter matrimonia distraherentur, jussit uti deinceps divortia coram VII. testibus civibus Romanis puberibus fierent, libertis exclusis. (e) Hanc ad legem Jurisconsulti revocant caput illud legis Juliae, quae *de fundo dotali* appellatur, qua Italici fundi alienatio in dotem dati prohibetur, de quo scripsimus etiam supra ad l. Juliam, & Papiam, ad quam a Jacobo Gothofredo refertur, nisi idem in utrisque legibus comprehensum fuerit. Quod ad provinciales etiam fundos postea fuit a Justiniano porrectum: (f) nam & discrimen rerum mancipi, & non mancipi, quo Italicae res a provincialibus distinguebantur, idem Imperator etiam sustulit: ideoque recte ad provinciales fundos, qui jam nihil ab Italicis differunt legis Juliae caput extenditur; addiditque insuper Justinianus, ut ne consentiente quidem uxore posset eum fundum vir alienare: cum lex Julia obligationem quidem fun-

(a) *l. 3. C. eod. ubi Cujac.*
(b) *vide* Cujac. *ad l. 3. C. eod. & l. professit ff. qui, & a quib.*
(c) *l. qui testamento, §. mulier. ff. de testam. l. ex eo ff. de testib. l. 14. scio. ff. eod.*
(d) *l. 21. ff. de test. §. 1.* Bris. *ad hanc leg. cap. de adul. damnat.*
(e) *l. unica in fine ff. unde vir, & ux. l. nullum ff. de divort.* Bris. *ad h. l. c. de divort. 7.*
(e) *toto tit. ff. de fundo dot.* Bris. *c. dotale praedium ult. d. lib. ad l. Jul. de adult.*

Digitized by Google

fundi dotalis etiam uxore consentiente vetuisset, non vero eodem consentiente alienationem, cui difficulter mulieres ob sexus avaritiam consentire putantur: unde qua in re cavit eis propria natura, non opus fuerat cautione civili. (a)

(a) l. alt. §. & cum lex. C. de rei uxor. act. Inst. quib. alien. licet in princ. ubi Vinn.

LXXXVII. DE STVPRO.

Punito jam adulterio ad stupri coërcitionem transeamus; ac primo meminerimus, quod initio proposuimus, omnium libidinum genera in hoc vocabulum convenire: stuprumque generaliter pertinere ad virginem, viduam honestam, & pueros liberos: a quibus multo ante legem Juliam homines tum Athenis, cum Romae severis legibus absterrebantur. Quae omnia complectitur Comicus in Curculione his versibus:

Dumne per fundum septum facias semitam,
Dum te abstineas nupta, vidua, virgine,
Juventute, & pueris liberis, ama quod lubet.

Crimina igitur haec universa comprehenduntur lege Julia de adulteriis, & stupro. Verum propter distinctionem criminis, nomen stupri strictius, & hac propria in significatione accipitur, & peculiare est devirginatae puellae. Quacumque autem ratione vir foeminam tentaverit seu vi, seu dolo, seu blanditiis, seu muneribus in poenam labitur, foemina vero tantum si sponte, vel provocaverit virum, vel cesserit: nam vi compressa nec poenam incurrit, nec amittit pudorem. (b) Nec severitatem legis effugiunt, qui consilium, opem, aut domum ad hujusmodi flagitium praebuerunt. (c) Etenim stupratorum, aut sponte stupratarum ho-

(b) l. cum qui §. & l. foedissimum 20. C. ad l. Jul. de adult.

(c) Matth. de crimin. in l. Jul. de adult. cap. 5. n. 7.

Digitized by Google

honestiores quidem media parte bonorum publicata multantur; humiliores vero relegati corpore coërcentur, sive, ut Hottomannus (a) interpretatur, & Vinnius, verberibus caeduntur: humiliores enim servos intelligimus, & infames. (b) Lex Attica stupratorem, vel ad ducendam puellam, vel ad dotandam cogebat; lex Mosaica simul ad dotandam, & ducendam. (c) Exacerbatur vero crimen, vindicesque poenae saeviunt asperius in suasores, adjutoresque flagitii: exemplo legum Atticarum, quibus in hoc genere criminum fraus gravius, quam violentia puniebatur: vis enim a libidine, quae ratione caret erumpit; fraus vero nectitur a malitia, quae vitium est corruptae rationis: eoque pernicioſius, quod cautius nocet, atque arte majori. Quamobrem capite plectuntur quicumque honestas mulieres, aut virgines donis, illecebris, aut dolis ab honestate ad turpitudinem abducunt. (d) Ac perfecto flagitio capite multantur; imperfecto vero deportantur in insulas: corruptique comites summo supplicio afficiuntur.

(a) *ad tit. Inst. de pub. judic. §. item lex Julia.*

(b) *l. 7. §. de incest. nupt.*

(c) *Deut. 22, 29. Exod. 22, 16.*

(d) *l. 1. §. ult. ff. de extraord. crimin.*

LXXXVIII. DE INCESTV, & LEGE PEDVCEA.

Quia, uti diximus, lex Julia libidinum omnia genera coërcuit, cum iis & incestum comprehendit: ac post Augustum alii principes singula hujusmodi crimina eamdem ad legem attexuerunt; ut quidquid novi de his emergeret, ad legem Juliam referretur. Quamobrem Jurisconsulti cum hujus legis expositione suas de incestu disputationes conjunxerunt. (e) Hujus autem interdictio criminis oritur a communibus hominum

(e) *l. si adulterium 38. ff. ad l. Jul. de adult.*

Digitized by Google

num moribus, sive, ut optime Cujacius exponit (a) a jure naturali, quod in mores hominum manavit universorum: efferatos enim, quorum ratio, in qua hominis natura versatur, elanguescit, vix hominum loco ducimus: qui si consopitam vitiis rationem exsuscitarent, cum ceteris mortalibus in eamdem honestatis legem procul dubio convenirent. Quamobrem servi, qui cum cives non sint, juris civilis minime participant; tamen prohibentur contrahere nuptias inter patrem & filiam, quia id vetatur jure naturali, quo tenentur omnes. (b) Ideo Paullus ait: *in contrahendis matrimoniis naturale jus, & pudorem esse inspiciendum: contra pudorem autem esse, filiam uxorem ducere.* Pugnat enim conjugalis amoris familiaritas, cum veneratione, cultuque paterno, ita ut oporteat ab altero tolli: nullaque utrinque possit existere, nisi absurda prorsus, & monstrosa conjunctio. Quamobrem jure damnatae sunt hae conjunctiones: quamvis Persis essent usitatae: quia si non moribus Persarum; at universae naturae hominum adversantur. (c) Praeterea quid iniquius, quam conjugales amores, qui nuptiis extraneorum serpere possunt latius, & profundere ulterius benevolentiam, atque mutuam caritatem, contrahere intra suam cujusque domum, ut duplex amor conjugalis, paternusque simul in iisdem personis perpetuo vertatur? (d) ut optime Philo, & post eum Chrysostomus ratiocinatur. Hinc natura ipsa nobis harum nuptiarum horrorem ingeneravit. Quamobrem hisce conjunctionibus notandis leve juris-

(a) *in l. si adoptivus 14. ff. ritu nupt. sive ad lib. 35. Paull. ad edict.*

(b) *l. adoptivus 14. ff. de ritu nupt. §. servilis.*

(c) Xenophon. *memomb. 4.*

(d) Philo. *de leg. specialib.* Chrysost. *ad 1. Cor. 13, 15.*

Digitized by Google

consultis visum fuit nomen incestus : ideoque atrocius excogitavere vocabulum, easque nefarias appellarunt : ut hoc vocabulorum discrimine prohibitio naturalis distingueretur a prohibitione civili, ad quam incestum retulere. (a) Quae fane distinctio naturalis, & civilis prohibitionis erat necessario notanda, propter diversitatem juris inde progredientem. Jus etenim naturale, sive gentium, ignorare minime licet, unde nunquam incestum remittitur per causam hujus ignorantiae; nam ut Menander scripsit ἂν ὅτι τὰς τῆς Φύσεως λαθεῖν νόμους, *nunquam latuerint naturales leges.* (b) Ignorantia vero juris civilis excusat, mulieres praesertim, cum quibus lenius agitur, si contra jus civile incestum concubitum admisissent. Committitur autem jure naturali, ac moribus gentium incestus inter ascendentes, & descendentes in infinitum, & inter eos, qui horum locum, vel affinitate, vel adoptione subeunt, nempe inter vitricum, & privignam, quam Ovidius pene filiam appellat, interque novercam, & privignum; vel adoptivum patrem, & adoptivam : unde Phocylidis carmina: (c)

Μητρυιῆς μὴ ψαύεις δεύτερα λέκτρα γυναικός·
Μητέρα δ' ὡς τίμα τὴν μητέρος ἴχνια βᾶσαν.

Eodemque jure incesta etiam habetur conjunctio inter socerum & nurum, socrum & generum : imitantur enim parentes, & liberos; quorum etiam simulacrum naturali honestate munitur. So-

(a) Cujac. *parat. C. de incest. nupt.*

(b) Cujac. *ad Papin. quaest. lib. 36. l. si adulterium ff. ad l. Jul. de adult. & obs. 21. c. 18.*

(c) *l. adoptivus 14. ff de ritu nupt. ubi* Cuj. *ad lib. 5.* Paul. *ad edict. Instit. nupt. §. affinitatis & §. socerum. l. arist. ff. de ritu nupt.*

ro-

Digitized by Google

rorum quoque, fratrumque conjunctio prohibita quidem Christianis est jure divino: verum an secluſa religione jure naturali, vel tantum civili prohibeatur, haud parum inter Jurisconſultos ambigitur: propter mores aliquot gentium, quibus hujuscemodi nuptiae permittebantur. Qua in re Cujacius minime ipſe ſibi conſtat. Cum enim in Papinianum ſcribens (*a*) reprehendiſſet Nepotem, quod operis initio falſo tradiderit Athenis licuiſſe ducere ſororem germanam, & in commentariis ad novel. 12. prohibitionem talis conjugii arceſſat ab jure gentium; tamen in paratitlis, & enarrationib. ad tit. C. *de inceſtis nuptiis* mutata ſententia quod legibus gentium adſcripſerat, attribuit legibus civilibus; ac ne ſecum pugnare videatur, adjicit jure civili noſtro haec prohiberi auctoritate juris gentium, nempe quia paucae admodum nationes inde aberrent, ideoque jus hoc, quod ex majore gentium numero coaluit, haud immerito ad jus gentium revocari: utcumque moribus Perſarum, & AEgyptiorum ſororis lectus fratri patuerit: & moribus Athenienſium frater cum ſorore conſanguinea jungebatur. (*b*) Hoc amplius addit Nepos, Cimonem Athenienſem cum ſorore germana ſe junxiſſe. Quod etſi παραγνόμως, hoc eſt *non jure* factum arguat Athenaeus; (*c*) tamen id non reprehendit quaſi germanam ſibi habere uxorem nefas fuerit; ſed quod ea ſine nuptiis abuteretur. An germanam Nepos accepit pro conſanguinea? minime; nam Ciceronis aetate proprietatis verborum tenaciſſima, Cor-

a) *lib. 36. quaeſt. ad l. ſi adulterium 38. ff. ad l. Jul. de adult.*

(b) Demoſth. *adverſus Eubulidem.* Cornel. Nepos. *in proëm.*

(c) *lib. 13. c. 2.* Petit. *ad leges Attic. lib. 6. t. 1. ubi emendat Athenaei locum pag. 440.*

Digitized by Google

nelius Nepos puri sermonis, & Marci Tullii studiosissimus, nunquam aliter, quam ille fuisset locutus. Cicero enim *pro domo* de Clodio, qui cum sorore coiverat eodem patre, matreque nata haec ait: *Clodius cum sorore germana nefarium stuprum fecit*, & pro Fontejo: *Cum praesertim soror germana fratrem amplexa teneat.* Quamobrem Livii tempore variasse arbitror hujus vocis usum: ideoque apud ipsum Perseus, & Demetrius diversa matre fratres, patre vero eodem, germanitatis nomine conjunguntur. (a) *Subituram*, inquit, *vobis germanitatis memoriam.* Quin neque Assirii sororum nuptiis abstinebant: Lucianus enim Jovem ait cum Junone foedus conjugale percussisse Persarum, & Assyriorum legibus. (b) Quae populorum auctoritas haud paucis Jurisconsultorum persuasit, harum nuptiarum prohibitionem e civilibus potius institutis, quam e communi gentium jure processisse: contra Platonis auctoritatem. (c) Meminit & Cicero legis Peduceae de incestu, quam notavit Hothomannus. In ceteras cognatorum conjunctiones incestus maculam non jus gentium, sed civile perfudit. Quam vero poenam huic delicto veteres constituerint, vix liquido discerni potest: nisi sufficiat controversiae definiendae Ciceronis locus de legibus: ubi apud eum hoc est capitale delictum: quod simul cum plerisque aliis a publicis legibus forsan ille transtulit in suas. Cujacius (d) ex libris juris colligit jure antiquo dotem fuisse caducam fisco, & fructus dotis, & donationem propter nu-

(a) *lib. 40. c. 8.*

(b) Lucian. *de sacrific.*

(c) *l. 8. de legibus lib. 3. de nat. Deor.*

(d) *ad novel. 12.*

Digitized by Google

nuptias. Ac Justinianus jussit insuper hujusmodi reos humiliores quidem flagris caesos; honestiores flagris exemtos in insulam deportandos: (a) ita enim Cujacius in ea novella exilium accipit, quae poena & ante vigebat. (b) Bona vero servantur liberis ex justo matrimonio susceptis: iisque deficientibus publicantur. (c)

(a) *Novel. 12. ubi Cujac.*
(b) *l. si quis vidua m ff. de quaest.*
(c) *Auth. incestus C. de incest. & injust. nupt.*

LXXXIX. DE AVERSA VENERE.

Atque hactenus lex Julia flagitiosam libidinem a mulierum corpore propulsavit: supereſt modo caput illud, quo foeda venus ab adolescentium pudore depellitur. Quae aliis criminibus eo pernicioſior est cum publice tum privatim; quod naturalem simul, ac civilem evertit ordinem. Etenim venerea cupiditas, quam ad propagationem natura procudit, si masculos appetierit, in humani generis vertet interitum: ut merito a Platone reliquisque sapientibus contra naturam existimetur: perimit enim generationem, quod naturae maximum est opus unicumque consilium. Civilium praeterea rerum compositionem dissolvit: quia mares virilibus artibus, ac generosis exercitiis instituendos assuefacit vivere molliter, ac muliebriter, & impudice: ut cum postea corporis emtores non inveniant, cogantur reliqua parte vitae, fraudibus, & lenociniis, aliove turpi quaestu sibi parare necessaria: ne quid dicam de insolentia, & intemperantia, & superbia, quam in adolescentibus ingenerat amatorum numerus: qui blanditiis, & foediis obsequiis non corpora modo, sed & animos puerorum ab ingenio virili transferunt in muliebre, ut grandiores facti, cum

Digitized by Google

ab illis deſerantur, non tamen relinquantur a vitiis, quae ab amatorum aſſentatione diu contraxerunt. Poſtremo quid indignius, quam amorem virorum mutuum, quem ad animos adglutinandos a natura retulimus, traducere in foedam conjunctionem corporum: ex qua ſanctiſſima virtutum amicitia in uſum teterrimae libidinis commutetur. Quamobrem apud Graecos, quorum legibus, & moribus puerorum amores adeo extollebantur, ut pudori duceretur adoleſcentibus nullos habere amatores, (a) tamen ſi amor non intra pulchritudinis cultum, ſtudiumque maneret, ſed in concubitum tranſiret; corruptores puerorum meritis poenis afficiebantur: immo ſi adoleſcens diſſolute, atque impure viveret, culpa in amatorem conferebatur, ut poenas alieni vitii pendere cogeretur; virtutis enim non libidinis nexum voluerunt eſſe pulchritudinem. Quae inſtituta Plato in ſuam tranſtulit rempubl. indeque in Stoicam diſciplinam conceſſere. Vnde non apud philoſophos modo turpes habebantur, ſed apud Lacedaemones tota vita infames reputabantur, qui ab amore pulchritudinis ad obſcaena deſideria dilaberentur; utpote amatores corporis, non animae, quae, & corpori pulchritudinem afflat.

(a) Cic. 4. de repub. Aſcinous Platonicus cap. 26. Plutarch. in apoph. Lacon.

XC. DE LEGE SCATINIA.

Romae autem haud paucis ante legem Juliam annis lata fuerat Scatinia lex, qua ingenuorum adoleſcentium corruptores, ipſique ſponte corrupti adoleſcentes decem millibus nummum damnabantur. Cujus legis auctorem faciunt

C.

Digitized by Google

C. Scatinium Aricinum trib. pleb. quem accusavit M. Marcellus aedilis curulis, cujus filii pudicitiam Scatinius notaverat in judicio, ut Valerius tradit. (a) Ac Scatinio quidem tribunorum aliorum opem imploranti adesse illi noluerunt. Quam levem sane in tanto crimine poenam Julia lex auxit ad summum usque supplicium, ut Justinianus, (b) & Paullus testantur. Quod Gothofredus junior, aliique accipiunt de libidine cum violentia commista: nam eum, qui puerum perduxisset non invitum; dimidio bonorum fuisse multandum Paullus tradit apud auctorem collationis legum Mosaicarum. (c) Siquidem hujus poena criminis sine exceptione usque ad capitale supplicium exacerbata recentioribus temporibus fuit: cum tota Vrbs hac libidine ita flagraret, ut exemplo scelestissimorum principum Neronis nempe, aliorumque huic monstro nondissimilium, adolescentes mulierum officia usurparent, quasique sexum omnino mutassent pigmenta faciei, vestimentaque muliebria sibi adhiberent, seque viris in concubitum nuptialibus quoque solennibus turpissime traderent. Quam sceleris foeditatem Alexander Severus, & Philippus, aliique honestiores Imperatores acerrimis coërcuere suppliciis. Vehementius vero exarsere Constantius, & Constans, qui flammas hujus criminis vindices exsuscitaverunt; quod significatur per illa verba celeberrimae legis. *Cum vir*; (d) *exquisitis poenis*; nempe ignis poena, quod summum erat supplicii culmen.

(a) Valer. *lib. 6. cap. 1. n. 7.* Cic. *Philip. 3. & ep. Caelii 12. in lib. 8. famil. M. Tul. Cic.* Juven. *sat. 6.*

(b) *Instit. de pub. judic. §. 4. l. 1. ff. de extraord. crim.*

(c) *tit. 5. de stupratt.* Jac. Got. *in C. Theodos. ad l. cum vir.*

(d) *C. ad l. Jul. ad adult.*

Id-

(a) l. 6. C. Theodos. ad l. Jul. de adult.

Idque clarius expressit Valentinianus, (*a*) qui scelus hoc *vindicibus flammis* censuit expiandum; ideo gladii voce mortem significari docet Gothofredus. (*b*)

(b) ad l. cum vir C. eod.

Porro lex illa *cum vir* omnem puerorum corruptelam comprehendit, sive cum nuptiis, sive sine nuptiis: nec enim Raevardo assentior, qui eam ad nuptias masculorum contrahit; *nubendi* enim verbum, quo Imperator utitur, ad omnem concubitum extenditur, sive legitimum, sive meretricium sive quoquo modo impudicum. Haec enim Plautinus senex (*c*) ancillae concubitum appetens clam uxore:

(c) Casin. act. 2. sc. 3. vers. 47.

Tantisper dum faciam cum Casina nuptias.

(d) act. 1. scen. 1. vers. 45. vide Petrum Victor. Var. lect. lib. 21. cap. 3.

& Laena in Cistellaria (*d*) meretricem ait quotidie nubere.

Haec quidem ecastor quotidie nubit, nupsitque hodie;
Nubet mox noctu: nunquam ego hanc viduam cubare sivi.
Nam si haec non nubat, lugubri fame familia pereat.

(e) lib. 1. epigram. 25.

Et ad rem, de qua agimus, Martialis (*e*) de pathico dixit.

Qui loquitur Curios, assertoresque Camillos
Nolito fronti credere, nupsit heri.

Nupsit) hoc est muliebria passus est. Pergit lex *in foeminam*: quam particulam Gothofredus explicat *more*, sive *instar foeminae*: quemadmodum & Virgilius dixit *in arcus Itireos*: quod Ser-

Digitized by Google

Servius explicat in similitudinem *arcuum Itiareorum*. Item Propertius. (a)

(a) l. 4. eleg. 8.

Tandem acies geminos Naereus lunarat in arcus.

hoc est in similitudinem arcuum. Quamobrem hoc ita legerim, & explicarim constitutionis initium: *Cum vir nubit in foeminam viris porrecturam quod cupiatur*, hoc est: cum vir foemineo ritu suum corpus viro appetenti subjicit. Itaque Raevardi commentum excluditur, eam legem ad sola masculorum inter se matrimonia referentis. Atque hac in lege obscuritatem data opera quaesitam fuisse crediderim, ut auribus populi honos haberetur: scelerisque turpitudo nefarii, perplexitate verborum involveretur. Tandem contra hoc flagitium vehementer & Justinianus exarsit. (b)

(b) Novell. 77. & 141. Gudelin. *de jur. novis. l. 5. cap. 18.*

XCI.

AD LEG. PLAVTIAM, ET LEG. IVLIAM DE VI PVB. ET VI PRIVAT.

Repressa libidine reprimamus & violentiam per leges de vi latas, nempe illas, quae perpetuam habent potestatem: nam ea, quae pro re nata in temporariis reipubl. necessitatibus ad certas seditiones coërcendas, motumque aliquem civilem reprimendum suis temporibus prodierunt; quia tantum ad eruditionem & ad publicum Rom. reipubl. statum, non vero ad jus civile pertinent; pro nostro instituto relinquemus: quales fuere lex Pompeja, Clodia, Pedia, modoque in lege Plautia, & Julia consistemus, quarum cognitio eruditionem simul veterum temporum, & recepti juris complectitur utilitatem. Igitur aetate antiquiori ea potissimum vis dicebatur, quae a Magi-

Digitized by Google

ſtratu contra jus, poteſtatemque publicam adhiberetur : veluti ſi quis a Conſule prohiberetur provocare ad populum. (a) Quamobrem vis publica hinc a privata diſcernebatur, quod illa per perſonam publicam, ſive per magiſtratum poteſtatis ſuae metu ; haec a privatis, domeſticis opibus, ac viribus inferretur. (b) Poſtea vero deſtiterunt reputare vim a perſona, eamque aeſtimarunt ab armis : ita ut hodie vim armis munitam appellemus vim publicam ; armis vero exutam nuncupemus privatam, (c) forſan quia tantum publicis perſonis, publicaeque ſolum utilitatis cauſa uſus armorum permittebatur ; per leges enim XII. tabul. nemini privato concedebatur eſſe cum telo ; etſi non deſint exempla vis absque armis illatae, quae referuntur ad vim publicam ; credo propter criminis atrocitatem, aut periculum ; unde lege de vi publica tenetur, qui virginem rapuerit, aut ex incendio aliquid abſtulerit, aut coactis hominibus etiam ſine armis aliquem preſſerit : quibus actibus libertas, atque tutela publica minuitur, ut notat Cujacius : (d) ita ut ſine armis potentia tamen exerceatur armatorum. Idem Cujacius definit vim publicam eſſe, quae juri publico adverſatur ; privatam vero, quae privatis perſonis. Sed cum quilibet privatus in publici juris cuſtodia maneat, aut falſam putabimus hanc ab eo traditam differentiam ; aut ita haec accipiemus, quaſi publica ſit vis, quae jus publicum directo petit, pri-

va-

(a) Paul. *ſent. lib. 5.*

(b) Cujac. *ad tit. C. ad l. Jul. de vi publ.*

(c) *Inſtit. de pub. jud. §. 8.*

(d) *ad tit. C. ad l. Jul. de vi pub. & privata.*

Digitized by Google

vatum oblique, ac per consequentiam : & contra eam vim existimabimus privatam, quae directo privatum, oblique vero jura publica labefactat : Nunc explicata vi pergamus ad leges. Ac primo ad legem Plautiam, sive Plotiam [ab *au* enim ad *o* facile delabimur.] Lata haec est eo anno, quo Sylla migravit e vita, nempe ab V. C. DCLXXV. Lepido, & Catulo Coss. (*a*) Quorum Consulum discordia de Syllanis actis in apertam seditionem erupit, cum Lepidus Marianis studeret partibus. Quo Vrbe pulso, & in Sardinia interemto, ferox victoria Catulus traxit in suam causam Publicum Plautium trib. pleb. hujus latorem legis, quam post reditum e Cilicia suasit Caesar, eaque flagrantes seditiones in Vrbe restrinxit. Latum est enim ut in ejus caput quaereretur, qui Senatui struxisset insidias, aut Magistratibus vim intulisset, aut tumultus in Vrbe commovisset, aut numero armatorum, ut alienam possessionem occuparet, possessorem de fundo dejecisset. Atque fundi ejus, unde possessor fuisset ejectus, nulla usucapio proderat. In eamque legem haud pauca majestatis capita conjecta fuerunt : adjuncta poena interdictionis aquae, & ignis, cujus in locum deportatio successit : (*b*) humiliores vero capite plectuntur. Quamvis autem & Julium Caesarem legem de vi aliquam tulisse appareat ex Cicerone philip. 1. tamen cum Augustus post eum id fuerit aggressus, crediderim ab hoc, utpote recentiori, non solum priora capita fuisse retractata ; sed addita etiam alia

(a) *Vide* Sigon. *lib. 2. de judic. cap. 33. &* Paul. Manut. *de legib.*

(b) *l. 10. §. ult. ff. ad l. Jul. de vi pub. Inst. de pub. jud. §. item. lex Juliae de vi.* Paul. *§. sent. 36.*

longe uberiora, quorum non pauca nobis Jurisconsulti transmiserunt. Igitur hac lege prohibetur omne genus armorum in Vrbe, agro, aut villa, exceptis iis, quae cum aliena hereditate capiuntur, vel ad venationis, itineris, navigationis usum comparantur; vel pomercii, sive mercimonii, ac venditionis causa conservantur. (a) Novellis tamen Justiniani (b) omnis usus, ac retentio armorum est interdicta; exceptis illis, quae apta non sunt ad praelium, nempe parvis machaeris, aut cultris. Coërcet etiam lex Julia de vi omnes, qui seditionis, aut tumultus consilium inierint; servos, aut liberos homines in armis habuerint; in concionem, aut locum judicii cum armis, aut doloso concilio processerint. Item eos, qui simul cum armatis hominibus incendium tulerint, villas expugnarint, & quod a lege Plautia venit, qui possessorem domo, nave, agrove depulerint. Illud praeterea caput de veteri jure fluxit in legem Juliam, quod vetuit, ne scilicet quis Magistratus Pop. Rom. civem Romanum necasset ad populum provocantem, aut ad Imperatorem, qui recentiori aetate populi vicem usurpavit. (c) Praeter illa vero exempla criminum, a quibus etsi absint arma tamen supra in legem Juliam venire diximus; haec etiam propter atrocitatem haud minorem, ad vim publicam referuntur, quamvis arma non essent allata, veluti si quis incendium subjecto igne conflasset, aut legatum, & oratorem comitatumve illorum percussisset; aut reum vinxisset, & ju-

(a) l. 1. & 2. ff ad l. Jul. de vi pub.

(b) 85. novel. cap. 4. Matth. de crim. ad l. Plautiam pag. 443.

(c) passim in tit. ff. & C. ad l. Jul. de vi pub.

Digitized by Google

judici, magistratuive subduxisset, aliave qua ratione judicium turbasset. Poena vero de raptu virginum etiam sine armis, quam diximus ab hac lege descendere, longe gravius exacerbata fuit per Justinianum, qui summo supplicio affecit non eos modo raptores, qui vim honestis puellis attulissent; sed & eos, qui persuasionibus, & blanditiis consensum illarum expressissent: illi enim corpus tantum, hi vero corpus, & mentem una corruperunt. (a) Vis etiam publicae reus est, qui ab invito pecuniam abstulerit, aut nova vectigalia exegerit, quive funus disturbavit, ejusque diripiendi auctor fuerit. (b) Aliquot vero sunt capita, quae forsan ad vim privatam, & publicam revocantur, placuit enim gravius de criminibus hujusmodi agi simul, & initius posse: qui aliquid ex incendio, vel naufragio, quorum eadem est poena, & causa (c) rapuissent, ac sine caede, & sine armis vim intulissent, hominemve judicio exemissent, aut sine armis possessorem agro deturbassent; quae crimina videntur publicae vis, & privatae communia: etenim ea duplici nomine apud Jurisconsultos notata reperimus. (d) Singulatim vero ad vim privatam pertinet, si quis quaestionem de alterius servo habuerit, hoc est, si quis alienum servum, ut quid ex eo eliceret, tormentis subjecerit. (e)

(a) *l. unica C. de raptu virg.*

(b) *l. 8. ff. de sep. violat.*

(c) *l. 1. ff. de incend. ruin. naufrag.*

(d) *l. 5. ff. ad l. Jul. de vi pub. l. 10. §. 1. cod. l. 4. C. eod. l. 2. ff. ad l. Jul. de vi priv. l. 3. §. item tenetur ff. ad l. Jul. de vi publ. Matth. de crim. ad l. Juli. de vi priv. tit. 4. c. 3. ad l. 48. ff.*

(e) *l. 4. ff. ad l. Jul. de vi priv. §. 1. l. 6. ff. eod.*

XCII.

DE SC. VOLVSIANO.

Item si qui coierint improbe in alienam litem, ut quod ex ea redactum esset inter par-

ricipes fraudolenti consilii divideretur, hac lege tenentur. Quod vetitum fuit S. C. Volusiano ad hanc legem condito. Item qui auctoritate privata debitum sibi a debitore suo per vim abstulerit, & ejusmodi reliqua. (a) Tenetur lege Julia de vi privata, & is, qui receperit, celaverit, tenuerit hominem; cui aqua & igni fuerat interdictum. (b) Reperimus etiam apud Callistratum lege Julia de vi plura circa testium admissionem, aut rejectionem fuisse constituta: ut scilicet aliqui vel propter reverentiam, quam reo utpote forte patrono suo deberent; vel propter ignominiosam vitam, aut turpe artificium a testimonii dictione arceantur. (c) Poena vero, quae ab hac lege de vi privata descendit, honestiores quidem tertia parte bonorum multat, atque ignominia suffundit, arcetque loco senatorio, & ab omnium spe honorum, publicorumque munerum; (d) humiliores vero Paullo teste damnat in metallum. (e)

(a) l. 17. ff. ad l. Jul. de vi priv. & l. 2. & 3. Paul. lib. sent. 5. cap. 26.

(b) l. 3. §. 5. ff. de de testib.

(c) Duaren. lib. 2. disp. cap. 23.

(d) l. 1. & ult. ff. ad l. Jul. de vi priv.

(e) lib. 5. sent. tit. 26.

XCIII. AD LEG. JULIAM REPETUNDARUM.

Atque haec quidem violentiam compressit: occurrit nunc legum Juliarum alia, quae compressit avaritiam magistratuum, ne ab iis provinciae, ac socii populi Romani opibus exhaurirentur: cum ob interponendam, vel non interponendam potestatem, atque ob judicandum precium acciperent, & in mercimonium verterent auctoritatem publicam. Ne igitur opes provincialium paterent avaritiae magistratuum, leges latae sunt de pecuniis repetundis, quibus ob ablatas, captas, conciliatas, aversas, pactasque

Digitized by Google

que pecunias graviter puniebantur: unde merito sociales leges appellabantur: quod sociorum per eas fortunis, commodisque consuleretur. Et cum initio magistratus tantum provinciales, eorumque comites, quaestores, legatos persequerentur; postea se converterunt etiam ad urbanos, ut ab eorum repacitate patrimonia tuerentur civium Romanorum. (a) Atque ante quidem nulla certa perpetuaque lege, sed constitutis ad tempus judiciis, datisque recuperatoribus, quorum sententia recuperarentur ablata, sociis prospiciebatur: ac magistratibus praefiniebantur sumtus, cavereque jubebantur, ne supra praescriptum modum socios onerarent. Flagrante vero in dies avaritia magistratuum oportuit ei coërcendae perpetuas excitare leges, (b) a quibus poenae metus impenderet atrocioris.

(a) l. 6. §. 2. ff. ad l. Jul. repet.

(b) Cic. lib. 2. de offic.

XCIV. DE LEGE CALPVRNIA JVNIA.

Quales ante legem Juliam fuere Calpurnia, quae certum Praetorem in Vrbe dedit sociis, ad quem de rapinis magistratuum provincialium quaererentur; ut ejus auctoritate profusam pecuniam ab iis repoſcerent, ferente L. Calpurnio Pisone Censorino Coss. (c) Hanc excepit lex Junia, cujus auctorem Sigonius facit M. Junium Pennum trib. pleb. Lepido, & Oreste Coss. anno A. V. C. DCXXVII. Qua lege praeter litis aestimationem, etiam exilium reis fuit adjectum: quod utrumque pertulit C. Cato vir Consularis repetundarum ex Macedonia damnatus. (d) Easdem poenas irrogavit

(c) Sigon. de judic. lib. 2. cap. 27.

(d) Vellejus lib. 2. Cic. in Verr. & pro & Balbo.

Digitized by Google

(a) Cic. cod. & Liv. epit. 70.

& Servilia lex,(a) cujus plura ſuperſunt capita ex veteri fragmento eruto a Sigonio, e Petri Bembi doctiſſimi undequaque viri muſaeo: quae in perpetuum jus non tranſierunt, unde ad ſolam antiquitatis notitiam ſuperſunt, ut ſatis nobis ſit haec attigiſſe. Tulit & de repetundis M. Acilius Glabrio: vetuitque ne reus ejus legis, aut ampliaretur, aut comperendinaretur, hoc eſt ne differretur judicium. Ampliabant enim judices, cum in obſcura pronunciarent *amplius*: quod amplius requireretur ad condemnationem; comperendinabant vero, quando poſcente accuſatore, vel defenſore judicium protraherent.

(b) de legibus.

de quo late Manutius. (b) Eſt etiam de repetundis, & lex Cornelia, nempe lata a L. Sylla Dictatore, qui poenam auxit ad interdictionem aquae, & ignis, ex eaque de hiſce criminibus judicatum fuit usque ad l. Juliam, in quam, praeter ſua, ſuperiorum quoque legum plura capita conjecit Julius Caeſar primo Conſulatu:

(c) Cic. in Vatin.

(c) quaedam vero ex veteribus immutavit. quam nobis legem omiſſis ceteris Tribonianus tranſmiſit. Hac igitur lege tenentur qui quaeſtum faciunt ex miniſterio, & poteſtate publica, vertentes eam ad arbitrium largientium, pecuniamque accipientes, quo praebeant, vel denegent officium ſuum. (d) Miniſterium autem publicum negat Cujacius (e) accipiendum de ſcribis, viatoribus, aut praeconibus, aliisve miniſtris magiſtratuum; ſed

(d) l. 1. vers. ad 7. & ult. ff. ad l. Jul. repet.

(e) 7. obſ. 9. & h. 1. ff. eod.

Digitized by Google

sed iis convenire comprobat, qui cum jure Praetorio, aut Consulari mittuntur in provincias. Hi enim non suos tantum, sed suorum quoque mores, nempe satellitum, apparitorum, comitum, & universae cohortis suae facta praestabant, atque accusabantur publice per actorem ab ipsa provincia constitutum, (a) huic etiam judicio subjiciuntur judices pedanei & quicumque in Vrbe, aut in provincia judicia sua, vel suum testimonium vendunt, (b) & quotquot ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium accipiunt. Testimonium autem denunciare testificari non significat, sed diem ferendo testimonio dicere, sive praestituta die ad ferendum testimonium evocare, ut optime Budaeus explicavit. (c) Hac eadem lege damnatur, qui precium acceperit, ut militem legeret, aut mitteret, sententiamve in Senatu, aut consilio diceret, (d) vel accusaret, aut ab accusatione recederet; vel ut arbitrum daret, aut mutaret, aut ad judicandum compelleret. Item qui precio inducatur ad conjiciendum hominem in vincula publica, vinciendumve, vincirive jubendum, aut dimittendum; vel ob condemnandum reum, aut absolvendam aestimandamve litem, faciendumve, aut non faciendum capitis judicium, aut publicum negotium. Et qui acceptum tulerit opus publicum faciendum, (e) frumentumve publice praebendum, sarta tecta tuenda priusquam perfecta, probata praestita lege fuerint. (f) Si quid vero uxores provincialium magistratuum deliquissent, ab ipsis magistratibus ratio exigeba-

(a) Cujac. in paratit. C. hoc tit.

(b) l. 3. C. hoc tit.

(c) in Pandect. Vol. 2. pag. mihi 25.

(d) l. 8. & 7. ff. hoc tit.

(e) d. l. 7. §. 2.

(f) Cic. in Verr. 1. & 3.

Digitized by Google

(a) Cic. cod. & Liv. epit. 70.

& Servilia lex, (a) cujus plura ſuperſunt capita ex veteri fragmento eruto a Sigonio, e Petri Bembi doctiſſimi undequaque viri muſaeo: quae in perpetuum jus non tranſierunt, unde ad ſolam antiquitatis notitiam ſuperſunt, ut ſatis nobis ſit haec attigiſſe. Tulit & de repetundis M. Acîlius Glabrio: vetuitque ne reus ejus legis, aut ampliaretur, aut comperendinaretur, hoc eſt ne differretur judicium. Ampliabant enim judices, cum in obſcura pronunciarent *amplius*: quod amplius requireretur ad condemnationem; comperendinabant vero, quando poſcente accuſatore, vel defenſore judicium protraherent.

(b) de legibus.

de quo late Manutius. (b) Eſt etiam de repetundis, & lex Cornelia, nempe lata a L. Sylla Dictatore, qui poenam auxit ad interdictionem aquae, & ignis, ex eaque de hiſce criminibus judicatum fuit usque ad l. Juliam, in quam, praeter ſua, ſuperiorum quoque legum plura capita conjecit Julius Caeſar primo Conſulatu:

(c) Cic. in Vatin.

(c) quaedam vero ex veteribus immutavit. quam nobis legem omiſſis ceteris Tribonianus tranſmiſit. Hac igitur lege tenentur qui quaeſtum faciunt ex miniſterio, & poteſtate publica, vertentes eam ad arbitrium largientium, pecuniamque accipientes, quo praebeant, vel denegent officium ſuum. (d) Miniſterium autem publicum negat Cujacius (e) accipiendum de ſcribis, viatoribus, aut praeconibus, aliisve miniſtris magiſtratuum; ſed

(d) l. 1. med. ad 7. & ult. ff. ad l. Jul. repet.

(e) 7. obſ. 9. & l. 1. ff. eod.

ſed iis convenire comprobat, qui cum jure Praetorio, aut Conſulari mittuntur in provincias. Hi enim non ſuos tantum, ſed ſuorum quoque mores, nempe ſatellitum, apparitorum, comitum, & univerſae cohortis ſuae facta praeſtabant, atque accuſabantur publice per actorem ab ipſa provincia conſtitutum, (a) huic etiam judicio ſubjiciuntur judices pedanei & quicumque in Vrbe, aut in provincia judicia ſua, vel ſuum teſtimonium vendunt, (b) & quotquot ob denunciandum, vel non denunciandum teſtimonium accipiunt. Teſtimonium autem denunciare teſtificari non ſignificat, ſed diem ferendo teſtimonio dicere, ſive praeſtituta die ad ferendum teſtimonium evocare, ut optime Budaeus explicavit. (c) Hac eadem lege damnatur, qui precium acceperit, ut militem legeret, aut mitteret, ſententiamve in Senatu, aut conſilio diceret, (d) vel accuſaret, aut ab accuſatione recederet; vel ut arbitrum daret, aut mutaret, aut ad judicandum compelleret. Item qui precio inducatur ad conjiciendum hominem in vincula publica, vinciendumve, vincirive jubendum, aut dimittendum; vel ob condemnandum reum, aut abſolvendam aeſtimandamve litem, faciendumve, aut non faciendum capitis judicium, aut publicum negotium. Et qui acceptum tulerit opus publicum faciendum, (e) frumentumve publice praebendum, ſarta tecta tuenda priusquam perfecta, probata praeſtita lege fuerint. (f) Si quid vero uxores provincialium magiſtratuum deliquiſſent, ab ipſis magiſtratibus ratio exigeba-

(a) Cujac. in tit. C. hoc tit.

(b) l. 3. C. hoc tit.

(c) in Pandect. tom. 2. pag. mihi 25.

(d) l. 5. & 7. ff. hoc tit.

(e) d. l. 7. §. 2.

(f) Cic. in Verr. 1. & 3.

Digitized by Google

(a) Cic. eod. & Liv. epit. 70.

& Servilia lex, (a) cujus plura ſuperſunt capita ex veteri fragmento eruto a Sigonio, e Petri Bembi doctiſſimi undequaque viri muſaeo: quae in perpetuum jus non tranſierunt, unde ad ſolam antiquitatis notitiam ſuperſunt, ut ſatis nobis ſit haec attigiſſe. Tulit & de repetundis M. Acîlius Glabrio: vetuitque ne reus ejus legis, aut ampliaretur, aut comperendinaretur, hoc eſt ne differretur judicium. Ampliabant enim judices, cum in obſcura pronunciarent *amplius*: quod amplius requireretur ad condemnationem; comperendinabant vero, quando poſcente accuſatore, vel defenſore judicium protraherent.

(b) de legibus.

de quo late Manutius. (b) Eſt etiam de repetundis, & lex Cornelia, nempe lata a L. Sylla Dictatore, qui poenam auxit ad interdictionem aquae, & ignis, ex eaque de hiſce criminibus judicatum fuit usque ad l. Juliam, in quam, praeter ſua, ſuperiorum quoque legum plura capita conjecit Julius Caeſar primo Conſulatu:

(c) Cic. in Vatin.

(c) quaedam vero ex veteribus immutavit. quam nobis legem omiſſis ceteris Tribonianus tranſmiſit. Hac igitur lege tenentur qui quaeſtum faciunt ex miniſterio, & poteſtate publica, vertentes eam ad arbitrium largientium, pecuniamque accipientes, quo praebeant, vel denegent officium ſuum. (d) Miniſterium autem publicum negat Cujacius (e) accipiendum de ſcribis, viatoribus, aut praeconibus, aliisve miniſtris magiſtratuum; ſed

(d) l. 1. med. ad 7. & ult. ff. ad l. Jul. repet.

(e) 7. obſ. 9. & l. 1. ff. eod.

Digitized by Google

sed iis convenire comprobat, qui cum jure Praetorio, aut Consulari mittuntur in provincias. Hi enim non suos tantum, sed suorum quoque mores, nempe satellitum, apparitorum, comitum, & universae cohortis suae facta praestabant, atque accusabantur publice per actorem ab ipsa provincia constitutum, (a) huic etiam judicio subjiciuntur judices pedanei & quicumque in Vrbe, aut in provincia judicia sua, vel suum testimonium vendunt, (b) & quotquot ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium accipiunt. Testimonium autem denunciare testificari non significat, sed diem ferendo testimonio dicere, sive praestituta die ad ferendum testimonium evocare, ut optime Budaeus explicavit. (c) Hac eadem lege damnatur, qui precium acceperit, ut militem legeret, aut mitteret, sententiamve in Senatu, aut consilio diceret, (d) vel accusaret, aut ab accusatione recederet; vel ut arbitrum daret, aut mutaret, aut ad judicandum compelleret. Item qui precio inducatur ad conjiciendum hominem in vincula publica, vinciendumve, vincirive jubendum, aut dimittendum; vel ob condemnandum reum, aut absolvendam aestimandamve litem, faciendumve, aut non faciendum capitis judicium, aut publicum negotium. Et qui acceptum tulerit opus publicum faciendum, (e) frumentumve publice praebendum, sarta tecta tuenda priusquam perfecta, probata praestita lege fuerint. (f) Si quid vero uxores provincialium magistratuum deliquissent, ab ipsis magistratibus ratio exigeba-

(a) Cujac. in tit. C. hoc tit.

(b) l. 3. C. hoc tit.

(c) in Pandect. Vol. 2. pag. mihi 25.

(d) l. 6. & 7. ff. hoc tit.

(e) d. l. 7. §. 2.

(f) Cic. in Verr. 1. & 3.

Digitized by Google

& Servilia lex, (a) cujus plura superſunt capita ex veteri fragmento eruto a Sigonio, e Petri Bembi doctiſſimi undequaque viri muſaeo: quae in perpetuum jus non tranſierunt, unde ad ſolam antiquitatis notitiam ſuperſunt, ut ſatis nobis ſit haec attigiſſe. Tulit & de repetundis M. Acîlius Glabrio: vetuitque ne reus ejus legis, aut ampliaretur, aut comperendinaretur, hoc eſt ne differretur judicium. Ampliabant enim judices, cum in obſcura pronunciarent *amplius*: quod amplius requireretur ad condemnationem; comperendinabant vero, quando poſcente accuſatore, vel defenſore judicium protraherent. de quo late Manutius. (b) Eſt etiam de repetundis, & lex Cornelia, nempe lata a L. Sylla Dictatore, qui poenam auxit ad interdictionem aquae, & ignis, ex eaque de hiſce criminibus judicatum fuit usque ad l. Juliam, in quam, praeter ſua, ſuperiorum quoque legum plura capita conjecit Julius Caeſar primo Conſulatu: (c) quaedam vero ex veteribus immutavit. quam nobis legem omiſſis ceteris Tribonianus transmiſit. Hac igitur lege tenentur qui quaeſtum faciunt ex miniſterio, & poteſtate publica, vertentes eam ad arbitrium largientium, pecuniamque accipientes, quo praebeant, vel denegent officium ſuum. (d) Miniſterium autem publicum negat Cujacius (e) accipiendum de ſcribis, viatoribus, aut praeconibus, aliisve miniſtris magiſtratuum; ſed

(a) Cic. eod. & Liv. epit. 70.

(b) de legibus.

(c) Cic. in Vatin.

(d) l. 1. med. ad 7. & ult. ff. ad l. Jul. repet.

(e) 7. obſ. 9. & l. 1. ff. eod.

Digitized by Google

sed iis convenire comprobat, qui cum jure Praetorio, aut Consulari mittuntur in provincias. Hi enim non suos tantum, sed suorum quoque mores, nempe satellitum, apparitorum, comitum, & universae cohortis suae facta praestabant, atque accusabantur publice per actorem ab ipsa provincia constitutum, (a) huic etiam judicio subjiciuntur judices pedanei & quicumque in Vrbe, aut in provincia judicia sua, vel suum testimonium vendunt, (b) & quotquot ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium accipiunt. Testimonium autem denunciare testificari non significat, sed diem ferendo testimonio dicere, sive praestituta die ad ferendum testimonium evocare, ut optime Budaeus explicavit. (c) Hac eadem lege damnatur, qui precium acceperit, ut militem legeret, aut mitteret, sententiamve in Senatu, aut consilio diceret, (d) vel accusaret, aut ab accusatione recederet; vel ut arbitrum daret, aut mutaret, aut ad judicandum compelleret. Item qui precio inducatur ad conjiciendum hominem in vincula publica, vinciendumve, vincirive jubendum, aut dimittendum; vel ob condemnandum reum, aut absolvendam aestimandamve litem, faciendumve, aut non faciendum capitis judicium, aut publicum negotium. Et qui acceptum tulerit opus publicum faciendum, (e) frumentumve publice praebendum, sarta tecta tuenda priusquam perfecta, probata praestita lege fuerint. (f) Si quid vero uxores provincialium magistratuum deliquissent, ab ipsis magistratibus ratio exigeba-

(a) Cujac. in tit. C. hoc tit.

(b) l. 3. C. hoc tit.

(c) in Pandect. Vol. 2. pag. mihi 25.

(d) l. 5. & 7. ff. hoc tit.

(e) d. l. 7. §. 2.

(f) Cic. in Verr. 1. & 3.

Digitized by Google

& Servilia lex,(a) cujus plura superſunt capita ex veteri fragmento eruto a Sigonio, e Petri Bembi doctiſſimi undequaque viri muſaeo: quae in perpetuum jus non tranſierunt, unde ad ſolam antiquitatis notitiam ſuperſunt, ut ſatis nobis ſit haec attigiſſe. Tulit & de repetundis M. Acilius Glabrio: vetuitque ne reus ejus legis, aut ampliaretur, aut comperendinaretur, hoc eſt ne differretur judicium. Ampliabant enim judices, cum in obſcura pronunciarent *amplius*: quod amplius requireretur ad condemnationem; comperendinabant vero, quando poſcente accuſatore, vel defenſore judicium protraherent. de quo late Manutius. (b) Eſt etiam de repetundis, & lex Cornelia, nempe lata a L. Sylla Dictatore, qui poenam auxit ad interdictionem aquae, & ignis, ex eaque de hiſce criminibus judicatum fuit usque ad l. Juliam, in quam, praeter ſua, ſuperiorum quoque legum plura capita conjecit Julius Caeſar primo Conſulatu: quam nobis legem omiſſis ceteris Tribonianus tranſmiſit. (c) Hac igitur lege tenentur qui quaeſtum faciunt ex miniſterio, & poteſtate publica, vertentes eam ad arbitrium largientium, pecuniamque accipientes, quo praebeant, vel denegent officium ſuum. (d) Miniſterium autem publicum negat Cujacius (e) accipiendum de ſcribis, viatoribus, aut praeconibus, aliisve miniſtris magiſtratuum; ſed

(a) Cic. cod. & Liv. epit. 70.

(b) de legibus.

(c) Cic. in Vatin.

(d) l. 1. in fin. ad 7. & ult. ff. ad l. Jul. repet.

(e) 7. obſ. 9. & h. 1. ff. eod.

Digitized by Google

sed iis convenire comprobat, qui cum jure Praetorio, aut Consulari mittuntur in provincias. Hi enim non suos tantum, sed suorum quoque mores, nempe satellitum, apparitorum, comitum, & universae cohortis suae facta praestabant, atque accusabantur publice per actorem ab ipsa provincia constitutum, (a) huic etiam judicio subjiciuntur judices pedanei & quicumque in Vrbe, aut in provincia judicia sua, vel suum testimonium vendunt, (b) & quotquot ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium accipiunt. Testimonium autem denunciare testificari non significat, sed diem ferendo testimonio dicere, sive praestituta die ad ferendum testimonium evocare, ut optime Budaeus explicavit. (c) Hac eadem lege damnatur, qui precium acceperit, ut militem legeret, aut mitteret, sententiamve in Senatu, aut consilio diceret, (d) vel accusaret, aut ab accusatione recederet; vel ut arbitrum daret, aut mutaret, aut ad judicandum compelleret. Item qui precio inducatur ad conjiciendum hominem in vincula publica, vinciendumve, vincirive jubendum, aut dimittendum; vel ob condemnandum reum, aut absolvendam aestimandamve litem, faciendumve, aut non faciendum capitis judicium, aut publicum negotium. Et qui acceptum tulerit opus publicum faciendum, (e) frumentumve publice praebendum, sarta tecta tuenda priusquam perfecta, probata praestita lege fuerint. (f) Si quid vero uxores provincialium magistratuum deliquissent, ab ipsis magistratibus ratio exigeba-

(a) Cujac. in Cod. hoc tit.

(b) l. 3. C. hoc tit.

(c) in Pandect. vol. 2. pag. mihi 25.

(d) l. 5. & 7. ff. hoc tit.

(e) d. l. 7. §. 2.

(f) Cic. in Verr. 1. & 3.

Digitized by Google

tur, & vindicta ex S. C. Cotta, & Meſſ. Coſſ. con-
(a) *l. 4. §. proficiſci ff. de offic. Proconſ.* dito. (*a*) Ac ne ullam ob cauſam provincialium opes exhauriantur, nefas eſt magiſtratibus in provincia foenus exercere, filio ſponſam parare, atque, ut pro noſtro inſtituto capita omittamus ad
(b) *de quibus vid. Manut. de leg. & Sigon. de judic. lib. 2. hoc capite.* extinctae Reipublicae regimen (*b*) pertinentia, breviter, hac lege puniebatur, qui munus publice mandatum rumperet, ut prisca locutione Papinianus ait, id eſt *corrumperet;* ſiquidem gerendi magiſtratus cauſa munus accepiſſet: nam extra cauſam magiſtratus licebat accipere munuſcula: dum ne plus in anno acciperet, quam
(c) *l. 6. in ff. hoc tit.* centum aureorum aeſtimationem: (*c*) niſi munera venirent ab uxore, ſobrinis, & propinquioribus, quorum liberalitas erga conjunctum a naturali caritate provocatur: (*d*) ut non mirum ſi ab
d) *l. 1. ff. hoc tit.* iis in infinitum liceret accipere. Datum autem contra legem hanc vitium concipit uſucapioni repugnans; unde non ante uſucapietur, niſi poſtquam redierit ad dominum, hoc eſt eo unde a
(e) *l. 8. ff. hoc tit.* magiſtratu fuerat averſum. (*e*) Atque omnes venditiones, & locationes a magiſtratibus per ſordes pluris, minorisve factas, eadem lex irritas declarat, ne cuiquam lucro ſit ſua poteſtas: adeo ut nec
(f) *ad l. Aquilius ff. de donat.* magiſtratu functo liceat remunerationem accipe-
Matth. *de crim. ad hanc legem. pag. 564.* re ab iis, quibus poteſtas illius profuit; ne obliqua haec via irrepentibus fraudibus aperiatur: ut
(g) *ad l. Principalibus ff. de rebus credit. & §. 49.* contra Bartolum (*f*) rectius meo judicio docuit Alciatus. (*g*) In legem porro incidit, non qui acceperit modo, ſed & qui donaverit. (*h*) S. Cto
(h) *l. ult. C. hoc tit.* porro prohibentur legati ante obitam legationem nego-

Digitized by Google

negotiis, & privatis rebus involvi, (a) quod huc retulimus, cum aptior locus non occurrat. Poena hujus criminis fuit aestimatio litis, quae aliquando simplum erat, aliquando duplum, aliquando quadruplum, quale fuit impositorum. (b) Quod prius reddebatur actori, sive illi, cui pecunia fuerat extorta invito: (c) nam si judicem sua ipse fraude corrupisset, repetitionem pecuniae minime habebat. Postea ex Arcadii, & Honorii constitutione quadruplum illud dividi oportuit inter fiscum, & actorem. (d) Litis aestimationem consequebatur & exilium, & aliquando poena etiam gravior, si crimen hoc aliis criminibus esset implicatum, veluti si magistratus ob tolerandum homicidium, aut furem dimittendum pecuniam accepisset: ex quorum criminum varietate judicis erit exacerbare, aut levare poenas, (e) unde si quando alias poenas irrogatas legibus absque ulla exilii mentione invenimus: non propterea debemus exilii poenam censere sublatam, uti nescio quam recte docuit Gothofredus junior. (f) Etsi enim inveniamus aliquos hac lege damnatos amisisse ordinem, aut e Senatu motos; (g) tamen & Jurisconsulti, a quibus exilii poena crimini huic convenire discimus, deportationem, & verbera minitantur: unde sicuti per has graviores poenas atrocioribus factis congruentes, minime tamen ab exilio recessum putamus; ita nec per leviores, ubi levius quis deliquisset exilium, quod regulare erat, sublatum existimabimus: quasi, multis propositis poenis, judicis fuerit eligere

(a) l. 12. ff. de legation. & l. 8. in ff. eod.

(b) l. 1. & ult. C. hoc tit. l. 3. C. de Assessorib.

(c) Ascon. Pisan. 2.

(d) l. 3 C. de assessor. Matth. de crim. ad h. l. pag. 569.

(e) l. 7. ff. hoc tit. 5. 3.

(f) ad l. 1. C. Theod. ad l. Jul. repetund.

(g) Sueton. in Jul. cap. 43. & in Oth. cap. 2. Plin. lib. 2 epist. 11. & 12.

Digitized by Google

gere digniorem. A teſtimonio quoque tum in judiciis, tum in teſtamentis dicendo talis reus rejiciebatur, ut Paullus tradit: (a) a quo videtur diſſentire Vlpianus, propterea quod in Florentino codice (b) deeſt negatio, quam ei ſcripturae cum Cujacio reddendam putamus, ac legendum: *Eum qui lege repetundarum damnatus eſt, ad teſtimonium adhibere non poſſe exiſtimo.* Quam emendationem ex vulgata lectione ſumtam tuetur ipſamet Vlpiani ratio, quae ſtatim ſuccedit, nempe illa: *quoniam in judicio teſtis eſſe vetatur*, gravius enim eſt in teſtamentis, quam in judiciis dicere teſtimonium: ut qui a judiciis repellitur, eo ſit magis a teſtamentis arcendus. Frigida enim eſt illa Jacobi Gothofredi interpretatio, & a contradicendi ſtudio profecta, dum exponit, ideo poſſe in teſtamentis teſtimonium dicere, quia tantum in judicio teſtis eſſe prohibetur. Quem ſenſum affingit Vlpiano invito, atque ut objectionem ab ſe proviſam effugiat, cogitur negare hujuscemodi reos infamiam ſubiiſſe, contra perſpicuum illum Juvenalis locum de Mario repetundarum infami judicio damnato Sat. 1.

(a) l. 15. ff. de teſtib.

(b) l. 10. §. 5. ff. qui teſt. fac.

Quid enim ſalvis infamia nummis?

Abſurdius autem videtur nobis, quod idem addit eam reo turpitudinem nocuiſſe in Senatu, & judiciis; at vero in teſtamentis minime: quaſi locus addat, aut detrahat ignominiam a famoſa ſententia ſemel tota vita ſuspectam. Porro cri-

criminis hujus persecutio morte non extinguitur. (a) Sed adversus heredes etiam durat ablatae pecuniae repetitio, & quadrupli multa: tantum intra annum a morte rei, etiamsi ante sententiam, & litem contestatam decessisset, ac de hoc judicio intermisso, & postea contra heredem redintegrato meminit (b) Plinius. Neque in magistratus tantum, sed & in comites dabatur, (c) ac non licebat, nisi post depositum magistratum accusationem instituere, ne provincialium importunitate magistratuum jurisdictio turbaretur. (d)

(a) Cujac. *narrat. C. ad l. Jul. repet. L. uls. ff. ad l. Jul. pecul. l. 2. ff. ad l. Jul. repet.* Matth. *de crimin. ad l. Jul. repet. pag. 568.*
(b) *lib. 3. cap. 3.*
(c) *l. 5. ad l. Jul. repetund.*
(d) Matth. *de crimin. ibid.*

XCV.

AD LEG. JULIAM PECULATUS, DE SACRILEGIS, ET DE RESIDUIS.

Ac lege quidem repetundarum privata provincialium pecunia repetitur ab avaris magistratibus: at si quando iidem publicam pecuniam averterint, repetitur per legem Juliam peculatus. Ante Servium Tullium, qui Plinio teste primus aes effigie ovium, boumque signavit, (e) & ut aliqui volunt etiam argentum (f) Romani precium rerum in pecudibus constituebant, aut bobus: ut iis pro crimine multarentur, & vectigalia penderent. Vnde furtum pecuniae publicae peculatus dicitur, tum quia pecuniae nomen a pecude venit; tum quia criminis initium a raptis pecudibus extitit; tum denique, quia multam in pecudibus antea persolvebant. Est igitur crimen hoc furtum pecuniae publicae, & rerum sive Populi Rom. sive Caesaris: (g) nam res civitatum furti actione repetebantur, cum haberentur pro rebus privatorum, (h) constitutionibus tamen principum si quid civitatibus surripie-

(e) *lib. 18 cap. 34. ad not.* Vene. *in festum verbo: peculatus.*
(f) Varro *lib. 2. de re rust. & 4. de L. L.* Gell. *lib. 11. cap. 1.*
(g) *l. 6. §. ult. ff. ad l. Jul. pecul. l. ob pecuniam 83. ff. de furt.*
(h) *l. cum qui 16. ff. de V. S.*

batur, ad peculatum redigitur. (a) Initio crimen hoc nulla certa, & perpetua, ſcriptaque lege, ſed ubi uſus veniret rogationibus ad populum latis, cognitioneque Praetoribus, vel Conſulibus mandata vindicabatur. Vt proditum & de Lucio Scipione Africani fratre, atque aliis, qui ſecum eadem ſuſpicione criminis involvebantur. Judicium enim datum fuit in eum, quod diceretur pecuniam pacis cauſa a Pop. Rom. impetrandae ab Antiocho accepiſſe, illamque minime in publicum retuliſſe. Deinde Syllae fortaſſe temporibus (b) criminis hujus perpetua quaeſtio in Praetore certo fuit inſtituta. Legem poſtea tulit C. Julius Caeſar, qua plura criminum capita comprehendit, nempe de peculatu, de ſacrilegio, & de reſiduis. Peculatus igitur crimen incurrit quisquis, aut rapit ipſe, vel intercipit, avertit, aufert, inque rem ſuam vertit pecuniam publicam, ſacram, religioſam, & in aurum, argentum, aes publicum deterioris aliquid materiae confundit; aut alteri, qui hoc meditetur, praeſtat operam ſuam. (c) De quorum omnium in republica impunitate, ac licentia ſuis temporibus his verbis conqueritur M. Cato (d) ſane vehementiſſimis. *Fures privatorum furtorum in nervo, atque in compedibus aetatem agunt; fures publici, in auro, atque in purpura.* Non incidunt in legem tamen ii, qui pecuniae publicae ab ſe captae periculum in ſe ipſos ſuſcepere: quid opus eſt enim aggredi lege illum, qui propria obligatio-

(a) *l. 4. §. 3. 7. ff. ad l. Jul. pecul. & Duaren. diſp. anniverſ. lib. 2. cap. 76.*

(b) *Sigon. de judic. cap. 28. lib. 2.*

(c) *l. 1. ff. ad l. Jul. pecul.*

(d) *apud Gell. lib. 11. cap. 18.*

Digitized by Google

tione arguitur, ac fua fide ad reſtitutionem urgetur? (a) Quamobrem Labeo peculatum definivit pecuniae publicae, aut ſacrae furtum non ab eo factum cujus periculo fuit. (b) Variis autem exemplis a JCtis pecuniae publicae furtum declaratur, & peculatus crimen extenditur ad eum, qui operatur in cudenda moneta publica, & publicam notam argento non publico imprimat, aut ſigno publico furetur impreſſam; (c) Aut ex commentariis Caeſarianis argentum, aurumve averterit, aut refixerit; vel immutaverit aeneam tabulam, ubi vel publicae leges, vel agri publici forma deſcribatur; (d) aut publicarum tabularum inſpiciendarum, vel deſcribendarum poteſtatem injuſſu ejus fecerit, qui ei rei praeeſt, quod Senatus cenſuit; (e) aut minorem pecuniam, quam locationis aut venditionis precium fuit, in tabulas retulerit; (f) aut qui ex publica praeda quid ſubtraxerit; (g) aut qui ſe fiſci creditorem ſimulaverit, ut pecuniam a debitore ſolius fiſci auferret, nam qui a debitore ſimul fiſci, & ſuo exegerit reſtituere quidem fiſco tenetur propter illus privilegium: peculatum tamen minime admittit. (h) Criminis hujus poena interdictio erat aquae, & ignis: poſtea vero deportatio, in quam ea interdictio migravit; (i) inſuper & quadrupli condemnatione reus urgebatur, aliisque poenis ex arbitrio judicis, (k) & pro delicti gravitate per principum conſtitutiones ad extremum usque ſupplii-

(a) *l. 9. ff. ad l. Jul. pecul. §. is autem.*
(b) *l. 9. §. 2. ff. eod.*
(c) *l. 6. ff. eod. §. 1.*
(d) *l. 8. ff. eod.* Briſſ. *antiq. cap. 6. lib. 4.*
(e) *l. 9. §. 5. ff. eod.*
(f) *l. 10. ff. eod.*
(g) *l. 13. ff. eod.*
(h) *l. 12. ff. eod.*
(i) *l. 3. ff. eod.*
(k) *l. 6. in ff. l. pen. ff. eod.* Paull. *lib. 5. ſent. hoc tit.*

Digitized by Google

plicium puniebatur. (a) Eaedem poenae tenent & sacrilegos, eos nempe, qui ex publicis sacris quid abstulerint. Etenim qui rem privatam rapuerit e loco sacro, jure civili per Antonini rescriptum non poena sacrilegii, sed actione furti tenetur: quamvis aliter jure Pontificio constituatur: quo etiam rei profanae furtum e loco sacro in sacrilegii crimine ponitur. (b) A qua sententia, utpote sanctiori, haud longe abiere veteres: quorum opinione sacrum erat quidquid custodiae Deorum concredebatur: ac fidem numinum videbatur in suspicionem adducere quisquis furando rem eam, frustrarent spem dominorum: unde senex Plautinus in aulul. (c)

(a) *l. un. C. de crim. pecul. §. item lex 1. Inst. de pub. judic.* Jac. Gothof. *C. Theod. ad l. Jul. pecul. l. 1.*

(b) *Cap. quicquis 17. quaest. 4.* Cujac. *obs. 13. cap. 19. l. divi. ff. ad l. Jul. pecul.*

(c) *act 3. sc. 6. l. aut facta. §. locus ff. de poen.*

Fides novisti me, & ego te: cave sis tibi,
Ne tu in me mutassis nomen, si hoc concreduo
Ibo ad te, fretus tua, fides fiducia.

Pro re vero sua principes nomen crimenque sacrilegii extenderunt aliquatenus ad eos, qui principum judicium, & auctoritatem in controversiam vocant, aut ambigunt an Imperator dignum hominem elegerit ad aliquod munus. (d) Constitutiones quoque principum imprudenter, vel industria violare sacrilegium ducitur: quod multo aptius ad legum divinarum corruptores accommodatur: perperam enim Duarenus *leges divinas* exponit *Constitutiones principum*; & si hoc sensu enim accipiantur aliquando; tamen

(d) *l. 3. C. de crim. sacril.*

lex

Digitized by Google

lex prima Codicis de crimine ſacrilegii, in qua verſamur, pertinet ad ipſas Dei leges: quia in C. Theodoſiano lex eadem collocata reperitur in tit. de Epiſc. & Clericis l. 25. Vnde recte Cujacius de legibus divinis id interpretatur. Qui confugientem ad Eccleſiam per vim abſtraxerit ſacrilegii damnatur, (a) & qui ejus, unde originem ducit, adminiſtrationem provinciae petit: quamvis hodie hac in re lenius agatur. (b) De reſiduis autem tenetur qui pecuniam publicam non in eos uſus contulerit, in quos attributa ſibi fuerat, & is, apud quem quantitas aliqua ex publica emtione, locatione, aut adminiſtratione ſuperſit, quam vel profiteri, vel in publicas rationes referre neglexerit, aut profeſſam relatamve ultra annum apud ſe habuerit: isque (uti Duarenus explicat verba legis), (c) praeter pecuniam ex reliquatione inferendam, tertia inſuper ejus quam debet parte multatur: alii triplo ejus quod debet multandum cenſent, praeter debitam pecuniam reſtitutam. Subtractae autem pecuniae repetitio ex hac lege tranſit etiam adverſus (d) heredes. Denique peculatus crimen, ut JCtus tradit, ante quinquennium admiſſum non eſt amplius objiciendum. (e)

(a) *l. 2. C. eod. ſive de crim. Sacril.*
(b) *l. ult. C. eod.*
(c) *l. 4. §. qua lege ff. ad l. Jul. de pecul. & §. lege Julia.* Duaren. *hoc tit. ff. 3. cap. 4.*
(d) *l. ult. ff. eod. l. ex judic. 20. ff. de accuſ.*
(e) *l. 7. ff. hoc tit.*

XCVI. AD LEG. JVLIAM DE ANNONA.

Publicae quoque C. Julius Caeſar utilitati proſpexit lege in eos lata, quorum dolo annona, nempe frumentum, vinum, oleum, panis, caro, ſal & ſimilia victus elementa cariora reddantur: quique ob eam rem ſocie-

tatem coierant, & conspiraverint, quo vel inter vectoribus ab Vrbe averteretur, vel naves, nautaeque detinerentur, quique annonam quoquo modo vexant, sive subtrahendo, sive supprimendo, inopiamque rei cibariae inducendo, ut publica ex egestate privatim ditentur: (a) iique a Dardano quodam, forte hujus teterrimae artis principe, Dardanarii nuncupantur. (b) Eadem lege plectuntur & ii, qui fraudolenter in annonae administratione versantur, sive praefectus ipsius annonae, sive praefectus Vrbis. (c) Et quoniam per hoc judicium publicae necessitati, communique saluti consulitur, delationes mulierum, & servorum recipiuntur. (d) Convicti autem viginti aureis damnantur; aut si negotiatores sint, interdum negotiatione interdicuntur: aliquando relegantur, & si humiliores fuerint ad opus publicum dantur: poenaque pro gravitate delicti variatur. (e)

(a) *l. 2. ff. ad l. Jul. de ann.*

(b) *l. 6. ff. de extraord. crim.* Cujac. *10. obs. 29.* Turneb. *9. adverf. 17.*

(c) *l. 1. §. curae ff. de off. praef. Vrb.*

(d) *l. 1. & ult. ff. ad l. Jul. de annon.*

(e) *l. 6. ff. de extr. crim.*

XCVII. AD LEG. JVLIAM AGRARIAM, SIVE DE TERMINO MOTO.

Animadvertendum quoque censuit C. Julius Caesar in eos, qui submotis agrorum terminis jura conturbant miscentes, atque confundentes dominia privatorum, finesque obscurantes, quominus internoscantur: quos multavit quinquaginta aureis in singulos terminos motos; permissa cuilibet ex populo accusandi facultate. (f) In servis vero Nerva poenam exacerbavit adjecto ultimo supplicio: nisi dominus velit multa in se suscepta servum suum liberare, si terminum exarasset, aut ejeciisset.

(f) *l. ult ff. de term. moto.*

Nihil

Digitized by Google

XCVII. AD LEG. JULIAM DE AMBITU.

Nihil vero fraudum earum, quae superioribus legibus coërcentur, formidaturi sumus a magistratibus, si ab illorum creatione fraudem omnem amovebimus; ac reipub. gubernacula deferemus ad meliores, justis, liberis, incorruptisque comitiis. Ideo legum omnium utilissimae sunt leges adversus ambitioem latae: per quas cavetur, ne in honorum petitione virtus a pecunia, probitas a calliditate, ac meliores a deterioribus, de more superentur, neque dignitates donis obtemperent, ac per largitiones, promissionesque suffragiorum libertas civibus eripiatur. Meritorum enim testimonia, non remuneratio largitionum oportet esse suffragia. Qui tribus igitur clam divisa pecunia corrupisset, populique voluntatem donis emisset cum pluribus fraudolenter coëundo, & homines conducendo, ut rejecto competitore suo magistratum adipisceretur, lege primum Tribunita Poetilia, deinde aliis vario tempore usu poscente prodeuntibus, Baebia nempe, Maria, Fabia, Cornelia, Calfurnia, Tullia, Ausidia, Licinia, Pompeja, & postremo Julia plectebatur interdictione aquae, & ignis: primo quidem per decennium, postea vero perpetuo: & honos ab reo simul cum tribu, veluti suspicatur Manutius, ad accusatorem transferebatur. Ex quibus legibus tantum Julia conjecta est in libros juris, postquam enim Tiberii tempore suffragiorum jus a populo ad Senatum devenit, ut ab Senatu facilius ad solum principem redigeretur; (a) Harum legum auctoritas

(a) Sigon. de judic. lib. 2. cap. 19.

Digitized by Google

tas prorsus concidit, quis enim argueret legibus facta principum? Hinc & de lege Julia satis levis mentio est in digestis. Auctorem habuit non Julium Caesarem solum, sed & Augustum, qui Fabianus, & Scaptiensibus tribulibus suis singula millia nummûm a se dividebat comitiorum die, ne quid a candidatis desiderarent, ut Suetonius tradit: (a) atque inter alias poenas per quinquennium interdixit magistratus petitione reis hujus criminis. (b) Vbi vero principes magistratus creationem ad curam suam revocaverunt, lex ambitus in Vrbe cessavit, mansitque tantum in municipiis, & municipalibus honoribus: ab honoribus autem urbanis, ut hoc vitium abesset, satis fuit pellere avaritiam ex aula principis, quod conatur Justinianus in novella 8. Loco autem interdictionis aquae, & ignis subjecta est deportatio, quae tamquam ex l. Julia de ambitu, ex constitutionibus principum (c) impendet iis, qui defuncti muneribus ea continuant, aut repetunt ante redditam administrationis suae rationem. Minor vero ambitus, poena minori, nempe pecuniaria multa centum aureorum, cum infamia, ex S. Cto coërcetur: (d) quam incurrit is, qui contra legem ambitus in municipio magistratum petierit; aut Sacerdotium. Qua lege damnatus amissum gradum repetit, si alium ejusdem criminis in judicio convicerit: quod ex lege Calfurnia descendit. (e) S. Cto quoque ad hanc legem edito punitur, qui novum vectigal instituerit. (f)

(a) in Aug. c. 40.

(b) Dio lib. 54. pag. 531.

(c) l. un. C. ad l. Jul. de amb. vbi Cujac.

(d) l. un. §. 1. ff. ad l. Jul. de amb.

(e) l. un. §. 2. ff. ad l. Jul. de amb.

(f) eadem l.

Legi-

Legibus autem Juliis, quae judiciariae dicuntur, ambitus damnatur accusator, aut reus, qui domum judicis ingrediatur, constituta multa centum aureorum fisco inferendorum: (a) cui adjiciendum ex Dione, iisdem legibus fuisse cautum, ne judices domus alienas introirent. (b) His autem judiciariis legibus emendabatur forum, & judiciorum disciplina regebatur, pluribus quidem capitibus; quorum quae ad nos pervenerunt, post Antonium Augustinum recensuit Brissonius. (c) Ex his autem legibus Callistratus docet minorem XX annis judicare non cogendum, neque compromittendum in eum; neque permittendum, ut qui judex est arbitrium in se recipiat ejus rei, super qua judex est constitutus, curetve, ut in se compromittatur. (d) Facultas etiam prorogandae jurisdictionis consensu partium ab iisdem fluxit legibus. (e) Quod vero pertinet ad publica judicia, vetabant leges Juliae, ne uno tempore de duobus reis quis quaereret, nisi suarum injuriarum causa: (f) qui enim persequuntur injuriam suam ii non quaestus, sed levandi doloris causa descendunt ad accusandum, contra vero delatores quorum improbam sedulitatem in aliis vexandis coërcere lex Julia voluit: unde certum praescripsit numerum, supra quem delatoribus eodem tempore non liceret accusare. (g) Ac Venulejus quidem tradit praefinitum duorum fuisse reorum numerum: cujus in verbis Cujacium mendum irrepisse, merito mea sententia, suspica-

LEGI. AD LEG. JVLIAS JVDICIARIAS.

(a) *l. um. §. 4. ff. ad l. Jul. de amb.*

(b) *Dion. lib. 54.*

(c) *Scholl. antig. 4. cap. 7. Gell. lib. 14. cap. 2 ff. de recept. l. 41.*

(d) *l. sed in forum §. 8 quis ff. de recept.*

(e) *l. 1. & 2. ff. de judic. ut observat. Cujacius ibid.*

(f) *l. hos accusare §. lege ff. de accusat.*

(g) *d. l. hos accusare.*

(a) *l. ultim. C. de his, qui accus. non poss.* Cujac. *6. obs. cap. 12.*

ſpicatur: cum Imperatores (*a*) tradant tertiam accuſationem eis, qui duos reos detulerint non eſſe a lege permiſſam. Vnde, ne interpretum vaticiniis involveretur, ita legendum cenſet Venulei locum, (*b*) ut pro *duobus reis* ſubſtituatur tribus reis; nempe ita: *Lege Julia publicorum judiciorum cavetur, ne eodem tempore de tribus reis quis quereretur, niſi ſuarum injuriarum cauſa.* Iisdem judiciariis legibus conſtituebatur, ne quis adverſus affinem, vel cognatum, aliosve quibus pietate obſtringimur, veluti parentes, patronos, liberos, libertos, invitus teſtimonium dicere compellatur. (*c*) Item ne reus, qui adverſus novam accuſationem veterem ejus delicti abſolutionem opponit, prius accuſetur, quam per ſententiam de prioris accuſatoris praevaricatione conſtiterit, ex qua deducatur illum per fraudem effugiſſe judicii ſeveritatem, tum enim licebit vetus judicium praevaricatione ſopitum, nova delatione ſuſcitare. (*d*) Item cavebatum, ut qui reum detuliſſet, locum delicti, perſonam, & mensem designaret. (*e*) Eaedem leges jubebant, ut ſi ſervus capitali crimine poſtularetur, dominus, vel cum ſiſteret, vel ſatisdato promitteret ſive per ſe, ſive per extraneum, ſe illum ſtiturum, cum uſus exegerit; ac ſi non defenderetur ſervus, vel non ita ſiſteretur, in carcerem conjectus, cogeretur ex vinculis cauſam dicere. (*f*) Hoc loco etiam recenſeri poſtulat S.C. quo cavebatur, ne quisquam eorum, a quibus quid ad utilitatem fiſci peteretur, alia inſtrumenta delatori, ſive accuſatori edere compelleretur,

(b) *l. bos accuſare §. lege ff. accuſat.*

(c) *l. 7. Cto. ff. de grad. & affinib. l. 4. ff. de Teſt. l. 11. ff. de accuſat.*

(d) *l. 3. ff. de praevaricat.*

(e) *l. 3. ff. de accuſat.*

(f) *l. 2. ff. de cuſtod. reorum.*

tur,

Digitized by Google

tur, quam ea, quae pertinerent ad causam, ex qua delator accuset. (a) Iisdem legibus, etsi nullo auctore, adscribit Brissonius quod legimus in libris rhetoricorum ad Herennium, ut scilicet in publicis quaestionibus reo petente, judicium de accusatore fiat; liceat illi accusare necne. Cum autem referat Suetonius Caesarem suscepisse constituendorum judiciorum curam, eaque rejectis tribunis aerariis ad Senatores, & Equites redigisse; recte meo judicio leges hae judiciariae Caesari Dictatori ab Antonio Augustino tribuuntur.

(a) l. 7. ff. de edend.

De Lege Cornelia de Falsis, et ad S.C. Libonianum, aliaque ad eam Adjecto.

Post leges Julias progrediamur ad ea crimina, quae legibus vindicantur Corneliis, exordium ducentes a L. Cornelia de falsis, quam sicuti, & reliquas tulit L. Cornelius Sylla Dictator, simul cum lege testamentaria duobus explicata capitibus: quorum altero testamenta confirmabantur civium Rom. qui apud hostes decederent; altero fraudes praecidebantur illorum, qui testamenta vitiassent, delessent, amossent, intervertissent, resignassent, recitassent dolo malo, corrupissent, intercepissent, aut a se facta supposuissent imagine veri fraudem adumbrantes. Quod caput ortum occasione testamentorum, comprehendit etiam falsa omnia instrumenta, & quaslibet viriatas, aut adulterinas scripturas; immo interpretatione sapientum, vel auctoritate Senatus, aut edictis, & constitutionibus principum productum fuit ad facta, dictave omnia, quibus in aliorum incommodum, aut subtrahitur veritas, aut ob-

Digitized by Google

obscuratur. (a) Hisque criminibus cognoscendis Praetorem certum Sylla constituit. Quatuor vero S. C. supersunt, quibus aliqua crimina eam ad legem renocantur. Primum S. C. Libonianum sub Tiberio conditum Statilio Tauro, & Libone Coss. ut ex Vlpiano comprobat Cujacius, (b) dissentiente Hottomanno, qui S. C. hoc revocat ad Adriani tempora, Torquato, & M. Annio Libone Coss. expressum fuit hoc S. C. ex edicto Claudii Neronis, proposito in eandem sententiam: nempe ut poena falsi producatur ad eos, qui jussu testatoris aliquid sibi liberisve, aut servis suis testamento adscripserint; (c) sive per se, sive per servum suum: cum si sua sponte injussu testatoris adscripsissent, directo in legem Corneliam inciderent, ac falsi tenerentur, ex ipsis verbis legis, non ex S. C. quo lex extenditur etiam ad eum, qui non falso, sed jubente testatore sibi adscripserit, (d) unde prohibetur hereditatem, aut legatum capere: ideoque ab ejus persona transferuntur, vel ad heredem, cum onere, quod speciale est (e) ex hoc S. C. vel ad substitutum, vel ad legitimos successores; cum pro non scriptis habeantur. Praeter hanc autem poenam supereſt etiam communis, quae oritur ex lege Cornelia de falsis; (f) nisi testator illud nominatim subscriptione sua adjectum voluisset, se dictante, aut jubente fuisse a legatario ejusve servo conscriptum. (g) Quod temperandae legis causa principes indulserunt. Vnde tum & relicta convalescunt, & legis Cornene-

(a) *Inst. de pub. judic. lib. 4. tit. 18. §. 7.*

(b) *In enarrat. C. ad l. Corn. de falsi. Matth. de crim. hoc tit. Vlpian. apud auctorem collat. legum Mosaic. tit. de falso test. §. l. Divus ff. ad l. Cornel. de falsi.*

(c) *d. l. Divus ff. ad l. Corn. de falsi.*

(d) *Cujac. ad Afric. tract. 3. l. siquis ff. ad l. Cornel. de falsi.*

(e) *Cujac. loco citato.*

(f) *l. Divus. 19. ff. ad l. Corn. de falsi.*

(g) *d. l. & l. 2. C. de his, qui sibi adscrip. in test. l. 15. §. plane ff. eodem.*

Digitized by Google

neliae poena quieſcit. Idemque Senatus cenſuit in filia, quae dictante matre ſibi ex ignorantia juris adſcripſerat: (a) Et in ſervo, qui domini juſſu teſtamento, codicillisve ſibi libertatem adſcripſerat; ita tamen ut libertas ei ex fideicommiſſo praeſtetur; ſiquidem teſtator manu ſua poſt eam ſcripturam teſtamento, codicillisque ſubſcripſerit. (b) Poena vero locum habet teſtamento jam abſoluto: (c) neque eum tenet, qui degit ſub poteſtate ipſius teſtatoris, veluti filium fam. tamquam inſtrumentum, quod ab ipſomet patrefamil. exercetur. (d) Immo neque emancipato filio, qui ſolus ſit, eripitur hereditas, quam nullo coherede dato patre dictante ſibi adſcripſerat: nam ſi ex teſtamento non poſſet, caperet eam tamen hereditatem ab inteſtato, (e) unde huic non eripietur, niſi coheres datus fuerit, ad quem pars erepta transferatur. Porro excuſantur quicumque ratione poteſtatis, aut neceſſitatis parent imperio teſtatoris, ac eo jubente legatum ſibi adſcribunt, quibus aliquando etiam generalis teſtatoris ſubſcriptio ſuffragatur. (f) Quando vero Senatus, aut princeps veniam dabant ejus Senatusconſulti juſtis ex cauſis: (g) indulgentia illa tantum legis Corneliae poenis eximebat, legatum vero, aut hereditatem iis, qui ſibi adſcripſerant, minime condonabat. Porro ex Senatusconſulto vetatur adſcribere ſibi quis etiam in codicillis; quibus ſi adimatur quod heres, aut legatarius ſibi adſcripſerat in teſtamento, ceſſat Senatusconſultum. Alterum S. C. quod item ex Vlpiani apud col-

(a) *l. 15. §. 5. ff. eodem.*
(b) *loco cit. §. 2.*
(c) *l. ſi quis 6. ff. eodem.*
(d) *l. 1. ff. eod.*
(e) *l. quamquam 1. C. de his qui ſibi adſcripſ.* DD. *ad hanc l.*
(f) Cujac. *ad Africam. l. ſi quis legatum ff. ad l. Corn. de falſ.*
(g) *l. Divus 15. ff. ad l. Cornel. de falſ.*

collatorem legum Mosaicarum eruitur, prodiit Licinio, & Tauro Coss. quo ad poenam falsi trahuntur ii, qui fraudolenter inter se compararunt, ut
(a) l. 1. l. 9. ff. eod. mutuum sibi testimonium dicerent, (a) more Graecorum; de quibus vulgatum erat proverbium, quod legimus in Ciceronis oratione pro Flacco: *da mihi testimonium mutuum.* Tertium S. C. conditum fuit Cotta, & Messalla Coss. adversus eos, qui ob litem, & advocationem instruendam, testimoniaque cogenda pecuniam acceperint, societatemve coierint, aliove modo sese obstrinxerint. (b) Advocationis autem nomine venit quidquid ad opem ferendam, aut fidem faciendam in judicio comparatur. Quartum Senatusconsultum factum est duobus Geminis Coss. quo legi Corneliae de falso subjiciuntur, qui dolo malo adversus innocentem conspiraverint, & in illius periculum societatem inierint, ut eum in judicio accusarent. Vnde judicium ex hac lege datur in eos, qui accusatorem excitant adversus aliquem, & delatorem submittunt in causa etiam
(b) l. 1. l. 20. ff. ad l. Cornel. de falsi.
(c) l. 9. §. ult. ff. ad l. Cornel. de falsi. pecuniaria, (c) ubi non corpore, sed pecunia reus multatur; & in eos, qui ob denunciandum testimonium, hoc est ob evocandum, cogendumque ad testimonii dictionem, & remittendum, aut
(d) l. 1. §. 1. ff. hoc tit. dicendum, vel non dicendum (d) illud pecu-
(e) l. 1. §. 2. eod. l. qui duobus. §. 2. eod. niam acceperint, judicemve corruperint, (e) produxerintve falsas constitutiones, (f) aut edicta
(f) l. 1. l. ult. ff. eod. l. 4. & 20. C eod. publice proposita dolo malo induxerint, corruperint. (g) Item hac lege animadvertitur, & in eos,
(g) l. pen. ff. ad l. Corn. de falsi. qui aliquid fraudis commiserint in rationibus, tabu-

bulis, literis publicis, quo verum celarent, interverterent, obumbrarent; (a) aut per obreptionem quid a principe impetraverint, vel a magistratu ex rescripto Alexandri Severi; (b) aut nomine Praetoris literas falsas reddiderint, edictumve falsum proposuerint. Item qui duobus in solidum eamdem rem diversis contractibus vendiderit. (c) Judex etiam, qui contra principum constitutiones, & jus palam propositum pronunciat; & qui mentita judicis amicitia, & familiaritate sententiarum eventus vendunt, aliive cui negotio nomen illius praetendunt, hac eadem lege plectuntur. (d) Non solum enim scripturarum, sed & cujusque rei falsitas in hujus legis judicium deducitur: veluti si quis fraudandi animo aes inauraverit, aut inargentaverit, aut pro precioſiori metallo minus precioſum subjecerit, (e) aut falsum partum supposuerit; quo principum constitutiones legem Corneliam porrexerunt. Fraudem enim naturae, ac societati humanae facit, qui familiae familiam inserit alienam. (f) Cujus facinoris non publica est accusatio, neque ad quemlibet e populo pertinet, sicuti pertinent alia ex hac lege crimina; sed tantum ad parentes, qui nulla temporis praescriptione ab accusando repelluntur. (g) Nec opus est, ut ea quaestio ad pueri pubertatem differatur: praesto enim semper creditur esse mater, quae naturali caritate ac proprio pudore satis ad causae defensionem incitatur: (h) maxime cum de suo capite mulier periclitetur. Ad hanc etiam legem spectat crimen eorum, qui

(a) l. 16. ff. eod.

(b) l. si quis 29. ff. eod. toto tit. C. si contra jus, vel utilit. pub.

(c) l. qui vendiderit ff. eod.

(d) Paul. lib. 5. sent. tit. 25. de lege Corn. testa. §. ult.

(e) Paull. sent. tit. 25.

(f) l. qui falsi l. lege 30. ff. ad l. Cornel. de falsi. l. cum supposiți C. eodem ubi Cujac.

(g) l. lege 30. ff. eod. & jurisbus proxime cit.

(h) l. si partus 1. C. ad l. Corn. de falsi.

Digitized by Google

signum adulterinum faciunt, sculpunt, exprimunt, vel verum amovent, aut jam impressum resignant, (a) aut alienum chirographum imitantur: (b) aut qui per fraudem in alienam familiam irrepunt, insigne gentilitium, & cognomen alterius assumentes, aut imponentes, asseverantes sibi falsum nomen (c) dolo malo, quo aliquid non suum possideant, intercipiant; nam si fraus absit, liberum est nomen, aut cognomen, aut insigne mutare, suumque genus alia imagine significare. (d) quod Reges Galliae ter feciſſe Cujacius tradit. Primo enim tres coronas habuere, deinde lilia innumera, postremo ex constitutione Caroli VI. lilia tantum tria. (e) Porro Trajanus edicto suo legem Corneliam, ejusque poenam produxit ad eos, qui mensuras publicas cujusque generis probatas lucri sui causa corrumpunt, ac ponderibus utuntur adulterinis. (f) Lege quoque Cornelia plectitur, qui se pro millite gessit, vel illicitis insignibus est usus, aut iter fecit, sive, ut Jurisconsultus ait, viam commeavit falso diplomate, (g) nempe literis tractoriis, quas princeps dabat missis ab se, aut evocatis, ut in cursu publico vim omnem, aut molestiam evitarent, & stativis, mansionibus, aut diversoriis eodem in diplomate adscriptis, & imperatis uterentur. (h) Mulier porro neminem hac lege accusare potest, nisi ipsius mulieris interfit. Quod S. C. ad hanc legem cautum fuit. (i) Quamobrem si pupillus falsis instrumentis in judicio victus fuerit; Alexander Imp.

(a) l. lege ff. hoc tit. & l. ult. de pub. jud. §. item lex Corn. de falſ. Paull. ſent. 5. tit. 25.
(b) l. quid ſit 23. ff. eod.
(c) l. falſi 13. ff. ad l. Cornel. de falſ. Paull. ſent. lib. 5. c. 25.
(d) l. 1. C. de mutat. nomin.
(e) Cujac. ad l. 13. ff. eod. five ad lib. 15. reſponſ. Papin.
(f) l. pen. ff. eod. l. annonam. ff. de extraord. crimin.
(g) l. qui ſ. ult. ff. eod.
(h) Cujac. ad l. unic. tit. 32. de emendat. C. lib. 12.
(i) l. 5. C. de his, qui ac cuſ. non poſſ.

Digitized by Google

Imp. censuit non a matre, sed a tutore, vel curatore, quos habeat, accusanda.

CI.
DE LEGE CORNELIA NVMMARIA.

Verum nulla ex fraude damnum fert Respublica majus, quam ex adulteratione monetae: vitiatur enim sanguis, unde nutritur, a quo simul corpus omne putrescit. Cujus criminis ea est gravitas, ut praeter communem de falso, peculiarem a Sylla legem expresserit, quae Nummaria dicitur Asconio Pediano: (a) eaque tenetur, qui dolo malo precioſiori metallo deterius infuderit: (b) ut si quis argento publico, aut privato aes admiscuerit, aut aeri plumbum, quod crimen Tacitus Imperator capite puniendum duxit, adjecta bonorum proscriptione: (c) quod & ad legem quoque Juliam peculatus trahitur; nec mirum si unum idemque crimen pluribus legibus subjiciatur. (d) Item qui monetam attonderit, raserit, falsave imitatione imaginis adulteraverit, (e) aut solidi orbem circumciderit: ex his enim liberi quidem ad bestias damnantur; servi capite puniuntur. Solidum porro vix demum post Diocletianum fuisse pro nummo aureo acceptum docet Scaliger: haud admodum repugnante Jacobo Gothofredo. (f) Quibus fraudibus quisquis opem praestiterit, domumve praebuerit falsae monetae percutiendae, aut verae adulterandae, abradendaeve in eamdem incidet legem. Quapropter non licet percutere, aut signare monetam extra locum huic operi jussu publico destinatum: qui locus *moneta* dicebatur communi vocabulo cum percussa, & signata materia. (g) Verum sicuti ne-

(a) *in Praefat. Voban.*
(b) Cujac. *tit. C. de falsa moneta.*
(c) Vopisc. *in Tacit.* Cujac. *C. eodem.*
(d) Cujac. *ad tit. de falsa monet.*
(e) *l. 8. ff. ad l. Cornel. de falsa.*
(f) *C. Theodos. si quis solidi circ. exter. incid. l. unic. in fin.*
(g) Cujac. *tit. C. de falsa mon. l. 2.*

nefas est adulterare pecuniam, ita minime licuit probos nummos principis vultu signatos ob eam causam reprobare, quod imago principis minore orbe circumscriberetur; nam & ad eos, qui probam monetam recusant, poena legis Corneliae testis Paullo extenditur. (a) Pondere namque oportet aequali monetas consistere, non forma spatiove imaginis. (b) Constantinus autem foeneratores, sive nummularios, aut collybistas, apud quos pecuniae permutabantur, quibusque permutationis precium, quod collybum dicitur, adjiciebatur, flammis damnavit, si vel veterem monetam veterum principum vultu signatam reprobassent, vel minoris aestimassent, ut collybum, sive precium permutationis augerent. Nam ne avaritia foeneratorum, quae nunc in pecuniae neapolitanae permutatione grassatur, modum transiret, statuerunt suis constitutionibus principes, atque definierunt permutationis precium, & mercedem collybistarum. (c) Porro poena legis Corneliae de falso, si nummariam excipias, quae ultimum supplicium statuit, est regulariter deportatio, bonorumque omnium publicatio in liberis hominibus; in servis vero vitae privatio: ut docet Marcianus: (d) ut eximantur tamen ab hac regula graviores aliquot, aut leviores casus, quibus pro delicti ratione, vel exacerbantur poenae, vel leniuntur. Etenim falsi testes, quorum improbitate innocentes (e) capitalem sententiam subierunt, vel tabularii civitatum, qui suis fraudibus falsas immunitates tribuerunt, (f) aut qui alterius

(a) *ad l. Corn. de falsi. sent. tit. 25. lib. 5. in pr.*

(b) *C. Theodos. si quis solidi circ. exter. inc.*

(c) *Jac. Gothof. ad l. 1. C. Theod. si quis solidi exter. circul. circumcid.*

(d) *l. 1. §. ult. ff. ad l. Cornel. de falsi.*

(e) *l. 1. ff. ad l. Corn. de sic. §. 1.*

(f) *l. 1. C. de immun. nem. conced.*

Digitized by Google

terius concutiendi causa militiae, vel ordinis insignia sibi usurparunt, vel falsum partum (a), subjecerunt, morte damnantur: liberti vero, qui se pro ingenuis gesserint, lenius nempe infra deportationis poenam puniuntur: ne leviores casus aliquot attingam, qui judicis permittuntur arbitrio. (b) Claudius enim reo cuidam hujus criminis manus praecidi jussit. (c) Similemque poenam inflixit Alexander Severus, incisis digitorum nervis.

(a) l. 1. C. ad l. Cornel. de falsis.
(b) Duaren. hoc tit. cap. 3.
(c) Sueton. in Claud.

CII.

DE LEG. CORNELIA DE INJURIIS.

Non solum vero praecidit Sylla fraudes, sed pleniori actione a civibus avertit injurias. Quamvis enim actio ea descenderet etiam ex legibus XII. tabul. & ex edicto Praetoris; tamen obscurius, minusque distincte proponebatur. (d) Vnde lex Cornelia processit, injurias omnes comprehendens manu illatas, atque ut scribit Cujacius (e) atrociores. Ex qua in eos actio dabatur, qui pulsassent aliquem, & verberassent, aut in domum alienam irrupissent, (f) vel fraudolenter per tegulas, aliove modo se direxissent, unde directarii appellantur. Quorum auctores facinorum ita extra ordinem puniuntur, ut in exilium, aut in metallum, aut in opus publicum damnentur, (g) ac judicis est hodie pro gravitate delicti poenam definire. (h) Eademque lege repellebatur a judicando actoris gener, socer, vitricus, privignus, sobrinus, affinisve alius proximior, (i) & patronus. Distingnit autem lex Cornelia pulsationem, & verberationem: verberat enim qui cum dolore caedit, pulsat vero qui sine dolore, ut ex Ofilio docet Vlpianus. (k) Domus hac in lege accipitur pro domicilio quo-

(d) Duaren. tit. de injur.
(e) ad tit. C. de injur.
(f) l. 5. ff. de injur. Inst. de injur. §. sed & lex.
Paull. sent. 5. tit. de injur. ubi Cujac.
(g) Paull. l. cit.
(h) Cujac. C. de injur.
(i) l. 5. in pr. ff. de injur.
(k) l. 5. §. 1. ff. de injur.

libet, ubicumque quis moretur sive in proprio, sive in conducto, sive in villa, sive in hortis: ut si dominus fundum locaverit, non dominus agat contra illum, qui fundum introivit, sed colonus.

(a) *eadem lege.* (a) Porro cum quaereretur an pater possit ex lege Cornelia injuriam a filiofam. acceptam vindicare: placuit non posse: verum filium quidem habere actionem ex lege Cornelia, patrem autem praetoriam injuriarum: adeoque liberum esse filio ex hac lege agere, ut neque cavere cogatur patrem rem ratam habiturum. (b) Illud consultissime fuit hac lege introductum, ut liceat actori deferre jusjurandum, ut reus juret injuriam sese non fecisse: quo actoris existimatio redintegretur, & reus judicio eximatur. (c) Duplex autem eadem lege nascitur actio: criminalis nempe quae poenam irrogat reo, (d) quaeque docente Cujacio publica erat accusatio ex causis in lege Cornelia contentis; & civilis, quae a reo aestimationem reposcit injuriae. (e) Quas actiones qui non distinguant, valde sese involvunt, & in earum tempore definiendo dissentiunt: cum facile discordia componatur, si criminalis a civili separetur. Intelligemus enim illam utpote poenalem esse annuam; (f) hanc vero perpetuam, quippe civilem. Quae vero a scripto veniunt injuriae, hac etiam lege vindicantur: qua intestabilis esse jubetur, si quis librum in alterius infamiam conscripserit, composuerit, ediderit, etiamsi alterius nomine, vel absque nomine horumve quid faciendum curaverit: (g) & Senatusconsulto ad

(b) *l. 5. §. 6. 7. ff. de injur.*

(c) *l. 5. §. 9. hac lege 8. ff. injur. l. jusjur. 34. ff. jurejur.*

(d) *l. hoc accusare §. ult. ff. de accusat.* Cujac. *ad tit. C. de injur. & ad Paull. lib. 5. sent. tit. de injur. §. injur.*

(e) *l. constitut. 37. §. 1. ff. de inj.*

(f) Cujac. *C. de injur.*

(g) *l. 5. §. 9. ff. de injur.*

hanc

Digitized by Google

hanc legem condito subjiciuntur poenis legis, qui adversus aliquem injuriosum quidquam dixerint, aut epigrammata sive inscriptiones, aliudve quid etiam sine scripto, & voce, veluti picturam in alterius ignominiam protulerit, etiamsi nomen illius, in quem factum fuit, non adjecerit. (a) Nam si adjecisset, pateret etiam communis actio injuriarum ex legibus XII. tabul., & ex edicto praetoris. (b) Nec poenas effugiunt emtores, & venditores harum pestium, & descriptores: in quos omnes perinde atque in auctores, & in eos, qui auctores sollicitaverint, & impulerint, itemque & in illos, qui vulgaverint, nec statim inventa scripta combussissent poena capitis a principibus constituitur, tamquam in auctorem illius. (c)

(a) *cod. l. §. 10.*

(b) *l. 6. ff. eod.*

(c) *l. 1. C. de famos. libell. ubi* Cujac.

Cum hac lege Sylla texisset famam civium; alia texit vitam ab insidiis sceleratorum hominum, quae appellatur lex Cornelia de Sicariis, & veneficiis; & quamvis aliis armorum generibus vitae hominum appetantur; tamen quia Sicae usus commodior erat, & usitatior, ab ea legem placuit appellare. Est enim sica parvus ensis, ac retortus, (d) qui sub vestibus facilius latet, instar persici acinacis; unde a Cedraeno definitur μαχαίριον μικρὸν ἀ ἐφόρουν κρυφῆ. (e) & ab Athenaeo aprorum dentibus comparatur (f) quibus brevibus cultris, ac reflexis tractandis aperto spatio non erat opus, ideoque facilius homines iis peribant; quo magis usus interdicebatur ab antiquissimis usque temporibus. Plautus enim in Asinaria: *Ad tres viros ego deferam tuum nomen*

CIII. AD LEG. CORNELIAM DE SICARIIS.

(d) Joseph. *lib. 20. antiq.* Sigon. *de judic. in hanc leg.*

(e) Cujac. *in parat. ff. ad l. Jul. de Sicar.*

(f) *lib. 18. cap. 8.*

Digitized by Google

C. Quamobrem. C. Quia cultrum habes. C. Coquum decet.

Accuſaturum ſe minatur Euclio coquum, quod cultrum haberet; coquus vero reſpondit, ſibi ob culinariam artem non eſſe interdictum. Atque hominum ſane caedes vetuſtiſſima aetate XII. tabul. legibus & lege Sempronia per Graecum lata vindicabatur. (*a*) Lucius vero Sylla Dictator anno ab V. C. DCLXI. legem tulit ſeveriorem de ſicariis, veneficis, parricidis, una cum lege de falſis: quorum criminum perpetuas quaeſtiones ſub quatuor praetoribus inſtituit, ut colligitur ex Cicerone in Verrem. (*b*) Quae lex caedem quamlibet a quocumque ortam, ſive a pubere, ſive ab impubere, dummodo doli capace: (*c*) atque in quoslibet ſive liberos, ſive ſervuos, ſive peregrinos, ſive infantes, (*d*) & quibuscumque armis editam coërcebat: nam Homerus etiam infantis caedem ἀνδροκτασίαν appellat. Scribit autem Jurisconſultus nullam eſſe hac lege hominis occiſi conditionem exceptam: (*e*) nec intereſſe occiderit ne ipſe, an alius ab eo conductus: (*f*) item integrum ne, an mutilum hominem interemerit, dum ea eſſet forma hominis, in qua anima coaluiſſet: exceptis monſtris & prodigiis, quae lex XII. tabul. necanda, & ſtatim projicienda jubebat. (*g*) Neque refert mortem quis, an mortis cauſam, & occaſionem attulerit. (*h*) Vnde judex, aut Magiſtratus, qui accepta pecunia capitalem in reum ſententiam dixerit, aut auctoritate ſua dicendam curaverit, & judicii curſum ita dire-

xe-

(a) Cic. VVeſemb. *in parat. hoc tit. n. 1.*

(b) Sigon. *de judic. lib. 2. cap. 30.*

(c) *l. 1 § 2. l. 12. ff. ad l. Cornel. de Sic. l. inde Heratius §. ſi dolo ff. ad l. Aquil.* Matth. *de crim. hoc t.*

(d) *l. pen. C. ad l. Cornel. de Sicar.* Cujac. *6. obſerv. 22.*

(e) *l. 1. ff. eod §. & qui hominem*

(f) *l. 15. §. 1. ff. eod.* Matt. *ibid.*

(g) Matth. *ibid.*

(h) *l. 15. ff. ad l. Cornel. de Sic.*

Digitized by Google

xerit, ut quis necaretur ; in insulam ademtis bonis ex hac lege deportatur. (a) Ejusque legis poenam incurrit, qui dolo malo falsum testimonium dixerit, quo quis publico judicio damnetur : (b) item & qui falsa judicia confessus fuerit, confitendave curaverit, quo innocens perderetur ex Senatusconsulto hujus legis poenae subjicitur. (c) Cui subest etiam qui, etsi non occiderit, hominis tamen occidendi, furtive faciendi causa cum telo ambulaverit. (d) Lex enim haec unice dolum ulciscitur: unde neque caedem punit nullo interveniente dolo, veluti si cujus manu casu telum evolaverit; (e) neque dolum remittit, si non processerit: & quamvis nulla caedes intervenerit, caedis tamen consilium punit. Is enim Graecis est homicida, qui caedem animo intendit. nisi quis tam remisse aliquo in opere versetur, ut curam negligat alienae vitae: veluti si putator cum ramum ex arbore dejiceret ante non admonuerit, ut praetereuntes caverent: damnatur enim in metallum, si ramus decidens aliquem occiderit, sed non ex l. Cornelia. (f) Neque per hanc legem dolo lata culpa comparatur: sed quod ex lata culpa processerit, extra ordinem mitiori poenae subjicitur. Cavit etiam lex Cornelia contra servos fugitivos, si post mortem domini fugam capesserint, quo quaestionem elaberentur : attribuitque accusatori quinque aureos ex bonis occisi in singulos, quos convicerit servos, qui caedem admisissent : ac si aperto testamento domini servi iidem liberi facti inveniantur, ex vinculis causam dicere

(a) *l. 1. ff. eod.* Paull. *sentent. lib. 5. cap. 23. §. judex.*

(b) *l. 1. §. 1. ff. eod.*

(c) *l. 3. §. item ff. eodem.*

(d) Paull. *lib. 5. sent. tit. 23.*

(e) *l. 1. §. dibus ff. eod.* Paull. *lib. 5. sent. tit. 23. ubi Cujac.*

(f) Paull. *l. c. l. 1. §. Dibus ff. eod. l. in lege 7. ff. eod.* Cujac. *in sent.* Paull. *loco cit. § si putat 51.*

Digitized by Google

coguntur, convictique servi puniuntur, & qui convicerint denos aureos praemii a damnati bonis accipiunt. (a) Poena vero nata cum ipsa lege Cornelia, interdictio fuit aquae & ignis; postea deportatio in sublimioris conditionis homines: in conditionem vero mediam poena capitis: in infimam cruci affixio, aut ad bestias damnatio. (b) Tandem capitis poena comprehendit omnes. (c) Cumque sequentibus temporibus poenarum varietas legi Corneliae accesserit; ideo eas omnes ex lege Cornelia descendere Justinianus tradit: plerumque enim quae adduntur legibus, tamquam cum ipsis legibus orta traduntur, ut supra monuimus. (d) Legis hujus alterum caput est de veneficis, maleficis, & divinatoribus, quod a Marciano (e) quinto capitum numero ponitur. Eo enim crebrius homines venenis, ac malis hujusmodi artibus, quam gladio pereunt; quod ab occultis sceleribus poenae sunt remotiores. Romani vero antequam primaevam gentis honestatem peregrinis vitiis, & aliarum nationum commercio polluissent, ignari diu non modo poenarum, sed & criminum etiam fuere taliuni. Vnde cum crimine carerent, diu etiam abstinuere remedio: neque venenorum quaestionem instituerunt ante annum ab V. C. CDXXII. C. Valerio Flacco, & M. Claudio Marcello Coss. quo tempore patuit pernicioſa fraus mulierum, quae occulte per totam serpebat Vrbem. Ad quam investigandam ancillae in-

(a) *l. lege Cornel. ff. de S. C. Silan.*

(b) *l. 3. §. legis ff ad l. Cornel. de Sic.* Paull. *lib. 5. sent. t. 23.*

(c) *Inst. de pub. judic. §. item l. Corn. de Sic.*

(d) Cujac. *ad Paull. lib. 5. sent. tit. 23.*

(e) *l ejusdem 3 ff. ad l Corn. de Sicar.*

Digitized by Google

indicio magistratus excitati, matronas ipsas participes nefarii sceleris invenerunt. Quarum cum aliquot negarent, eaque venena non ad perniciem, sed ad morborum quorumdam curationem parata responderent, idque impudentius perseverarent; bibere coactae fraudem propria morte prodiderunt. (a) Cujus sceleris centum, & septuaginta damnatae fuerunt mulieres. Qui sexus ad rabiem pronior viribus exutus, & libertate, non mirum si se fraudibus armet, & pro gladiis utatur saepe venenis. Postea judicia haec lege Cornelia fuerunt administrata, eaque lex praelata etiam fuit legi, quam eadem de re postea Caesar Dictator tulerat. Venenum autem perinde atque apud Graecos (b) φαρμακον in bonam, ac malam significationem, prout res proposita postulat, accipitur. Poena veneficii eadem erat, ac sicariorum, nempe interdictio aquae, & ignis, aut deportatio: nunc vero ultimum supplicium, cui cum sicariis etiam venefici subjiciuntur, (c) sive praebuerint venenum; sive malo consilio retinuerint, vendiderint, emerint, attulerint, opemve praestiterint; sive non hominis perimendi, sed abortionis causa obtulerint, aut amatorium poculum propinaverint, unde quis vitam amiserit: (d) nam si vitam non abstulerint, & consilium necandi non habuerint, quamvis lege Cornelia non teneantur; tamen propter periculum, quod intenderunt, quasi contra legem fecerint, honestiores quidem bonorum parte multati mittuntur

(a) Livius lib. 8. c. 18.

(b) Homer. in Odiss.

(c) Paull. sent. 5. tit. 23. in pr. Matth. de crimin. tit. 6. ff. l. 48. de Sic. cap. 3. & cap. 5. num. 3.

(d) l. 3. ff. ad l. Cornel. de Sic.

Digitized by Google

(a) *l. si quis 38. §. qui abortionis ff. de poenis.*

tur in insulam ; humiliores in metallum. (*a*) Plura vero Senatusconsulta, quorum non omnium auctores, aut tempora certa producuntur, sententiam legis aliquando latentem ad species non expressas extenderunt : quorum primum est illud, quo relegatur quisquis non malo animo, sed ad conceptionem medicamentum dedit,

(b) *l. 3. §. 2. ff. ad l. Cornel. de Sic. l. 38. §. 5. de poenis.*

si mulier medicamento accepto perierit. (*b*) Alio S. C. plectuntur pharmacopolae, atque pigmentarii, fuçique artifices, qui noxias herbas ad eluendum, purgandumve corpus dederint, vendiderint,

(c) *l. 3. §. 3. ff. ad l. Cornel. de sicar.* Cujac. *15. obs. 27. &* Gothofred. *ad l. 3. ff. hoc tit. qui omnia venena recenset.*

(*c*) quibus viscera vitiantur ; veluti cantharides, quae cum urinae suppressione vesicam exedunt. Porrigitur etiam per SCtum eadem lex Cornelia ad eos, qui adversus naturam ingrati, summum illius donum virilitatem sibi, aut aliis praecidunt: sive se, aut alios voluptatis, aut lucri, & ut JCtus loquitur, promercii, libidinisve causa castraverit, ut exectis testibus sine muliebri pudore muliebrem mollitiam ; & virilem audaciam sine virili robore praeseferent : quod est in utroque sexu deterrimum in sui unius personam contrahentes ; pestiferosque mores in animos potentiorum effractis, atque obscoenis cantionibus infundentes: ut non mirum si aliquando praemia virtutibus debita, cinaedis, lenonibus, ac meretricibus unice pateant. Quibus ut malis Respublica eriperetur ex Senatusconsulto, lex Cornelia ulciscitur eos, qui castrant

(d) Paull. *sent. lib. 5. tit. 23. l. 4. §. 6. ff. hoc tit.*

invitos, (*d*) eos vero, & qui non invitos castraverint, constitutione sua damnavit Adrianus, qui & medicos virilia excindentes morte pu-

Digitized by Google

punivit, (a) & eos, qui ſponte ſe caſtrandos praebuerunt. Ac Heratio Priſco, & Annio Vero Coſſ. S. C. prodiit in eos, qui ſervum ſuum caſtrandum obtulerint, ut in dimidia bonorum parte multarentur. (b) Senatusconſulto etiam trahitur ad poenas hujus legis is, cujus familia ſciente eo adipiſcendae, aut recuperandae poſſeſſionis cauſa venerit ad arma; item & qui ſeditionis auctor fuerit: (c) quae quamvis reſpiciant etiam ad legem Juliam de vi; novum tamen non eſt, ut eodem de crimine duplici lege caveatur, ut jam ſignificavimus. Qui omnes pro eorum gradu, atque ordine, aut in crucem tolluntur, aut beſtiis objiciuntur, aut in inſulam deportantur. (d) Et praeterea, qui naufragos per vim ſuppreſſerit, quo minus opem ſibi ipſis ferrent, vel navim periculo eximerent, ex S. C. hujus legis poena tenetur. (e) Quo pertinet aliud S. C. Claudianorum temporum de illis, qui ex naufragio clavos, vel unum ex his abſtuliſſent, ut omnium rerum nomine teneantur (f) quod etiam convenit cum titulo de furtis. (g) Circumcidere quoque vetitum eſt omnibus, praeterquam Judaeis, filios ſuos: (h) ceteri enim caſtrantium poena ex hac lege tenentur. Id autem Judaeis conceſſum putatur ſimul cum exercitio religionis ſuae: unde prohibetur aliis, qui non religionis, ſed munditiae cauſa id uſurpabant, ut AEgyptiis, de quibus Herodotus, qui ab illis Colehos profectos argumentatur, quod & hi circumciſione uterentur. Ab AEgyptiis vero putat eumdem ritum accepiſſe Phoenices, & Syros, qui

(a) *l. 4. in f. ff. eodem.*

(b) *l. 6. ff. eod.*

(c) *l. 3. §. item is ff. ad l. Corn. de ſicar.*

(d) *Paull. ſent. lib. 5. tit. 23.*

(e) *l. 3. in f. ff. de incend. ruin. naufrag.*

(f) *l. 3. §. 8. eod.*

(g) *l. 21. ff. de furt.*

(h) *l. circumcidere ff. ad l. Corn. de Sic. Paull. 5. ſent. tit. 23.*

Digitized by Google

qui erant in Palaestina, & AEthiopes; minime gnarus hujus institutionis auctorem fuisse DEum, & ex divino praecepto Abrahamum: qua de re Origenes Celsum admonuit. (a) Ad nefaria etiam sacrificia ex Senatusconsulto legis hujus poena porrigitur, ut si quis impia sacra nocturna fecerit, faciendave curaverit, quo aliquem incantaret, interficeret, obligaret; quive hominem immolaverit, ejusve sanguine litaverit, fanum, templumve polluerit: humilior quidem cruci affigeretur; honestior vero capite plecteretur: Tiberio, & Adriano decernente. (b) Feralis autem haec, atque stygia superstitio non minus horrenda est, quam vetusta. Homines enim enormes moribus, & errabundi mente, quasi Deus immanitate delectaretur, scelera sceleribus expiabant, & publicam calamitatem oblatione cariorum pignorum, immo & regiae prolis mactatione propulsare studebant, si ita superstitio popoposcisset. Hinc illa fabulosa de Saturno, qui filium unicum Coelo patri, fami, pestilentiaeque avertendae immolavit. (c) Ab hac fabula dira superstitio de gente in gentem dilapsa Chananaeos incessit, qui liberos Molocho Idolo comburebant (d) & Phoenices eorum finitimi peste, aut fame ingruente regum filios nefario ritu devotos Diis mactabant. (e) Et AEgyptii ad sepulchrum Osiridis homines Typhoni colore similes, nempe rufos, qui ea in regione rariores erant; ideoque peregrinos ad immolandum auferebant; unde origo fabulae de saevitia Busiridis in advenas: Osiridis enim tumulus aegyptia lin-

(a) Marsham. *saec. 5. vers. circumcisio pag. 74. & 75.*

(b) Cujac. *ad Paull. sent. 5. cap. 23. §. qui hominem immolaverit, ubi* Cujac. *& §. qui sacra.*

(c) Eusеb. *de praepar. evang. lib. 1. cap. 1.*

(d) *2. Reg. 15. 31.*

(e) Eusеb. *de praepar. evang. lib. 4. cap. 16.*

Digitized by Google

lingua Busiris appellabatur. (a) Gallos etiam refert Caesar in suis calamitatibus, aut immolare pro victimis homines, aut immolandos vovere consueviſſe. Nec ejusmodi caedibus abstinuere Graeci, utcumque omnium cultissimi, quod in fabulis ab exemplo Iphigeniae discimus; neque Chartaginenses, utpote a Phoenicibus oriundi, qui Saturno sanguine humano litabant: immo nec Latini, qui victimas humanas caedebant Aegeriae Deae, ut opus fuerit, quod Plinius memorat sexcentesimo quinquagesimo septimo demum anno ab V.C.S.C. prohibere ne homo immolaretur. (b) Adeo insederat omnibus, non posse Deorum numen aliter placari, nisi pro salute hominis hominis vita redderetur. Nec tanta calamitate urgebantur a Diis, quantam ipsi sibi producebant, ut longe minorem illam ab se deprecarentur. Scelera haec igitur omnia sub eo legis Corneliae capite comprehenduntur, quo venefici, maleficique damnantur. Malis enim artibus non minus, quam venenis homines e vita tolluntur. Ideo aliis S.C. hoc legis Corneliae caput productum fuit ad divinatores, ariolos, magos, aruspices, astrologos, vaticinatores, aliosque Chaldaearum artium professores, qui in aliorum perniciem sortes conjiciunt, aut astra consulunt. (c) Et quoniam hi mathematicarum scientiarum auctoritate fraudes suas protegebant; ideo damnati sub mathematicorum appellatione fuere: cum alioqui nihil honestius matheſi, nihil humanae naturae conducibilius, unde in damnatione minime

(a) Diod. *Sicul lib.* 1 Marsham. *saecul.* 5 *verbo* Busiris *pag.* 77.

(b) Plin. *lib.* 30. *cap.* 1. *vide* Montan. *in not. var. in Caes. lib.* 6. *de bell. Gallic. pag.* 230.

(c) Paull. *sent. loc. cit & toto tit. C. de malefic. & mathem.*

Digitized by Google

continentur geometricae artes; non enim fuerat id vocabulum dehonestatum : (a) adeo ut nomine secernantur honestiores professores a communi mathematicorum appellatione, qua magi, & incantatores abutebantur. Contra quos ex Tacito patet quantopere leges exarserint: etsi semper levitas vulgi umbras ipsis rebus anteferentis, potestatem legum exsuperaverit. Legis autem Corneliae poena non modo docentes, & exercentes, verum & discentes, & conscios malarum artium tenet, non sine aliquo tamen discrimine, (b) nam conscii, vel tollebantur in crucem, vel bestiis objiciebantur; ipsi vero magi vivi comburebantur cum suis libris, ut non modo exercitium, sed ipsa quoque scientia plecteretur. Supererant medici, qui non suo, sed fallacissimae artis, atque anciptis doctrinae vitio non raro mortem afferunt inopinantes: ut plures aliquando medicina vitas hauriat, quam gladius, & venenum. Sed inhumanum esset in crimine infontibus ponere naturae obscuritatem, & ignorantiam causarum involuntariam: unde lege Cornelia subjicitur poenis tantum imperitia & imprudentia medicorum: si forte medicamen ad salutem oblatum artis inscitia, vel medici negligentia aegrotum interemerit: ac tum honestior quidem medicus in insulam deportabitur, humilior vero capite punietur. (c) Tandem incendiarios, qui data opera in Vrbe incendium excitassent, & si vetustioribus legibus obnoxios, punivit etiam lex Cornelia: per quam humiliores bestiis objiciantur;

(a) *Lartem 2. C. de malef. & mathem.*

(b) *l. 2. & seq. C. de malef. & mathem. Paull. 5. sent. 23. §. magicae artis.*

(c) *l. Illicitas. §. sicut. ff. de off. Praefid. Paull. sent. hoc tit. in fine.*

Digitized by Google

untur; honestiores, qui locum, & gradum in Vrbe aliquem teneant, aut capite plectuntur, aut in insulas deportantur. (a)

(a) *l. ult. §. ult. de incend. ruin. naufrag. l. 10. ff. ad l. Corn. de Sicar. & l. 1. ff. eod.*

CIV.

DE LEGE CORNELIA, ET POMPEIA DE PARRICIDIS.

Capite legis Corneliae de Sicariis inclusum erat caput aliud veteris legis adversus parricidas: quam veterem legem alii pro lege XII. tabul. interpretantur, ut Jacobus Gothofredus; (b) alii minime. Romulus certe tantum facinus ne opinione quidem, aut conjectura praesumens, nulla illud lege coërcuit: etsi poenas de hominum caede constituerit. (c) Neque in veteres Romanorum sanctissimos mores tam detestabile scelus irrupit ante annum ab V. C. sexcentesimum, (d) quo tempore L. Hostius parentem occidit, cui accessit caedes alia, quam habemus ex epitome Liviana. (e) Fertur enim Publius Malleolus matrem sustulisse de vita: ideoque veteri lege de parricidis insutum culeo, simul cum cane, vipera, simia, & gallo gallinaceo mersum in mare fuisse. Quod parricidarum supplicium ex vetusta lege descendens Sylla confirmavit: ut ex Rosciana Ciceronis oratione docemur, praeteremque certum, ac perpetuum huic judicio praefecit cum antea deesset. (f) Quia vero culei poena repetebatur in capite legis Cornelia, quo Sicarii, parricidaeque continebantur; ideo scribit JCtus (g) parricidas, qui post legem Corneliam lege Pompeja quoque damnabantur, teneri lege Cornelia de Sicariis, hoc est eadem poena culei, quae repetebatur in L. Cornelia de Sicariis: (h) Qua eo sup-

(b) *in C. Theod. lib. 9. tit. 17.*

(c) Plut. *in Rom.* Aut. Aug. *in hanc l.* Sigon. *de judic. lib. 2. cap. 31.*

(d) Aut. Aug. *in hanc l.*

(e) *lib. 63.*

(f) Sigon. *lib. 2. de judic. cap. 31.* Pomp. *ff. de orig. jur. l. 2. §. capta.*

(g) *l. 1. ff. ad l. pomp. de par.*

(h) *Inst. de pub. judic. §. alia deinde lex.*

supplicio puniebatur parricidium. Ne nos decipiant Duarenus, & Jacobus Gothofredus: (a) qui sublatam censuerunt poenam culei per legem Pompejam, atque communem de Sicariis substitutam in parricidio putaverunt: cum tamen lex Cornelia de Sicariis, quo lex Pompeja refertur, peculiarem cullei poenam in parricidio repeterit. Quae sane poena obsolevit recentioribus Imperatorum temporibus, (b) ejusque loco successit damnatio ad bestias, si mare proximum non esset; & ignis quo vivi comburebantur, quod breviſſimum supplicium Lucianus judicat. (c) Sane Augustus parricidarum poenas levaverat, easque nonnisi confessis imposuit: ac tamquam scelus hoc nemo admittere auderet, ejusmodi reos ita interrogare solebat: *certe patrem tuum non occidisti?* (d) Constantinus tamen poenam cullei jam intermissam reduxit. (e) Nulla vero poena parentes prisco aevo tenebantur, si liberos occidisset: cum prisca patriae potestatis vi nihil parentibus non liceret in personam liberorum. (f) Igitur legem Corneliam excepit lex Pompeja de parricidiis lata Cn. Pompejo Cos. ex qua utpote posteriori, & uberiori, deinceps judicia haec exercebantur. (g) Atque ad idem crimen Cn. Pompejus retulit caedem omnium ascendentium, & descendentium, collateralium etiam cognatorum, & conjugis patronorum, (h) poenamque ad conscios extendit, etiam si fuerint extranei, (i) & ad illos quoque, qui venenum emerint patri suo propinandum, etsi sceleratum consilium sibi

(a) *C. Theod. lib. 3. tit. 15.*

(b) Paull. *sent. 5. cap. 24. l. 4. ff. ad l. Pomp. de parric.*

(c) Lucian. *de mort. peregr.* Cujac. *C. de iis, qui parent. occid.*

(d) Sueton. *in Aug. cap. 33.* Senec. *de clem.* Cujac. *parat. C. de his qui parent occid.*

(e) *l. unic. C. eod.*

(f) *l. in suis 11. ff. de lib. & posth.* VVesemb. *parat. ad l. Pomp. de parric.*

(g) Sigon. *de judic. lib. 2. cap. 31.*

(h) *l. 1. ff. ad l. Pomp. de parr.*

(i) *l. utrum ff. eod.*

Digitized by Google

fibi (a) non processerit. Neque hujus criminis persecutio tempore tollitur: atrocitas enim illius exigit, ut ultrix poena in scelerata capita perpetuo impenderet. (b) Itaque lege Pompeja tenetur non modo qui patrem, matrem, avum, aviam, filium, filiam, aliumve quem ex adscendentibus, & descendentibus; sed & qui fratrem interemerit, sororem, patruelem, quem Cujacius (c) interpretatur natum ex eodem patre, diversa matre, matruelem nempe, ex eodem Cujacio, eadem ex matre genitum, alio vero patre, sive uterinum; patruum, avunculum, amitam, consobrinum, consobrinam, uxorem, virum, generum, socrum, vitricum, privignum, privignam, patronum, sponsum, novercam: quae personae non omnes verbis legis, sed sententia continentur illius: nec excipiuntur ii, quorum dolo malo aliquid tale contigerit. (d)

(a) *l. 1. inf. ff. eod.*

(b) *l. 10. ff. eod.*

(c) *observat. lib. 6. cap. 17.*

(d) *l. 1. ff. ad l. Pomp. de parr.*

CV.

DE LEGE TITIA, PUBLICIA, ET CORNELIA DE LUST.

Supereſt e legibus Corneliis da, quae ad lusum pertinet, quam Hotthomannus L. Syllae tribuit. (e) Qua vetustiores communi judicio fuere lex Publicia, & Titia, quae forsan illae sunt, quas Talarias Plautus (f) appellavit in Milite glorioso ibi:

(e) *l. 3. ff. de aleat.*

(f) *act. 2. sc. 2. ver. 9.*

Atque adeo ut ne legi fraudem faciam Talariae,
Accuratore ut sine talis domi agitent convivium.

Quos versus perperam Gronovius refert ad rationem ludendi praescriptam legibus convivalibus,

Digitized by Google

quas ipsi sibi convivae statuebant: non enim Periplectomenes omnino talos domo sua prohibuisset. Non solum autem aleae nomine venit jactus talorum e turricula, & fritillo, sed fortunae qualiscumque lusus. Nam ex S. Cto vetitum est in pecuniam ludere, sponsionemve facere, ut scilicet qui vicerit propositam pecuniam auferat, (a) (a) exceptis ludis ad virtutis exercitium institutis: veluti si hasta certetur, cursu, saltu, lucta, pilive jactu, pugna. (b) Ad quod S. C. Justinianus (c) constitutionem suam accommodavit: ceteris enim ludis damnatis excepit hos, quorum frequens erat olim certamen in campo Martio, & magna celebritas in Graecia: ubi πενταθλα nomine comprehendebantur quinque ista certamina, & concursus eorum simul appellabatur πάμμαχον, ut scribit Hyginus. (d) Praeter hos autem ludi omnes vetantur, etiamsi pecunia non apponatur, sed ejus loco lupini ad precium significandum, (e) vel aurum comicum, quod & pro lupinis apud Plautum accipit Muretus, & Turnebus. (f) Invisa vero maxime legibus est alea, qua homines mutuis fraudibus exhauriuntur simul, & inter se irritantur: ut profuso patrimonio rapinis, & caedibus rei familiaris lacunam explere conentur: ideoque aleatorum genus legibus infame habetur. Vnde de Lenticula aleatore a M. Antonio restituto, tamquam de homine turpitudine notato Cicero (g) loquitur. Ideo Aedilibus mandabatur, ut illorum

(a) *l. 1. ff. de aleator.*

(b) *l. qua actione 7. §. si in colluctat. ff. ad l. Aquil.*

(c) *l. 1. C. de aleator.*

(d) *Vid. Meurs. in Graec. ludibun. l. athletae ff. bis qui not. infam.*

(e) *l. 1. C. de aleator.*

(f) *g. adversar. cap. 19.*

(g) *lib. 1. de off. l. 26. ff. de injur. l. fugitivus ff. V. S. Cic. Philip. 2.*

Digitized by Google

coetus ab Vrbe, ac popinis omnibus arcerent: unde illud. (a)

Nec timet AEdilem moto ſpectare fritillo.

Nec modo jure civili actio denegatur, & retentio ei, qui alea vicerit; (b) ſed qui victus pecuniam ſolverit condictione indebiti rem ſolutam repetet ex conſtitutione Juſtiniani: (c) quae condictio non tollitur minori praeſcriptione, quam 30. annorum. (d) Et qui domum ſuam praebuit aleatoribus nullum a legibus adverſus furta, injurias, & rabinas habet auxiſium, nullam actionem, qua res ablatas vindicet, vel damnum reſarciat; immo & ejus domus publicatur (e) quique alium ludere compellat, multatur, aut in vincula publica, vel in latomias conjicitur. (f)

Ac de hiſce criminibus hactenus, nunc furta occurrunt, de quibus latius in legibus XII. tabul. unde actio furtiva proficiſcitur. Ex legibus autem aliis eo ſpectantibus monumentum ſupereſt legis Hoſtiliae, cujus certum tempus ignoratur. Vnde dubitat Antonius Auguſtinus *de legibus in praetermiſſis*, a Regibus ne proceſſerit, an a Coſſ. an a Tribunis? Hotthomannus conſularem exiſtimat, eamque adſcribit A. Hoſtilio Coſ. cum collega Attilio, anno Vrbis DLXXXIII. Niſi potius eam cum Antonio Aug. arceſſamus a C. Hoſtilio Mancino, qui collegam habuit M. AEmilium Lepidum Perſinam an. DXVI. Vt hujus autem ſententiam legis aſſequamur, me-

(a) Senec. *de vita beat. cap. 7.*
(b) Cujac. *parat. C. de aleat. luſu, & aleat. in ff. l. in exceptionibus ff. de probat. l. ult. §. 1. ff. quar. rer. act. non dat. l. pen. ff. de naut. foen.* Cujac. *lib. 9. obſ. 28.*
(c) *l. 1. C. de aleator.*
(d) *l ult. C. eod.*
(e) *C. de aleator.* Cujac. *parat. ib. & l. 1. ff. de aleator.*
(f) *l. 1. § ult. l. 2. ff. eod.*

CVI.

De Furtis.

miniſſe oportet prisco XII. tabul. jure nullis in cauſis permiſſum fuiſſe judicio adeſſe per alium; quam poſtea neceſſitas legem ſolvit, & copia negotiorum, atque frequens, ac longa in varias regiones peregrinatio civium, quae obtinuit, ut ſaltem in cauſis civilibus agere, ſeque defendere per alium liceret; minime vero in criminalibus, (a) praeterquam in furto ex lege Hoſtilia, quae indulſit, ut furti agere liceret nomine illius, qui apud Hoſtes infortunio ſuo reperiretur, aut abeſſet Reipub. cauſa; (b) item & ejus pupilli nomine, quorum tutores ex cauſis iisdem impediuntur. Ceterum generaliter, definitum eſt, ut excuſationes abſentium ex S. Cto judicibus allegentur, & ſi juſtam rationem habeant ſententia differatur. (c)

(a) *l. 13. §. 1. ff. pub. judic.*

(b) *Inſtit. de iis per quos ager. poſ.*

(c) *l. 13. §. 1. ff. publ. judic.*

CVII. De Lege Fabia de Plagiariis.

A furtis transeamus ad plagium, quod etſi a furtis diſtet, eis tamen videtur affine. Dictum eſt plagium a graeco πλάγιος, quod ſignificat obliquus, in latus verſus, transverſus: ut hujus natura criminis exprimatur, quae tota componitur a dolo, fraude, verſutia. Plagium enim ſuppreſſio eſt liberi hominis, aut ſervi alieni. Quod olim crimen vindicabatur lege Cornelia *de plagiis* lata, cujus veſtigium reperitur apud Apulejum, (d) apud quem iſta legimus: *Crimen legis Corneliae incurram, ſi civem Romanum pro ſervo vendidero*, quae lex obmutuit poſt latam legem Fabiam fortaſſe luculentiorem, ex qua deinceps judicia ſunt agitata, cum ex ea hoc redactum fuerit inter judicia publica, quale ut Cujacius (e) exiſtimat, lege Cornelia non erat: niſi audiamus

(d) *l. 8. metamorphoſ.*

(e) Cujac. *parat. C. adl. Fab. de plag.*

Dua-

Digitized by Google

Duarenum, qui a Diocletiano factum esse hoc publicum judicium suspicatur. Quo minus assentior iis, qui legem hanc arcessunt a Q. Fabio Leone, & Claudio Marcello Coss. qui magistratum gesserunt anno ab V. C. DLXXI. diu ante Syllam. Si enim Syllana lex fuisset Fabia posterior, haec non illa obsoleviſſet: usitatius enim est ut judicia ex novis, quam ex veteribus exerceantur legibus: nisi non a Sylla Dictatore, sed ab alio ejusdem familiae longe hoc antiquiori latam hanc legem Corneliam auguremur. Ceterum Fabia minime punit eum, qui vi abstraxerit hominem liberum, aut servum surripuerit alienum: sat enim alterum horum lege Julia de vi, alterum furti accusatione vindicatur: sed damnat eum, qui hominem sive libertinum, sive ingenuum celaverit invitum, aut vinctum habuerit, vendiderit, emeritve sciens dolo malo, aut fuerit hoc in genere alieni criminis conscius; vel servum, aut servam alienam induxerit, ac sollicitaverit ad fugam; vel eum, eamve invito, vel imprudente domino, dominave celaverit, vinctum habuerit, emerit, vendiderit sciens dolo malo, aut horum fuerit conscius criminum. Eadem lege continebatur, ut si servus plagium commisisset, dominus ejus pecuniam pro servi crimine penderet, & servus per decennium adipiscendae libertatis spem amitteret. (a) Ad hanc legem S. C. accessit, quod Cujacius (b) refert ad Alexandri tempora, Modesto, & Probo Coss. Ex eoque fugitivorum servorum venditio ad legis Fabiae poenam

(a) *l. lege Fabia 12. ff. de manumiss. ad quam* Cujac. *lib. 50.* Paull. *ad edict. l. in bello §. si in captivis ff. de captivis.*

(b) *Parat. C. ad l. Fab. de plagiar. & obs. 17. sap. 10.*

nam redigitur, etiamsi dominus ipse venditor servi sit in fuga constituti; sive ut eleganter JCtus ait, si ipse dominus fugam servi vendat: (a) ne venditione servi dominus omittat accusare plagiarium, qui forte fugam suasisset, atque hac ratione reus emto servo judicium, cui propter publicam disciplinam est subjiciendus, elabatur, ut interpretes graeci opinantur: (b) alii vero alias rationes pro suo cujusque arbitrio comminiscuntur. Poena vero cum ipsamet lege orta pecuniaria erat, (c) postea cum visa esset levior, plagiarii damnari consueverunt in metallum. (d) Diocletianus (e) poenam capitis adjecit, quam poenam extendit Constantinus in eos, qui filios viventibus parentibus abducunt: qua explicanda lege se implicuit Alciatus; cum levi literarum adjectione nodum solvere potuisset, legitur enim initio legis (f) *metalli poena teneantur:* qui locus palam repugnat sequentibus verbis, ubi statuitur poena capitis. Lectionis igitur integritas petenda est cum Cujacio, & Duareno e C. Theodosiano: unde legem desumsere, ubi pro *tenebantur*, legitur *tenebantur*. (g) Instituitur autem ex hac lege judicium sicuti ex lege Aquilia, etiam mortuo eo, in quem plagium fuit commissum. (h) Qui vero pro *Fabia Flaviam* nuncupant palam redarguuntur erroris a C. Theodosiano, & a M. Tullio, qui hujus legis meminit in orat. pro Rabirio. Refert item Vlpianus leg. pr. ff. de fugitivis S.C. ne fugitivi admittantur a rusticis in saltus, aut protegantur: & ut intra viginti dies dominis reddantur, aut apud magistratus exhibeantur, quo poena evitetur. Item ut

(a) *l. 2. ff. ad l. Fab. de plagiar.*

(b) Matth. *de crim. ad lib. 48. ff. tit. 12. cap. 2.*

(c) Cujac. *ad Paul. 50. ad edict. sive ad l. 12. ff. de manumiss.*

(d) *l. ult. ff. ad l. Fab. de plag.*

(e) *l. 7. C. eod.*

(f) *l. ult. C. ad l. Fab. de plag.*

(g) *C. Theodos. hoc tit. ubi* Gothofred.

(h) *l. 3. § illud ff. eodem.*

Digitized by Google

ut liceat militi, vel pagano fugitivos investigare, etiam in praediis Senatorum, aut paganorum. Additum & SCto Modesto Cos. facto, ut fugitivos inquirere volentibus literae ad Magistratus dentur.

CVIII. DE LEGE REMMIA, PETRONIA, ET S.C. TVRPILLIANO.

Quoniam leges criminum ultrices exposuimus, nunc ad leges transeamus rationem, & viam eorum ulciscendorum, praeter leges Julias judiciarias, aperientes. Primaque omnium, quarum superstant in jure nostro vestigia, lex occurrit Remmia, & S. C. Turpillianum: quibus veritas, pulsa falsitate, atque mendacio in judiciis restituitur. Ac lex quidem Remmia incertis nominibus producitur. Menia enim aliquibus appellatur, aliis Memmia, tamquam a latore Cajo Memmio Tribun. pleb. Scipione Nasica, L. Bestia Calfurnio Coss. anno DCXLIII. quod excogitavit Hottomanus, qui & hoc pro hujus legis capite affert: ne scilicet eorum, qui absunt Reipub. causa, inter reos nomina reciperentur. Verum Remmiae nomen tuentur acriter Antonius Augustinus, Cujacius, Duarenus, aliique plures: quamvis enim in Ciceronis codicibus (a) varie legatur, Remmia tamen constanter scribitur in Pandectis florentinis, aliisque codicibus juris civilis. (b) Tempus auctoremque certum hujus legis, neque nos, neque alius quisquam, quod sciam invenit: ac ne quis nomen admittere nolit, Cujacius probat (c) esse Romanum, profertque Q. Remmium Palaemonem libri de ponderibus, & artis grammaticae scriptorem. Igitur calumniatores praeter poenam talionis, cui subjiciebantur, quando deferentes nomen rei, (d)

(a) *Pro Sex. Roscio Amer.*
(b) *l. 3 ff. de test. l. 1. §. 2 ff. ad S. C. Turpill.*
(c) *ad l. 13. ff. de testib. sive ad lib. 1. Papin. de adulter.*
(d) *l ult. C. de calumniat. Cujac. ibid.*

Digitized by Google

quem accusabant, se subscribebant in crimen, ut eorum delatio reciperetur a Praetore, (cujus arbitrii erat recipere, aut non in reos delata nomina) (a) ex lege Remmia subibant infamiam imprimenda in earum fronte litera K. (b) Eaque poena in eos tantum cadebat, qui publico, non privato in judicio calumniam intendissent. (c) Hinc lege Remmia damnati dicebantur frontis non integrae; unde dubitabatur, an eorum testimonium esset in judicio recipiendum, (d) quia si alius hominis pudendae famae, integrae tamen frontis testimonium rejicitur; majori ratione illius, qui nec famam, nec frontem habet integram testimonium rejicietur. Sed quia legis Remmiae verbis non excludebatur: reliquum est, ut judicis officio fuerit excludendum. (e) Ad hanc legem S.C. illud pertinet, quo calumniae publici judicii damnatis, apud pedaneos judices postulare prohibetur. Quod S. C. tum nullo nomine innotescit, supereste que tantum illius mentio apud Vlpianum. (f) Eo S. C. significatur ex Raevardi sententia pedaneos judices non solum fuisse privatos cives a Praetore ad causam cognoscendam datos, verum & ordinariam aliquando auctoritatem ad certum causarum genus habuisse, jus dicentes non e sella curuli, aut pro tribunali, sed in subselliis. Cum enim postulare nihil sit aliud, quam desiderium suum aperire apud eum, qui jurisdictioni praeest; & pedaneos judices jurisdictioni praefuisse colligitur; si apud eos aliqui dum ne calumniatores essent, postulabant. (g) A calumniatoribus transeamus ad ter-

(a) Sigon. *de judic. lib. 2. cap. 10.*

(b) Cic. *orat. pro Rosc. Amer.* Plin. *in paneg. Julian. ad Antiochen.* Cujac. *tit. C. de calumniat.*

(c) Cujac. *ad l. 13. ff. de testib.*

(d) *l. 13. ff. de testib.*

(e) *l. 13. ff. de testib.* Cujac. *obs. lib. 7. cap. 13.*

(f) *l. 1. §. remotos. 6. ff. de postulat.*

(g) Raevard. *lib. 3. conject. cap. 10.*

Digitized by Google

tergiversatores, nempe ad eos, qui accusationem intentatam destituunt: & ad quasi tergiversatores, qui mora sua reis prosunt ad effugiendum judicium, dilabente tempore a legibus praefinito. In hos igitur, qui cunctando reis beneficium legis impertiunt, conditum est S. C. Turpillianum, sive lex Petronia Nerone imperante (a) a Petronio Turpilliano lata, & a Senatu adprobata. Nescio vero an hujus legis capita fuerint ea, de quibus legis Petroniae nomine alibi tractatur, nempe de sententia pro libertate dicenda, de servis pugnam cum bestiis poenae causa commissuris; quorum capitum Hottomannus auctorem quoque facit Petronium Turpillianum. Ac forsan unius legis plura fuere capita, quorum illud de tergiversatoribus transiit in S.C. quod habemus in manibus. Poena hoc ex S. Cto descendens est quinque librarum auri redigendarum in fiscum, praeter infamiam. (b) Quam S. C. poenam ex l. Remmia sumsit, ut ea illos adspergeret, qui post satisdationem exercendae litis, & post inscriptionem in crimen, (quae solemnia sunt accusationis,) crimine nondum abolito, sive reo a crimine nondum exemto, ab accusatione recesserint, sine Praetoris venia, vel ad diem contestandae liti constitutum vocati non accesserint; vel causam ita neglexerint, ut, inter moras, illorum, tempus legitimum ad reum peragendum effluxerit. Nisi tam sero ad accusandum accessissent, ut breve tempus, quod supererat,

(a) *l. abolitionem C. ad l. Jul. de adult. Cujac. parat. C. ut intra certum tempus.*

(b) *l. furii ff. de Decur. l. 3. §. ult. ff. praebar. l. 1. ff. jur. fisc.*

Digitized by Google

nulla ſua culpa praeterierit ante judicium abſolutum. Tum enim nullo ſuo dolo, ſed lege tantum ab ulteriori proſecutione judicii excluſi, (a) neque tergiverſatores profecto ſunt, neque deſertores, neque moratores, aut fruſtratores. Hoc S.C. tenentur omnes praeter mulieres, & minores, & eos, qui non publicum, ſed privatum judicium inſtituiſſent. (b) Eſt & S.C. ad judiciorum exercitium pertinens, cujus nomen, & tempora ignorantur: nempe illud, ne quis ob idem crimen pluribus legibus poſtuletur: (c) ortum fortaſſe temporibus Titi Veſpaſiani, quem Suetonius refert vetuiſſe, ne una de re pluribus legibus ageretur: hoc eſt ne idem delictum varie puniretur. (d) Hinc docet Papinianus poenam generalem adverſus omnes legum contemtores minime concurrere cum poenis certarum legum, quas certis in criminibus cenſet, ſecluſa generali poena ſubeundas: quia generi per ſpeciem derogatur. (e)

(a) Cujac. *enarrat. & parat. C. ad S.C. Turpill.*

(b) *l. 1. §. 10 in f. ff. ad S.C. Turpill.* Perez. *in C. ad S.C. Turpill. n. 2.*

(c) *l. Senatus 14. ff. de accuſ.*

(d) Cujac. *ad l. Sanctio 41. ff. de poenis.*

(e) *d. l. Sanctio.*

CIX. DE S. C. SILANIANO, ET STATILIANO, ET ALIIS AD EANDEM REM S.C.

Nunc a calumniatoribus, & ab iis, qui dolo accuſant, ad eos transeamus, qui dolo refugiunt accuſare. In quos conditum eſt S. C. Silanianum, niſi cum aliquibus ſcribamus Syllanianum, qui meo judicio falluntur, etenim refragantur nummi, & marmora Capitolina, atque crediderim cognomen id fuiſſe Juniorum. (f) S. Cti vero hujus tempus, & origo diu vel eruditioribus, immo, & ipſi Cujacio latuit: quem in eam cognitionem adduxit P. Fa-

(f) Dausq. *in orthograph. hac voc.*

Digitized by Google

Faber: qui primus illud retulit ad Augusti aevum Dolabella, & Silano Coss. etenim in l. in cognitione ff. ad S. C. Silanian. affertur sententia S. C. Statiliani, vel Domitiani temporibus Augusti Tauro, & Lepido Coss. A. V. C. DCCLXIII. quo praefinitur quinquennium ad accusandum heredem extraneum, qui contra S. C. Silanianum, hoc est ante quaestionem habitam de servis, testamentum aperuisset ejus, qui a propria familia diceretur occisus. (a) Cum autem haec additio sit ad Silanianum, apparet Statilianum esse recentius: eoque Silanianum anno saltem esse antiquius: quia anno ante Taurum, & Lepidum Statiliani auctores, consulatum gessere Dolabella, & Silanus, quibus Silanianum adscribimus. Ex quo colligitur utraque S. Cta originem ab Augusti aevo traxisse, sub quo tam Lepidus, & Taurus, quam Dolabella, & Silanus fuere Consules. (b) Sed quo suspicer aliquid anterioribus temporibus hac in re fuisse constitutum, praecipue in l. Cornelia de Sicariis, urget lex 25. hujus tituli ff. qua traditur ea lege fuisse cautum de praemio accusatoris servorum, qui ante quaestionem aufugerint, & caedem admiserint, ut quinque aureos acciperet etiam de publico, si ex bonis damnati desint in singulos quos convicerit servos. Vnde quod lex Cornel. fortasse inchoaverat S. C. hoc absolvit, poena in haeredis negligentiam proposita. Si vero convicerit eos, qui aperto testamento manumissi repeperiantur, iis in vincula conjectis, indeque causam

(a) Cujac. *lib. 4. cap. 14. obs.*

(c) Cujac. *observ. lib. 1. cap. 18.*

Digitized by Google

sam dicere coactis, denos aureos in singulos ex damnati bonis auferet pro praemio, (a) de quo & alibi. Igitur ne vita dominorum pateret servorum insidiis: coguntur servi per hoc S. C. proprio periculo dominorum vitam praestare, ut sciant se proprio capite expiaturos quidquid adversi domino contigisset: atque ita minime audeant in eum aliquid mali consulere. Vnde mortuo domino, qui a familia occisus diceretur, Senatus vetuit, ne testamenti tabulae aperirentur, aut hereditas adiretur, aut bonorum possessio peteretur, aliudve quid ad causam testamenti pertinens ageretur; antequam haberetur publica quaestio de servis, qui sub eodem tecto, locove fuissent, & supplicium sumeretur tam de noxiis, quam de iis, qui dominum deseruissent, atque opem ferre neglexissent. (b) Ideo vero vetuit Senatus aperiri testamenti tabulas, ne crimen caderet in servos testamento manumissos, (c) itaque poena sumenda de liberis hominibus esset veluti de servis: indeque libertatis dignitas turpitudine servilis supplicii macularetur. Verum Neronis tempore ad hoc S. C. accessit aliud ipso Nerone, & Pisone Coss. (d) quo non modo prioris S. C. sententia confirmabatur, sed illud etiam adjiciebatur, ut qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent inter servos poenas darent. (e) Quod S. C. & Neronianum dicitur, & Pisonianum, atque etiam Claudianum, quia Nero fuerat a Claudio adoptatus. (f) Ex eo autem S. C. omne dubium sublatum fuit, quod oriri poterat, si contra Silanianum apertum

(a) *eod. l. §. 2.*

(b) *Leg. in f. ff. de S. C. Silaniam. & toto tit. ff. & C. eod. Paul. sent. lib. 3. tit. 5.*

(c) Cujac. *obs. lib. 18. cap. 6.*

(d) Tacit. *annal. 13. cap. 32. & an. 14.*

(e) Tacit. *eod. ubi* Lipsius.

(f) Cujac. *parat. ff. hoc tit. ubi vide* Fabrot. *lit. C.*

Digitized by Google

tum fuisset testamentum, & rei apparuissent servi testamento manumissi, servorum ne, an liberorum more puniendi essent? Nam SCtum Neronianum jussit, ut simul cum servis supplicium penderent: quod ante ambigebatur. Huic accessit aliud S. C. sub Trajano, ut de iis etiam quaestio haberetur, quos testator vivens manumiserat. (a) Heres autem ne sui compendii causa familiae facinus absconderet, si ultionem omittat, malitque suo sibi lucro retinere servos, quam supplicio amittere, contraque SCtum hereditatem adeat; ut indignus ab hereditate, atque omni testamenti commodo submovetur, bonaque sibi erepta in fiscum transferuntur. Et si tabulas contra SCtum aperuerit, recitaverit, descripserit, vel heres ipse, vel alius; ex edicto Praetoris in eum centum aureorum judicium datur. (b) Secus vero si ab alio, quam a familia testator occisus dicatur: tum enim hereditatem adire minime prohibetur, & effectum habebit aditio si postea mortem ulciscatur, alioquin effectu carebit, & hereditas e fisco eripietur ex Aronis sententia, quam probat Cujacius. (c) Occisorum autem nomine in reliquis veniunt omnes, qui aut ferro, aut laqueo, aut veneno, aut carmine magico, & quacumque alia nece perierint. (d) MORS tamen hausta veneno, vel alia ratione sine caede furtim illata hoc SConsulto non comprehenditur. Ideo enim ad supplicium servi deposcuntur, quod vel attulerint vim, vel auxilium ferre neglexerint: omni autem culpa solvuntur, si ab ignoto sibi periculo dominum non exemerint; tum enim crimen

(a) *l. 10. in fin. ff. de S.C. Silan.* Duaren. *ibi. §. cap. 2.*

(b) Cujac. *paratit. ff. eod.*

(c) Cujac. *ff. observ. cap. 6.*

(d) *l. 1. §. occisorum ff. ad S.C. Silanian.* & Paul. *sent lib. 3. cap. 5. ubi* Cujac. *§. occisus.*

men ab herede in alios vindicabitur dimissis servis, nisi venenum non clam, sed violenter fuerit infusum. (a) Nec solum servi sub tecto manentes plectuntur ex SCto, sed etiam foris, puta qui dominum peregre abeuntem sequerentur, cum ille in itinere fuerit occisus, (b) & qui clamore de proximo exaudito ad vim prohibendam non accurrerint: (c) item qui dominum sibi manus afferentem non impedierint, cum potuissent; quamvis non incidant in hoc S. C. cum violenti non fuerint; tamen puniuntur. Illud insuper S. C. Neroniano cavebatur, ut viro, aut uxore necata, perinde de superstitis conjugis servis quaestio haberetur, ac si servi essent ipsius occisi. (d) Quod Marcellus produxit etiam ad soceri servos, ut marito occiso de iis etiam quaestio habeatur. (e) Non tenentur vero SCto Silaniano servi nondum puberes, aut aetate confecti, vel surdi, muti, furiosi, vel qui tempore mortis clausi, aut in vinculis erant. (f) Qui vero servorum aliquem de occisi familia receperit, celaverit, protexerit, quo minus de illo supplicium sumeretur, tamquam sicarius punietur. (g) Servus etiam ab herede venditus quaestioni subjicietur, reddito emtori precio. (h) At servus, qui domini caedem indicasset [ita enim cum Duareno legendum apud Vlpianum non *vindicasset*,] aut arguisset; siquidem ultro prosiluerit ad accusandum; non modo quaestionem elabetur; sed libertatis etiam praemium assequatur. (i)

(a) *l. 1. §. 19. ff. de S. C Silan. l. cum frutrem c. hu quib. ut ind.*
(b) *l. 1. §. cum dominum ff. h. t.*
(c) *l. 3 §. 2. & l. 1. §. 27. 28. ff. eod.*
(d) Paull. *sent. 3. tit. 5 & l. 1. §. si vir. ff. de S. C. Silanian.*
(e) *l. si vir. ff. eod.* Ant. Aug. *lib. de leg. ad hoc S. C.*
(f) *l. 1. §. 32. ff. hoc t. l. 3. §. si quis in gradi & seq ff. ad S. C. Silan. & l. si excipiuntur ff. eodem.*
(g) *l. si quis in gradi § si quis quem ff. eod.*
(h) *l. SC. ff eod.*
(i) *l. 3. §. utrum ff. de S. C. Silan.* Duaren. *ibid. & l. 1. C. in quib. caus. serv. pro praem.*

Cum

Digitized by Google

CX. DE LEGE AQVILIA, ET DE AEDIVM DEMOLITIONE S. C. PROHIBITA.

Cum leges evolverimus, quibus delictorum damna coërcentur, attexere ad has oportet etiam illas, quibus damna non ex delicto, sed vel culpa, vel casu aliquo nata rependuntur. Ac de damnis a bestiis, & quadrupe illatis cavebatur satis ex legibus XII. tabul. quarum vim edicto, & jurisdictione sua Praetor etiam explicavit titulo: *si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* Quo referenda est lex ea, quae aliquibus scriptoribus appellatur *Pesolania de Cane.* Quod putatur corruptum nomen e *Solonia*, sive lege *Solonis*, quae redacta fuit in leges XII. tabul. (*a*) Sanxerat enim Solon ut canis, qui momorderat catena vinctus, a domino noxae dederetur, quod & libro superiori attigimus. De damnis autem vel ab hominibus, vel a bestiis culpa, & negligentia hominum acceptis, quamvis veteribus XII. tab. legibus, & aliquibus forsan aliis post eas latis caveretur: quia tempore tamen exolescerent, oportuit nova aliqua lege vim earum suscitare. Veteres enim leges desuetudine languescentes novis revocantur ad usum & viventium magistratuum auctoritate in pristinas vires restituuntur. Parent enim homines novis legibus facilius, ne spretis iis contemnere videantur magistratum earum latorem: qui libenter prosequitur violatores legum, ut honorem simul suum ulciscatur: unde Macrobius: (*b*) *Quaeritur saepe novae legis auctoritas exolescente metu legis antiquioris, ut de ipsis legibus XII. tabul. factum est: quarum ubi contemni auctoritas coepit in aliorum latorum nomina transiere.* Hinc ait Plato leges picturarum

(a) Cujac. *ad sent.* Paul. *lib. 1. tit. 15.*

(b) Saturn. *II. & 13.*

instar tempore obscuratas novis coloribus a novis potestatibus esse illuminandas. Qua ratione deductum est in legis Aquiliae nomen quiquid in veteribus de damno ab homine, vel per hominem dato contineretur. Auctor legis C. Aquilius Gallus Tribun. pleb. isne qui formulam de dolo malo concepit, an alius, non satis constat. Fuit igitur proprie lex ista plebiscitum, (a) quo post auctam plebis auctoritatem populus tenebatur universus. Hujus legis tria capita commemorantur. Primo capite cavetur de occisis qualiterqualiter servis, aut animalibus, quae gregatim pascuntur, (b) ut actio detur adversus eum, qui damnum dederit injuria; quae vox hic pro contumelia non accipitur: injurias enim eas lex Cornelia ulciscitur: sed factum injuria dicitur pro non jure ab eo etiam, qui nocendi animum non habuerit, siquidem ratione utatur: nam furiosus, & infans, quorum ratio languet, Aquilia non tenentur. (c) Hinc si quis occiderit aggressorem, adversum quem se telo defendebat, & justae defensionis modum non excesserit in Aquiliam non incidet: quia non injuria, sed jure illum occidit: nam jure naturae recte vim in se imminentem quisque propulsat. (d) Cum quadrupedibus autem, & servos congregat lex: quia servi sub dominio nostro pariter cadunt. Occiso autem servo, vel quadrupede damnum aestimatur quanti eo anno servus, vel quadrupes plurimi fuerint, quantique nostra interfuit non perisse, (e) isque annus retrorsum computatur ex tempore, quo quis est occisus: ut scilicet mortis tempus

(a) *l. 1. ff ad l. Aquil.*

(b) *l. 2. ff. ad l. Aquil.*

(c) *l. 7. § injuriam & seq. ff. ad l. Aquil.*

(d) *l. scientiam 45. §. 4. ff. eod. & l. 4. & 5. §. 1. eodem.*

(e) *l. ait lex ff. eod. §. 2.*

Digitized by Google

pus anni sit finis. Quamobrem si eo anno servus heres institutus aliena culpa vitam amiserit, etiam hereditatis commodum in aestimationis judicium veniet. (a) Et si pictori servo pollex praecisus fuerit, idemque intra annum praecisi pollicis occisus, in aestimationem deducetur quanti prius esset, antequam pollicem, & artem amisisset. (b) Actio autem, qua aestimatur quanti pluris, anno circumscribitur: actio vero ipsa, qua aestimatur damnum acceptum est perpetua, utpote rei persecutoria. (c) Porro actio directa, sive civilis, ex ipsa lege descendens, ejusdemque apertis verbis comprehensa ipsi domino datur: utilis vero, quae nascitur ex abdito sensu legis, & ab aequitate magistratus etiam non domino permittitur. Quamobrem liber homo, qui dominium non habet in propria membra, laesus nullam ex hac lege directam actionem nanciscitur, sed occiso eo utilis actio ipsius heredi accommodatur: qua consequetur quidquid sumtus factum fuerit in curando vulnere, & quidquid damni ejus caedis causa fuerit acceptum. (d) Eadem ratione fructuario corporis peremti, & creditori, & bonae fidei possessori utilis actio conceditur. (e) Addit Cujacius directam competere, si corpus cor-pori nocuerit: utilem si corpus causam damni, non damnum ipsum obtulerit: quae plerumque actio in factum appellatur. Etsi vero actio haec utpote rei persecutoria ad heredes transeat, & successores; adversus heredem tamen minime dabitur, nisi quatenus fuerit ex alieno damno locupletior. (f) Multantur autem confitentes in simplum;

(a) *l. inde Neratius ff. eod. in princ.*

(b) *d. l. inde Neratius §. 3.*

(c) *vide* VVesemb. *in parat. ff. eod. num. 3.*

(d) *l. 13. & 14. ff. eod.* VVesemb. *loco cit. n. 3.*

(e) *l. item Mela §. 10. ff. ad l. Aquil.*

(f) *l. inde Neratius §. hanc actionem 8. ff. ad l. Aquil.*

Digitized by Google

inficiantes, propter mendacii poenam, in duplum. (a) Secundum caput Aquiliae legis jamdiu intercidit. Eoque Cujacius (b) comprehensam fuisse putat quamlibet aliam rationem damni dati non ob rem nostram laesam, sed ob commodum aliena opera nobis ademtum, veluti si quis nullo jure servitutis impositae vicini luminibus contra formam veterum aedificiorum offeciſſet: quo nomine damnatus fuit a Theophilo Imperatore Petronas, ut refert Tonaras; (c) vel si quis imposito aedificio vicini aream inutilem reddidisset. Quod caput in desuetudinem abiit. Tertium caput conceptum erat in eos, qui non occidissent servum, aut gregalem quadrupedem, sed eum, eamve aliquo modo laesissent, corporisve membrum aliquod ussissent, rupissent, fregissent, aut occidissent, vulnerassentve canem, & animal aliud quod pecudum numero non est, sive gregatim non pascatur, aliave ratione rem aliam animatam, aut inanimatam deteriorem reddidissent: ut ejus damni nomine teneantur quanti res ea plurima fuisset in triginta diebus proximis (d). Hic enim actio annua, qua persequimur ex superiori capite id, quod res plurimi fuerit, contrahitur ad triginta dies: quia minus peccatum vulnerantis, & laedentis est, quam occidentis, minorque jactura esse solet occisi animalis, quod pecudum numero non sit. Ad damnum quoque pertinet S. C. Acilio Aviola, & Corollio Pansa Coss. Adriani tempore, quo de aedium demolitione cavebatur, & dirui quid negotiandi causa, distrahive, aut vendi, aut legari prohi-

(a) *l. centm 4. C. eod. l. 2. §. 1. ff. eod.*

(b) Cujac. *paratit. ff. ad l. Aquil.*

(c) *Vide exempla apud* Cujac. *parat. C. eodem.*

(d) *l. si servum. 27. ff. ad l. Aquil. §. quinto.*

Digitized by Google

hibebatur. (a) Non modo autem domus, sed & villas dirui Senatus vetuit, ac venditionem irritavit, & emtorem ad duplum precii fisco inferendum damnavit. (a) l. 52. ff. com. trib. emt. cum concord. Cujac. obs. 5. cap. 26.

CXI.

DE LEGE RHODIA DE JACTV.

Nunc progrediamur ad ea damna, quae non ab homine, sed sorte, vel natura inferuntur: nempe quae a mari eveniunt, cujus fallax est incertaq; fides. De talibus autem damnis judicia Rhodiis legibus in Romanas translatis exacerbantur. Rhodiorum enim erat rei maritimae tanta peritia, ut nauticus populus a Floro appellentur: ac propter usum, assiduosque casus, quos frequentia navigationis tulerunt, aequissimas, & prudentissimas rei navalis condidere leges. Quarum praestantiam cum alii veterum, tum praecipue Strabo celebravit. Et si autem Romani leges omnes conquisierint non modo Atticas, sed & Graecorum aliorum, sicut & Pythagoraeorum, qui erant in ea Italiae ora, quae Magna Graecia dicebatur; tamen Rhodias non acceperunt, nisi post usum rei maritimae, quo non ante primum bellum Punicum vertere animum. Quamobrem traduxerunt ad se leges Rhodias, quae mari tum dominabantur: assiduoque usu civitatem iis dederunt, judicia maritima ex auctotitate illarum agitantes. (b) Vnde in Servii, Ofilii, Labeonis scriptis monumenta erant Rhodiarum legum, quarum adhuc vestigia in recentiorum Jurisconsultorum responsis observantur. Quamquam autem plures erant Romanis receptae Rhodiae leges, earum tamen sententias tantum retinemus, quae merces naufragio jactas re-

(b) Cic. pro lege Manilia.

Digitized by Google

respiciebant. Atque ex rescripto Antonini, (a) quo de naufragorum bonis agitur, Rhodia lex a Caesare in imperii societatem adsciscitur, imperio rerum ita tributo, ut orbis quidem terrarum regimen Imperator acciperet; maris vero dominium lex Rhodia obtineret. Quamobrem ex collectione Pselli, ut Gothofredus putat, seriem habemus, etsi mutilam Imperatorum, qui Rhodiis legibus arbitrium in re maritima tradiderunt. Quorum initium non a Tiberio, sed a Claudio, sub quo Coss. ii fuere, qui collectione illa perhibentur, nempe Q. Aterius Antoninus, & D. Junius Silanus anno a Christo nato LIV. (b) Isque Imperator pluribus rem nauticam Senatusconsultis constituit, quorum duo ab Vlpiano referuntur, de quibus egimus supra ad legem Corneliam de sicariis. (c) Eos autem, qui ex afflictis, & miseris naufragorum fortunis quid inhumane rapuissent; fisco tantum pendere voluit Claudius, quanti e Praetoris edicto damnarentur. (d) Etenim etiam ex edicto Praetoris oritur actio adversus raptores naufragorum intra annum in quadruplum, post annum vero in simplum. (e) Leges itaque Rhodias utilitate diu antè commendatas, usuque inter Romanas leges invectas Claudius primum convertit in assiduam, & necessariam jurisdictionem: deinde alii principes easdem auctoritate sua comprehenderunt, quorum nomina in supra demonstrata collectione invenimus: nempe Vespasianus, sub quo S. C. ea de re, Lauro, & Agrippino Coss. suffectis, ut Gothofredus autumat, & Vlpius Trajanus, itemque Adrianus, sub quo S. C. ne mi-

(a) l. 1. Claud. sive l. deportatio ff. de l. Rhodia de jactu.

(b) P. Faber semestr. lib. 1. c. 25.

(c) l. 3. in f. ff. de incend. ruin. & naufrag.

(d) l. 3. ff. de incend. ruin. naufrag.

(e) l. 1. ff. eod.

Digitized by Google

milites, aut privati, aut servus libertusve principis naufragiis colligendis interveniret: ne pro auxilio, damnum potentia, & rapacitate sua naufragis adferrent. Quibus tandem & Severi accessit auctoritas. Posset quis referre in leges Rhodias caput illud apud Cic. quod tamen cum eruditioribus declamandi causa confictum putarim de more a Rhetoribus, nempe: *ut si qua rostrata navis, quae est navis militaris, in portu deprensa sit, publicetur.* (a) Ex omnibus autem Rhodiis legibus, hujus ad nos capitis integra sententia pervenit, quo continetur, ut si ventorum vi, aut imbribus tempestas cooriatur, unde navis in periculo versetur, quo ut eximatur oporteat eam levare, atque jactura mercium exonerare: mercium projectarum domino damnum illud a dominis mercium conservatarum pro rata omnium, ipsomet etiam nauta contribuente sarciatur: siquidem per eam jacturam navis periculum tempestatis evaserit: nam si perierit, nullus collationi supererit locus: cum vel merces omnes demersae sint, vel si quae recipiantur a sorte, aut a dominorum industria servatae putentur. (b) In rationem autem contributionis venit etiam portio ipsarum mercium jactarum: ut earum dominus tantominus a ceteris exigat, quanto pro rata jactarum oneratur mercium. (c) Quamobrem si duo singuli centum haberent in mercibus; Cajus jactarum mercium dominus ducentum; Cajus amissis mercibus auferet a singulis quinquaginta, & naufragio amittet alteros centum: quoniam tan-

(a) Cic. *de invent.*

(b) *lib. 55. Basilic. tom. 8. l. 1. ff. de L. Rhod. de jactu.* Paull. *lib. 2. sent. tit. 7. in f.*

(c) *l. 2. §. portio 4. ff. de l. Rhod. de jactu.*

Digitized by Google

tumdem ille habebat in mercibus amissis, quantum illi duo in servatis. Vnde sicuti portio Caji, quae erat ducentum, superabat portionem singulorum, quae erat centum: eadem proportione post naufragium portio Caji, quae est centum, superabit portionem singulorum, quae est quinquaginta, ut tam ante, quam post naufragium, portio Caji dimidio superet portionem singulorum. Contra si Cajus merces projecerit, quae valerent quinquaginta: unus autem, & alter servarint proprias cujusque centum aestimatas. Cajus damnum accipiet in decem; duo vero illi duplum quisque contribuent, pro singulis, nempe viginti, ut qua proportione quinquaginta illa unius respondebant singulorum centenis: eadem ratione quadraginta ejusdem respondeant singulorum octogenis. In qua ratione subducenda veniunt etiam animalia, & servi a periculo liberati, & gemmae servatae, non quia navim onerent, sed quod aliena jactura salvae fuerint. Homo tamen liber servatus in rationem contributionis non veniet: cum nullo precio vita liberi hominis expendatur. (a) Res autem, quarum nomine conferendum est, non quanti emtae fuerint, sed quanti venire possint aestimantur, (b) etsi adspergine deteriores evaserint, quanto minoris ob id aestimantur, tantominus in contributione praestabunt: ut si prius viginti putarentur, postea ob adspergine decem valeant, dominus earum pro decem sit collaturus. (c) Nec solum contributio locum habebit, si merces e navi jaciantur; sed etiam si una cum scapha in qua de-

(a) Cujac. *ad l. 3. ff. de l. Rhod. de jact. sive ad lib. 19. respons. Papin.*

(b) *l. 2. §. portio ff. eod.*

(c) *l navis 4. §. cum autem 2. ff. eod.*

Digitized by Google

depositae fuerant, demergantur. (*d*) Nave autem perdita, conservatae cum mercibus scaphae nulla ratio habebitur; quia naufragium factum est (*a*) non jactura. Quamvis autem facto naufragio contributio cesset, si tamen ea navis, quae jactura mercium servata erat, alio loco submersa fuerit, & merces per urinatores extrahantur: earum domini conferre debent ei, cujus bonorum jactu navis superius periculum evaserit: quia nisi ea mercium jactura navis levata esset, merces, quae postea extrahuntur, e naufragio fortasse non superfuissent. (*b*) Si autem arbor, aut aliud instrumentum levandae navis causa jactum fuerit a nauta; hujus quoque damnum, perinde ac jacturam mercium contributione omnium reficietur. (*c*) Ceterum si nullo periculo navem exoneraverit, frustra contributionem postulavit: cum id tantum sit reddendum, cujus jacturae beneficio, periculum navis effugerit. (*d*) Si vero navis a privatis redemta fuerit, omnes domino navis conferre debere Servius, Ofilius, Labeo tradiderunt. (*e*) Porro caput hoc legis Rhodiae ad naves pertinet onerarias, ad comportandas merces comparatas, quae plerumque capaces erant decem millium modiorum: non autem ad naves longas, seu triremes. (*f*) Ceterum si navis deterior facta fuerit: frustra contributio postulabitur. (*g*) Tandem judicium hoc ita instituetur, ut rerum amissarum domini ex locato agant cum magistro navis, ne restituat res conservatas, donec ex iis damnum reficiatur dominis rerum projectarum: unde navis magister ex conducto aget cum re-

(d) *d. l. ff. eod.*

(a) *d. l. 4. eod. Paul. sent. l. tit. 7.*

(b) *d. l. 4. §. sed si navis Cujac. ad Paul. sent. loco cit.*

(c) *l. amissa §. 5. in f. ff. de l. Rhod. de jactu l. 2. ff. eod.*

(d) Cujac. *lib. 19. respons. Papin. l. 3. ff. eod.*

(e) *l. 2. si navis ff. eod.*

(f) Cujac. *ibid.*

(g) *l. 2. §. 1. ff. de l. Rhod. de jact.*

Digitized by Google

liquis, quorum sunt salvae merces, ut detrimentum proportione communicetur.

CXII. DE LEGE LICINIA.

Effugerat pene mihi tot inter, lex Licinia, cujus leve mihi admodum vestigium reperitur apud Marcianum, (a) quam explicat Cujacius. (b) Ea lex vetuit ne communi dividundo actione uteretur is socius, qui partem rei communis alienavit, ut evitaret licitationem illius, propterea que transtulerit partem suam in potentiorem, ut licitando ille vincat incusso potentiae metu. Nam si eadem pars, nondum sublata communione, ad eum qui alienaverat redierit; non poterit ipse amplius duplicem, quam habebat actionem adversus socium exercere; & si potentior ille post partem in se alienatam communi dividundo agat cum altero socio; repelletur exceptione, quod *alienata res sit judicii mutandi causa.*

(a) *l. ult. ff. de alien jud. mut.*

(b) *l. 1. fam. erciscund.*

CXIII. S. C DE RELIGIONE SEPVLCHRORVM.

Finem imponamus operi materia funebri, quo res omnes humanae commeant, atque referamus S. C. de religione sepulchrorum, quo prohibebatur, ne sepulchra in alium vertantur usum, quam condendi cadaveris illati, neve venundentur, aut permutentur, ut in profana commercia concedant. (c)

(c) *l. 12. §. 1. ff. relig. & sumt. fun.*

Hactenus ex antiquissimis monumentis Romana exordia juris privati edita sunto. Quo minus autem, quicumque lector sapis, abductus turba imperitorum, quidquam horum uti obsoletum tua cum fraude praeterieris; cogitato, labentibus priscis institutis, perennem tamen recti speciem ibi scul-

Digitized by Google

sculptam, exemplisque novis, ac similibus, communem, atque promiscuam, nunquam interituram, neque nullo non tempore mortalibus profuturam ubicumque gentium, non lubido, sed ratio dominetur.

FINIS.

Imprimatur si videbitur Romano Primo Magistro Sacri Palatii Apostolici. Dominicus de Laulis Opus Verulanus Vicesg.

Imprimatur Jo. Paulinus Bernardinus Ord. Praedicat. S. A. P. Magister.

Ne quid deesset ad Tomum I. Originum, hoc loco Censuras addere libuit, quae illi in editione Neapolitana & nostra priori praemissa conspiciuntur.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

Felice Mosca Stampatore supplicando espone a V. E. come desidera dare alle Stampe un Libro intitolato de Ortu, & Progressu Juris Civilis *dell' Abate Gio: Vincenzo Gravina; per tanto la supplica per le solite licenze, e l'avrà a grazia, ut Deus.*

J. M.

De mandato Eminentissimus Dn. Canonictus D. Antonius

Digitized by Google

Cangianus revideat, & in scriptis referat. Neap. die 14. Junii 1701.

Jo. Andreas Siquilinus Vic. Gen.
D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. DOMINE.

Quod ad illustrandum Jurisprudentiae studium fuerat maxime optandum, ut omnis eo temporum cognitio, latinarum, graecarumque literarum eruditio, ac recta philosophandi ratio conferretur; Joannes Vincentius Gravina in hoc politissimo opere, de Ortu, & Progressu Juris *inscripto, feliciter praestitit. Plurimam quidem ea in re, non inficior, celeberrimi Juris Interpretes operam posuerant; sed versare omnes, consulere singulos, atque optima quaeque ex iis excerpere, non cuivis profecto, vel per tempus, vel per ingenium licuisset. Hic autem selectissima illorum inventa miro ordine digesta, ornatissimo stylo composita, & exquisita eruditione aucta cunctis patent. Igitur, ut ad optimam juventutis institutionem typis mandetur, e re publica censeo, modo gravissimum Eminentiae Tuae judicium accesserit. Neapoli XIII. Kal. Januar. MDCCI.*

Eminentiae Tuae

Humillimus, & Addictissimus
Canonicus Antonius Cangianus.

J. M.

Attenta relatione Dn. Canonici Revisoris, quod potest imprimi, Imprimatur 27. Junii 1701.

Jo. Andreas Siliquinus Vic. Gen.
D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

EC-

Digitized by Google

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

Felice Mosca Stampatore supplicando espone a V. E. come desidera dare alle Stampe un Libro intitolato de Ortu, & Progressu Juris Civilis, *dell' Abate Gio: Vincenzo Gravina; per tanto supplicia l' E. S. per le solite licenze, e l' avra a grazia, ut Deus.*

Magnificus U. J. D. D. Nicolaus Caravita videat, & in scriptis referat.

GASCON R. ANDREAS R. ANDREASSI R.
GVERRERO R. MERCADO R.

MASTELLONVS.

TVo Imperio, Excellentissime Princeps, primum J. Vincentii Gravinae librum de Origine, & Progressu Juris *ad Majestatis regulam exegi: nec sane in eo Regni amplitudinem, aut dignitatem quicquam minutam offendi. Quin contra e republica reputo: in quo omnes Imperii, & Jurisprudentiae Romanae vicissitudines illustri narratione traduntur: & Auctorum successione ab stirpe ad haec usque tempora luculenter explicata, Sectarum stemmata ab communibus Auctoribus suo quaeque filo subinde deducta sunt: tantoque ingenii acumine singulae juris causae aperiuntur, tanta gravitate, & ab studio partium religione de Scriptoribus feruntur judicia, ut facem, quae omnibus de jure libris publicitus alluceat, ubi*

Digitized by Google

ubi ita velis, dignam existimem. Dat. Neap. XII. Kal. Januarii CIↃ IↃCCI.

Tui

Excellentiss. Princeps

Obsequentissimus cliens

D. NICOLAVS CARAVITA.

Visa retroscripta relatione imprimatur, veterum in publicatione servetur Regia Pragmatica. Hac die 28. Junii 1701.

GASCON R. ANDREAS R. ANDREASII R.
GVERRERO R. MERCADO R.

MASTELLONVS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
SVMMORVM CAPITVM.
LIBR. I.

DE Populo Romano & ejus ordinibus. Cap. I. pag. 1.
De Equestri ordine. II. p.2.
De Senatoribus. III. p.3.
De Plebe rustica, & urbana IV. p.7.
De Plebe urbana & tribunis aerariis. V. p.7.
De Scribis, apparitoribus, accensis, interpretibus, praeconibus, viatoribus, victoribus. VI. p.8.
De Optimatibus, nobilibus, hominibus novis. VII. p.10.
De Censoribus IIX. p.10.
De Tribubus rusticis & urbanis. IX. p.13.
De Curiis. X. p.17.
De Classibus & Centuriis. XI. p 18.
De Turba forensi. XII. p.20.
De Consulibus. XIII. p.21.
De Senatu & ejus potestate. XIV. p.22.
De Senatus-Consulto & loco habendi senatus. XV. p.25.
De Tempore. XVI. p.25.
De Vocando Senatu. XVII. p.26.
De Jure referendi, sententiasque rogandi. XIIX. p.27.
De Dicenda sententia, & S. C. per discensionem. XIX. p.28.
De Justo senatorum numero. XX. p.30.
De Conscribendo Senatus-Consulto. XXI. p.31.

Digitized by Google

De Adſervando S. C. Cap. XXII. pag. 32.
De Impedimento S. C. ſive de interceſſione Tribun. XXIII. p. 32.
De Senatus decreto. XXIV. p. 33.
De Dimittendo ſenatu. XXV. p. 33.
De Ratione ferendae legis. XXVI. p. 34.
De Tribuno plebis. XXVII. p. 34.
De Comitiis. XXVIII. p. 37.
De Legum ferendarum examine. XXIX. p. 41.
De Publicatione legis Concione, & ſortitione, & ſuffragiis ferendis. XXX. p. 42.
De Primis Romanorum legibus, & Jure Papyriano. XXXI. p. 47.
De Jure XII. tab. XXXII. p. 49.
De Actibus legitimis & jure Flaviano. XXXIII. p. 51.
De Poſterioribus legibus. XXXIV. p. 53.
De Jure Honorario, & de Praetore urbano, & peregrino. XXXV. p. 59.
De Praetoribus provincialibus, & quaeſitoribus XXXVI. p. 62.
De Publicis quaeſtionibus. XXXVII. p. 64.
De Edicto perpetuo. XXXVIII. p. 66.
De AEdilibus. XXXIX. p. 70.
De Jurisprudentia. XL. p. 73.
De Diſputatione fori. XLI. p. 76.
De Reſpondendi Jure. XLII. p. 77.
De Auctoritate Prudentum. XLIII. p. 77.
De Juris Conſultorum philoſophia. XLIV. p. 80.
De Juris Conſultorum ſectis. XLV. p. 82.
De Variis aetatibus Jurisprudentiae & de Juris Conſultis antiquae jurisprudentiae. XLVI. p. 86.
De Tiberio Coruncanio. XLVII. p. 87.
De Sext. & P. Aliis. XLVIII. p. 88.
De Lucio Atilio. XLIX. p. 88.
De Marco Catone. L. p. 88.
De Bruto. LI. p. 89.
De P. Mutio Scaevola Pontifice. LII. p. 89.
De Manlio Torquato. LIII. p. 90.
De Cajo Martio Figulo. LIV. p. 90.

De

Digitized by Google

De Cajo Livio Druso. Cap. LV. pag. 91.
De Media Jurisprudentia, ejusque Jurisconsultis, & de P. Rutilio Rufo. LVI. p. 91.
De Q. AElio Tuberone. LVII. p. 92.
De Sex. Pompejo, & Caelio Antipatre. LVIII. p. 93.
De Q. Mutio Scaevola augure, & Scaevola pontifice. LIX. p. 93.
De C. Aquilio Gallo. LX. p. 97.
De L. Lucilio Balbo. LXI. p. 98.
De Cn. Aufidio. LXII. p. 98.
De C. Juventio. LXIII. p. 99.
De Sex. Papyrio. LXIV. p. 99.
De Servio Sulpitio. LXV. p. 99.
De Cajo Trebatio Testa. LXVI. p. 101.
De Offilio. LXVII. p. 101.
De A. Caſſellio. LXVII. p. 102.
De Q. AElio Tuberone. LXIX. p. 103.
De Alfeno Varo. LXX. p. 104.
De Cajo. LXXI. p. 104.
De Aufidio Tucca, & Namuſa. LXXII. p. 104.
De Sectarum Autoribus & primum de Antiſtio Labeone. LXXIII. p. 105.
De Attejo Capitone. LXXIV. p. 107.
De Nerva Patre, & filio. LXXV. p. 109.
De Proculo. LXXVI. p. 110.
De Pegaſo. LXXVII. p. 110.
De Celſo patre. LXXVIII. p. 111.
De Celſo filio. LXXIX. p. 111.
De Neratio Priſco. XXC. p. 112.
De Maſurio Sabino. XXCI. p. 112.
De C. Caſſio Longino. XXCII. p. 113.
De Cajo iterum. XXCIII. p. 115.
De Coelio Sabino. XXCIV. p. 116.
De Priſco Javoleno. XXCV. p. 116.
De Salvio Juliano, & Tarruntene. XXCVI. p. 117.
De Domitio Labeone. XXCVII. p. 118.

Digitized by Google

De T. Aristone.	Cap. XXCVIII.	pag. 118.
De Ariano.	XXCIX.	p.118.
De Sexto Caecilio Africano.	XC.	p.118.
De Sexto Pomponio.	XCI.	p.119.
De Junio Mauriciano, & AElio Marciano.	XCII.	p.120.
De Vlpio Marcello, Meciano Satusnino.	XCIII.	p.120.
De Tertulliano.	XCIV.	p.120.
De Papyrio Justo, & aliis.	XCV.	p.120.
De Fabio Sabino.	XCVI.	p.121.
De fabio Sabino fil.	XCVII.	p.121.
De Cerbidio Scaevola.	XCVIII.	p.121.
De Papiniano.	XCIX.	p.123.
De Domitio Vlpiano.	C.	p.125.
De Julio Paullo.	CI.	p.126.
De Herennio Modestino.	CII.	p.127.
De Aliis generatim.	CIII.	p.127.
De Romano imperatore.	CIV.	p.129.
De Variis muneribus imperatoris.	CV.	p.133.
De Pontificatu maximo imperatoris.	CVI.	p.135.
De Tribunicia potestate	CVII.	p.135.
De Censura imperatoris.	CVII.	p.136.
De Consulatibus imperatoris.	CIX.	p.136.
De Proconsulari imperio.	CX.	p.137.
De Referendi jure.	CXI.	p.137.
De Senatoria imperatoris dignitate.	CXII.	p.138.
De Patris Patriae appellatione.	CXIII.	p.138.
De Lege Regia.	CIV.	p.138.
De Orationibus principum.	CXV.	p.142.
De Quaestoribus.	CXVI.	p.142.
De Magistro officiorum.	CXVII.	p.143.
De Majori & Minori Laterculo.	CXVIII.	p.143.
De Pragmaticis Jussionibus.	CXIX.	p.144.
De Edictis principum.	CXX.	p.144.
De Mandatis principum.	CXXI.	p.145.
De Decretis principum.	CXXII.	p.145.

De

Digitized by Google

De Epistolis principum.	Cap. CXXIII.	pag.145.
De Rescriptis principum, & Libellis.	CXXIV.	p.146.
De Praefectis Praetorio.	CXXV.	p.147.
De Assessoribus.	CXXVI.	p.150.
De Magistris scriniorum.	CXXVII.	p.150.
De Fisci Advocatis.	CXXVIII.	p.151.
De Digestione Juris Civilis sub Justiniano.	CXXIX.	p.151.
De Justiniano.	CXXX.	p.152.
De Codice Justinianeo.	CXXXI.	p.153.
De Digestis.	CXXXII.	p.154.
De Institutionibus.	CXXXIII.	p.155.
De 50. Decisionibus.	CXXXIV.	p.155.
De Novellis Constitutionibus sive Authenticis.	CXXXV.	p.157.
De Novellis Juliani.	CXXXVI.	p.158.
De Triboniano, & sociis.	CXXXVII.	p.159.
De Basilicorum libris.	CXXXVIII.	p.163.
De Fato Jurisprudentiae Justinianeae in Italia.	CXXXIX.	p.166.
De Instauratione juris Justinianei sub Lothario.	CXL.	p.168.
De Pandectis florentinis.	CXLI.	p.169.
De Instauratione studiorum juris.	CXLII.	p.170.
De Bononiensi Schola, & de Irnerio.	CXLIII.	p.171.
De Variis Irnerianae scholae sectis.	CXLIV.	p.173.
De Martino.	CXLV.	p.175.
De Bulgaro.	CXLVI.	p.176.
De Hugolino.	CXLVII.	p.177.
De Rogerio, & Othone, & Placentino.	CXLVIII.	p.178.
De Pyleo.	CXLIX.	p.178.
De Alberico, & Joanne.	CL.	p.179.
De Azone, ejusque schola.	CLI.	p.179.
De Lothario Cremonensi.	CLII.	p.182.
De Balduino Bononiensi.	CLIII.	p.182.
De Rofredo Beneventano.	CLIV.	p.182.
De Accursio & ejus Schola.	CLV.	p.183.
De Jacobo Ardizono, & Odofredo.	CLVI.	p.185.
De Dino.	CLVII.	p.186.

Digitized by Google

De Bartolomaeo à Capua. Cap. CLVIII. pag. 186.
De Petro de Bella Pertica, & Jacobo de Arena, & Oldrato CLIX. p. 187.
De Jacobo de Belviso, & Butrigario, CLX. p.188.
De Cino Pistoriensi. CLXI. p.188.
De Alberico de Rosate. CLXII. p.189.
De Aliis turmatim. CLXIII. p.190.
De Bartolo. CLXIV. p.190.
De Baldo, & fratribus. CLXV. p.197.
De Paulo Castrensi. CLXVI. p.200.
De Alexandro Tartagno. CLXVII. p.201.
De Jasone Mayno. CLXVIII. p.202.
De Saliceto, Fulgosio Cumano, Castilioneo, Cœpolla, Ruino, Riminaldis, Curtiis, Deciis, Nicolao, Spinello. CLXIX. p.204.
De Alciato, & sanctiori Jurisprudentia, sive de Cujaciana Schola. CLXX. p.206.
De AEmilio Ferretto. CLXXI. p.209.
De Goveano. CLXXII. p.210.
De Budaeo. CLXXIII. p.211.
De Antonio Augustino. CLXXIV. p.213.
De Bituricensi Schola. CLXXV. p.214.
De Enguinario Barone. CLXXVI. p.214.
De Duareno. CLXXVII. p.215.
De Hugone Donello. CLXXVIII. p.215.
De Francisco Hottomanno. CLXXIX. p.216.
De Jacobo Cujatio. CLXXX. p.219.
De Barnaba Brissonio. CLXXXI. p.225.
De Aliis acervatim. CLXXXII. p.227.
De Marano, Gothofredis, Vesembegio, Perezio, Pancirolo, Mornacio, Vinnio, Grotio, Antonio Fabro, Gregorio Tolosano. CLXXXIII. p.227.
De Quatuor Scholis post renovatam jurisprudentiam Judicium. CLXXXIV. p.228.
Conclusio de interpretum usu. CLXXXV. p.230.

Digitized by Google

LIBR. II.

De Boni, Malique Natura, sive, de Justitia naturali. Cap.I. pag.233.
De Duplici Naturae lege. II. p.234.
De Lege rerum universarum, sive de Lege promiscua. III. p.235.
De Lege peculiari humanae naturae, sive de Lege Rationis IV. p.237.
De Naturali bonorum extremo. V. p.239.
De Virtutum origine ex lege Naturae. VI. p.241.
De Morbis Naturae rationalis, sive de vitiis. VII. p.242.
De Vita beata sapientis. VIII. p.243.
De Juribus humanae rationis IX. p.244.
De Origine Societatis humanae. X. p.245.
De Jure Gentium & origine Commerciorum. XI. p.247.
De Permutatione Contractuum omnium elemento. XII. p.248.
De Jure Pacis. XIII. p.251.
De Jure Belli. XIV. p.252.
De Civili potestate. XV. p.254.
De Justitia Romanorum. XVI. p.255.
De Jure Sapientis in ceteros. XVII. p.256.
De Origine imperii, & Jurisdictionis XVIII. p.257.
De Conversione rerum XIX. p.258.
De Motibus civilibus. XX. p.259.
De Variarum legibus, & earum origine. XXI. p.262.
Fragmenta Aliquot Legum regiarum, sive Juris Papyriani. XXII. p.270.
De Legibus XII. Tabul. XXIII. p.276.
De Scriptoribus ad has leges priscis; & variis hujus juris appellationibus. XXIV. p.280.
De Jure Patrio XXV. p.281.
De Jure Tutorum. XXVI. p.286.
De Jure Patronatus; XXVII. p.294.
De Jure conjugum, & connubiorum. XXVIII. p.296.
De Divortiis. XXIX. p.298.
De Partu XI. Mensium. XXX. 301.
De Partu monstroso. XXXI. p.303.

De.

Digitized by Google

De Rebus litigiosis.	Cap. XXXII.	pag. 305.
De Servitutibus Praediorum.	XXXIII.	p. 306.
De Aqua pluvia arcenda.	XXXIV.	p. 308.
De Arboribus caedendis.	XXXV.	p. 310.
De Glande legenda.	XXXVI.	p. 311.
De Interstitio sepis.	XXXVII.	p. 312.
Finium Regundorum.	XXXVIII.	p. 314.
De Vsucapionibus.	XXXIX.	p. 315.
De Testamentis.	XL.	p. 319.
De Successionibus ab intestato.	XLI.	p. 322.
De Divisione hereditatis.	XLII.	p. 325.
De Statuliberis.	XLIII.	p. 327.
De Mancipationibus.	XLIV.	p. 327.
De Collegiis, & Sodalibus.	XLV.	p. 331.
De Jurejurando.	XLVI.	p. 333.
De Foenore.	XLVII.	p. 333.
De Criminibus, & primo de Furtis.	XLVIII.	p. 344.
De Furto per lancem, & litium.	XLIX.	p. 348.
De Arboribus furtim coesis, & frugo secta.	L.	p. 351.
De Dolo in re deposita.	LI.	p. 353.
Si Quadrupes pauperiem fecisse dicatur.	LII.	p. 354.
De Pastu pecoris	LIII.	p. 355.
De Tigno injuncto.	LIV.	p. 356.
De Famosis libellis.	LV.	p. 358.
De Reliquis injuriis.	LVI.	p. 362.
De Pecuniis repetundis.	LVII.	p. 365.
De Falsis testibus.	LVIII.	p. 366.
De Teste desertore.	LIX.	p. 367.
De Coetibus nocturnis	LX.	p. 369.
De Crimine perduellionis	LXI.	p. 369.
De Parricidio, sive hominis Caede, & Veneficiis.	LXII.	p. 370.
De Caede parentum.	LXIII.	p. 373.
De Incendio.	LXIV.	p. 374.
De Ordine judiciorum & de in jus vocando.	LXV.	p. 375.
De Vindiciis.	LXVI.	p. 382.

De

Digitized by Google

De Pactis.	Cap. LXVII. pag. 384
De Causa peroranda.	LXVIII. p. 385
De Vadimonio deserto.	LXIX. p. 388
De Obvagulando.	LXX. p. 319
De Vindiciis.	LXXI. p. 392
De Sententia, & re judicata.	LXXII. p. 398
De Jure publico, & de legis actione.	LXXIII. p. 405
De Privilegiis non irrogandis.	LXXIV. p. 407
De Capite civis romani.	LXXV. p. 411
De Indulgentia in hostes.	LXXVI. p. 411
De Jure Sacro, & religioso, & Sacris privatis.	LXXVII. p. 414
De Religiosis, & Sumtibus funerum.	LXXVIII. p. 419
De Jure Flaviano.	LXXIX. p. 437
De Actibus legitimis sive Actionibus legis.	LXXX. p. 441.
De Mancipatione.	LXXXI. p. 445
De Cessione in jure.	LXXXII. p 448
De Emancipatione.	LXXXIII. p. 449
De Adoptione.	LXXXIV. p. 450
De Adrogatione.	LXXXV. p. 451
De Manumissione.	LXXXVI. p. 455
De Aditione hereditatis.	LXXXVII. p. 457
De Optione.	LXXXVIII. p. 460
De Tutoris datione.	LXXXIX. p. 461
De Acceptilatione.	XC. p. 461

Sequuntur Tabulae Duodecim.

De in jus Vocando.	Tab. I. pag. 463
De Judicis & Furtis.	II. p. 464.
De Rebus Creditis.	III. p. 465
De Jure patrio, & jure Connubii.	IV. p. 466
De Haeredit. & Tutelis.	V. p. 467.
De Dominio, & de possessione.	VI. p. 68
De Delictis.	VII. p. 469
De Juribus praediorum.	VIII. p. 470

Digitized by Google

De Jure Publico. Cap. IX. pag. 471
De Jure Sacro. X. p. 472
Supplementum V. prior. tab. XI. p. 473
Supplementum V. poster. tab. XII. p. 474

LIBR. III.

De Justitia Civili. I. p. 475
De Mente humana, & ejus jure in corpus. II. p. 477
De Natura Servis, & natura Dominis. III. p. 478
De Mero mistoque imperio. IV. p. 480
De Tribus Civitatum generibus, & primò de simplici, sive de Optimo Statu Civitatis. V. pag 481
De Civitate Mista. VI. p. 482
De Civitate Perturbata. VII. p. 483
De Legibus Civilibus & earum causis. VIII. p. 485
De Auctoritate Jurisjurandi, & juris Divini. IX. p. 486
De Variis Civitatis Mistae formis. X. p. 487
De Regno. XI. p. 488
De Tyrannide. XII. p. 494
De Regimine Optimatum, & de Nobilitate. XIII. p. 503
De Ordine medio Civium. XIV. p. 506
De Dominatione paucorum. XV. p. 507
De Republica, & Statu populari. XVI. p. 510
De Civili Conversione rerum Romanorum. XVII. p. 517
De Lege Fusia Caninia. XVIII. p. 520
De Lege AElia Sentia. XIX. p. 524
De Lege Julia Manumissionis XX. p. 530
De Lege Petronia de Servis. XXI. p. 531
De Lege Junia Norbana & S. C. Largiano. XXII. p. 531
De Lege Mensia. XXIII. p. 534
De Lege Visellia. XXIV. p. 535
De Fideicommissariis Libertat. & S. C. Dasumiano. XXV. p. 537
De S. C. Rubriano XXVI. p. 538
De S. C. Junciano. XXVII. p. 539

De

De S. C. Articulejano. Cap. XXVII. pag. 539
De S. C. Vitrasiano. XXIX p.540
De S. C. Noniano. XXX. p.540
De S. C. Claudiano. XXXI. p.543
De Lege Vectii Lybici. XXXII p.546
De Legibus Tutelaribus, & Lege Attilia, Julia, Titia. XXXIII. p.547
De Muliebri Tutela, & lege Claudia. XXXV. p.550
De Lege Laetoria. XXXV. p.555
De Lege Julia, & Papia Poppaea. XXXVI. p.556
De Illicitis nuptiis irritandis sub Marco. XXXVII. p.561
De S. C. Claudiano ad L. papiam. XXXVIII. p.564
De S. C. Calvisiano. XXXIX. p.565
De S. C. Perniciano. XL. p.565
De Spadonibus. XLI. p.565
De Sponsalibus. XLII. p.567
De Vacatione nuptiarum. XLIII. p.571
De Virginibus Vestalibus. XLIV. p.571
De Poenis imparium, & praemiis parium nuptiarum. XLV. p.572
De Divortiis libertarum, & aucto jure patronorum ex conjugio. XLVI. p.574
De Aucto jure libertorum & libertarum ex conjugio. XLVII. p.576
De Praemiis liberorum causa constitutis, & S. C. Claudiano: & de jure trium liberorum. XLVIII. p.577
De Praemiis libertorum ex susceptis liberis. XLIX. p.582
De Muliebri tutela liberorum gratia soluta. L. p.584
De Poenis Cœlibatus, & prohibitione capiendi ex testamento. LI. p.584
De Testamentis Conjugum & Decimis eorum LII. p 586
De Dote constituenda. LIII. p.591
De Remissione juris jurandi. LIV. p.592
De Conditione prohibente Nuptias. LV. p.592
De Lege Julia Miscella. LVI. p.593
De Fundo Dotali ex l. papia, & de jure Italico. LVII. p.598
De Divortiis. LVIII. p.600
De Testamentis libertorum eorumque successione. LIX. p.602

Digitized by Google

Ad L. papiam poppaeam de caducis: sive ad L. Caducariam, & de Vicesimis. LX. p.604
De Jure adcrescendi. LXI. p.613
S. C. & Oratio Antonini de Tutorum nuptiis cum popillis. LXII. p.618
S. C. Plancianum. LXIII. p.622
De Lege Atinia. LXIV. p.626
De Lege Plautia. LXV. p.627
De Lege Scribonia. LXVI. p.627
De Lege Mamilia. LXVII. p.628
De Vsufructu earum rerum, quae usu consumuntur. LXIIX. p.628
De S.C. Macedoniano. LXIX. p.629
Lex julia de Cessione bonorum. LXX. p.630
De S. C. Vellejano. LXXI. p.631
De Lege Cincia. LXXII. p.631
De Lege Cornelia de Testamentis. LXXIII. p.633
S. C Neronianum de Legatis. LXXIV. p.634
De Lege Furia. LXXV. p.634
De Lege Voconia. LXXVI. p.635
De Lege Falcidia. LXXVII. p.636
De SCto Trebelliano, Pegasiano, Aproniano, & Sabiniano. LXXVIII. p.638
De Lege Velleja & ad L. gallus. ff. de liber. & postum. 643
LXXIX. p.[illegible]
De Lege Glicia, sive de querela in officiosi testamenti. XXC. p.649
S. C. Julianum de petitone hereditatis. XXCI. p.651
De S. C. Claudiano, sive de adsignatione libertorum. XXCII. p.652
De S. C. Tertulliano. XXCIII. p.653
De S. C. Orficiano. XXCIV. p.656
De Lege Cornelia, & Julia Majestatis. XXCV. p.657
Ad L. Juliam de Adulteriis. XXCVI. p.664
De Stupro. XXCVII. p.679
De Incestu, & lege Pedulea. XXCIIX. p.680
De Aversa venere. XC. p.686

Ad

Digitized by Google

Ad Leg. Plautiam, & Leg. Juliam, de vi publ. & vi privat. Cap. XCI. pag. 689
De S. C. Voluſiano. XCII. p. 693
Ad Leg. Juliam Repetundarum. XCIII. p. 694
De Lege Calfurnia Junia. XCIV. p. 695
Ad L. Juliam Peculatus, de Sacrilegiis & Reſiduis. XCV. p. 701
Ad Leg. Juliam de annona. XCVI. p. 705
Ad Leg. Juliam agrariam ſive de termino moto. XCVII. p. 706
Ad Leg. Juliam de ambitu. XCVIII. p. 707
Ad Leg. julias judiciarias. XCIX. p. 709
De Lege Cornelia de falſis, & ad S. C. Libonianum, aliaque ad eam adjecto. C. p. 711
De Lege Cornelia numaria. CI. p. 717
De Leg. Cornelia de injuriis. CII. p. 719
Ad Leg. Corneliam de Sicariis. CIII. p. 721
De Lege Cornelia & Pompeja de Parricidis. CIV. p. 731
De Lege Titia Publicia & Cornelia de juſſu. CV. p. 733
De Furtis. CVI. p. 735
De Lege Fabia de plagiariis CVII. p. 736
De Lege Remmia Petronia & S. C. Turpilliano. CVIII. p. 739
De S. C. Silaniano, & Statiliano, ad aliis ad eamdem rem S. C. CIX. p. 742
De Lege Aquilia, & S. C. prohibita. CX. p. 747
De Lege Rhodia de jactu. CXI. p. 750
De Lege Licinia CXII. p. 756
S. C. de religione Sepulchrorum. CXIII. p. 756

Digitized by Google

INDEX SPECIALIS RERVM ET VERBORVM IN LIB. I. II. & III.

ACcensi, *unde appellati.* pag. 9
eorum officium. 9
Acceptilatio *quid, ejusque formula.* 462
Accursius *Florentinus.* 183
ejus alacritas & industria. 183
doctrina, laudes, mors. 184
liberos doctissimos reliquit. 185
Actio *aquae pluviae arcendae.* 308
Tutelae. 292
Finium regundorum. 314
de Tigno juncto. 357
Actiones *legis quid* 52. 437. 441
quae ejus capita. 444
Vtiles *quae.* 79
unde descendunt. 79
Actus legitimi, *qui dicuntur.* 442
eorum indoles. 442
num & quatenus a legis actionibus differunt. 441. *seq.*
A. Cascellius. 103
oblatum Consulatum recusavit. 103
ejus scientia juris. 102
eloquentia & scripta. 103

Digitized by Google

Aditio hereditatis *quid.* pag. 457
quot modis contingebat? 457
Adoptionis *indoles.* 450
ejus diversitas & effectus. 451
Adrogatio *quid.* 451
ejus indoles, diversitas, effectus. 451. *seq.*
Adulterium *quid.* 666
unde nomen habet. ibid.
quam habet poenam. 666
quam vindictam alteri Conjugi Patrive permittit. 667. *seq.*
num inter desponsatos committatur? 673
num Concubinam ancillam comprehendat? 673
ejus adjutores quibus poenis afficiuntur. ibid.
accusandi modus, cuique ea concessa. 674. *seqq.*
Advocatus *fisci.* 151
AEdes *inter vicinas quale spatium intercedere debet.* 306
AEdiles.
eorum munus. 71. *seq.*
aetas justa. 72
Jurisdictio. 72
locus quem in Senatu occupabant. 72
Edicta. 72. 73
AEdiles Curules *unde nominati.* 70
ex quibus collecti. 71
eorum habitus & insignia. 72
AEdiles Cereales. 73
AEgyptii *unde leges acceperunt.* 264
AElianum Jus. 52
AElii *fratres.* 88
AElius Marcianus. 120
AEmilius Ferrettus. 209
ejus fata. 209
legati & Doctoris numere egregie functus. 209
AErarium *Pop. R. qui dispensabat.* 23

Digitized by Google

Abas 60. Ann. generationis finem leges constituerunt. pag. 563
& ultra generationi non plane in masculis inepta. 563
Africanus. vid. Sext. Catil.
Agrorum cultura dignitas ap. Rom. 157
Albericus de Rosata. 189
doctrina illustris. ibid.
Advocati & legati munere functus. 189
ejus mors. 190
Album Praetoris quid fuit. 67. seq.
Alciatus. 206
nullo parturientis dolo natus. 207
Jurisprudentiae pristinum tenorem restituit. 206
praemiis honoribusque summis affectus docuit. 208
victu abundantiori decessit. 209
ejus aestimatio & scripta. 208. 209
Alcibiates se Patriamque perdidit. 490
ejus mores ac vitae ratio. ibid.
Alexander Tartagnus. 201
ejus aemulus Andr. Barbatius. ibid.
gravi rectoque ingenio fuit. 202
ejus doctrina, munera, mors. 201. seq.
Alfenus Varus. 104
ex sutore Jurisperitus & Consul evasit. 104
Servii auditor. 104
hujus libri. ibid.
Ambitus qui rei? 707
Ampliare reum quid notat? 696
Antistius Labeo. 105
ejus Pater, honores & studia. 105. 106. 107
insanus ab Horatio appellatur. 105
Augusto restitit. 105
Autor Sectae Proculianorum & Pegasianorum. 107
hujus scripta. 107

Digitized by Google

Antonius Auguſtinus pag. 213
ejus origo. 203
a Jure Civili & Pontificio labes abſterſit. 213
Epiſcopus ubi. 213
ejus laudes ſcriptaque. ibid.
Antonius Faber. 218
Antipater. *vid. Coelius Ant.* 51
Apparitores. 9
Appellatio *a Conſulibus ad Pop. R. licita.* 21
Aquae pluviae *arcendae actio.* 308
Arbores *quanto ſpatio a confinio abeſſe debent.* 312
Arborum *caedendarum diſpoſitio.* 310. 351. *ſeq.*
lex ex 12. Tabb. 310. 353
fructus fures quomodo puniebantur. 351
de Arena. *vid. Jacob. d. Arena.* 45
Ariſto (*Titius*) *ſummis a Plinio laudibus extollitur.* 118
Arius Menander. 120
Severi Imp. negotiis functus eſt. 120
Armorum *uſus quatenus interdictus.* 692
absque armis etiam vis inferri poteſt. 690
Aſſeſſores *Praefecto Praetorio aſſidebant.* 150
hujus munere Principes aliquando functi. 150
Aſſis *cumputandi ratio.* 357
Attejus Capito.
aemilius Labeonis. 107
conſulatum impetravit. 108
adulatus eſt Auguſto & Tiberio. 108
aquarum curationem geſſit. 108
ejus ſcripta & mors. 109
Atinius. 6
Aufidius Tucca & Namuſa. 104
Aufidius, *vid. Cnej.*
Azo, *Bononienſis,* 179
ſumme celebris erat. 280

Digitized by Google

ejus auditores, scripta. 180
mors. 181

B.

BAlbus. *vid. Lucilius.*
Baldus. 197
unde originem ducit. 198
Bartoli discipulus & aemulus. 197
carpendi studio deditus erat. 197
ejus doctrina, vitaeque ratio. 198. *seq.*
liberi. 200
Balduinus, *Bononiensis.* 182
ejus dignitas. 182
recti JCti titulo indignus. 182
Baro. *vid. Euginar. Baro.*
Bartholomaeus a Capua. 186
ejus doctrina & honores. 187
Barnaba Brissonius. 225
Advocati, Praesidis & legati munere functus est. 226
rerum veterum investigator acutus. 226
a Civibus seditiosis infeliciter peremtus fuit. 227
Bartholus. 190
unde ortus. 194. 196
spinis dialecticis Jurisprudentiam distraxit. 191. *seq.*
ejus schola. 191
laudes. 194
scripta ac mors. 196
Censores iniquos habuit. 192
insignia familiae impetravit. 195
Basilicorum libri. 163
quem autorem habent. 164
ad Justiniani libros supprimendos conscripti. 164
eorum diversitas & fata. 254. *seq.*
Bellum & Servitutes *cur ad Jus Gentium a JCtis relata.* 253
Bellum *apud Rom. qui gerebat.* 34. 24. 21
ejus Jus. 253

finis

Digitized by Google

finis est pax. pag. 253
de Belviso. *vid. Jacob. d. Belv.*
Bituricensis schola. 214
docentium & discentium numero clarissima. 214
Boni *malive natura quae.* 233
Bonorum *finis.* 239
Bossianus (*Joh.*) 179
Brutus (*Marc. Jun.*) 89
Budaeus. 211
unde originem trahit. 212
reprehendendi alios libidine flagrabat. 211
ejus officia, honores & scripta. 212
Bulgarius. 170
cur os aureum appellabatur 176
Bononiae docuit. 176
ejus doctrinam pro legibus habebant. 176
fata. 177
Bustum *quid.* 435. *seq.*
quo spatio ab aedibus distare debuerit. 434
Butrigarius. *vid. Jacob. Butr.*

C.

CAdaverum *Roman. humatio.* 419. *seq.*
quibus ritibus absolvebatur. 419. 424
usto. 419
unctura. 428
sepultura. 421. *seq.*
num lacrymis perficienda. 427
quibus sumtibus permissa. 424. *seq.*
sepulcra horumque jura. 435
Caducae res *quae dicebantur & quot modis fiebant.* 605. *seq.*
quibus reliquendae erant. 608
quousque fiscus ab iis arcetur. 608. *seq.*
earum fraudes detegentes praemiis afficiebantur. 617. *seq.*
Caelibes *unde dicti.* 559
coelibatus sui poenis luebant. 585

Digitized by Google

ex teſtamento alieno nihil capere poterant. pag. 584
quousque iis ex cognatorum teſtamentis capere licuerit. 584
qua aetate poenis premebantur. 585
hujus aetatis computandae ratio. 585
eorum poenas omnes ſuſtulit Conſtantinus. 586. 591
Cajus, *noſter a Juſtinian. dictus.* 116
nomine ſpeciali ignotus. ibid.
Inſtitutiones juris ſcripſit. 116
Cajus Aquilius Gallus. 97
Cajus Caſſius Longinus. 113
Parentes quos habuit. ibid.
avitorum virtutum propagator. 113
doctrinae magis quam bello vacavit. 114
Judaeorum Stolam Pontificiam in Roman. poteſtatem redegit. 114
in exilium cur actus. 115
Cajus Mart. Figulus. 90
Cajus Liv. Druſus, *ejusque juris ſcientia.* 91
Cajus Juventius. 99
Calliſtratus. 120
Caput Civis Rom. *quid complectebatur.* 411
de ea quomodo judicandum. ib.
lex duod. tabb. 412
Capito. *vid. Attejus Cap.*
Caſcellius. *vid. A. Caſcellius.*
Caſtilioneus, *ejusque ſcripta.* 205
Caſtrenſis. *vid. Paul. Caſtr.*
de Cauſa peroranda. 385
quamdiu id licuerit. 385
leges duod. Tabb. 387
Cautio Mutiana *quid & a quibus praeſtanda.* 595. 596
ejus praeſtandae ratio. 595
in quaſi uſufructu quae. 628
non poteſt remitti a teſtatore. 628
fidejuſſoribus praeſtanda. ibid.

Cel-

Digitized by Google

Celsus Pater. pag. 111
conjurationis autor poenam astu elusit. 111
Licinio nepoti offensus. ibid.
Celsus filius. ibid.
Adrianum consiliis juvit. ib.
libros plures scripsit. ibid.
Censores. 10
eorum officium. 11. seq.
dignitas ac potestas. 11. seq.
Census *natura.* 11. 12
quis eum instituerit. 11
Censura Magistratus, *ejusque indoles.* 136
morum Praefectura post appellabatur. ibid.
ab Imperatoribus etiam exercita. ibid.
Cerbidius Scaevola. 121
discipulis & eruditione clarus. ibid.
Ceres *legislator qualis fertur.* 263
Cessio in jure *quid.* 448
quibus ritibus peragebatur. ibid.
Cessio bonorum *quid.* ibid.
quibus permittitur. ibid.
quem effectum habet. ib.
Charondas, *legislator Graecus.* 265
Cinus, *Pistoriensis.* 188
Juris studio & Poesi clarus. ibid.
Jus Pontificium perstrinxit. 189
ejus discipuli. ibid.
Civile Jus. 1
Civilis potestas *quid.* 254
Civitas *quid.* 256
sine lege corruit. 493
ejus natura unde aestimanda. 475
in humana repraesentatur. ibid.
ejus status optimus quando. 476. 481. 515
num detur. 484

Digitized by Google

ejus ſtatus miſtus quando adeſt. pag. 482
perturbatus quando occurrit 483.487.516
Civis Rom.
de ejus capite quomodo judicandum. 411
inferioris ſortis. 20
Cives medii generis *qui dicendi.* 506
ſunt optimi in Republ. ibid.
eorum numerus qualis Athenis. 408
Claudius *rei navali ſtuduit.* 534
praemia ingentia naves fabricantibus poſuit. 534
Claſſes *P. R. quot.* 18
ſingulae quos receperunt. 18. ſeq.
quot centurias complexae. 19
Clientes *Romani qui erant.* 295
eorum officium. ibid.
Cn. Aufidius. 98
ejus caecitas ac ſcientia. 99
Cn. Trebatius Teſta *ejusque ſtudia.* 102
Codex Juſtinianeus *unde collectus & quando editus.* 153. ſeq.
Cogitatio *num & quatenus punienda.* 662
Collegia *quae fuerint conceſſa.* 331. ſeq.
habuerunt jura. 332
Comitia. 38
a Conſiliis quomodo differunt. 38
eorum habendorum ratio & tempus. 38. ſeq.
ſuffragia. 38
Centuriata. 38
horum poteſtas & habendorum tempus 40. 41
Curiata *horumque aetas.* 38
Tributa *eorumque poteſtas.* 38. 39
Comperendinare *reum quid.* 646
Concubina *num adultrix.* 673
Conditio *quaevis nuptias impediens pro non adjecta habetur.* 593
etiamſi in aliam perſonam concepta. 597

Con-

Digitized by Google

Confinii *ſpatium quod.* 312. *ſeq.*
prohibitio ſolidi inter eos capiendi ſublata. 591
Conjuges *quam hereditatis portionem mutuam capere poſſunt.* 587
ex alieno teſtamento libere capiebant. 588
Conjugum *Jura ex LL. duod. tabb.* 296. *ſeq.*
in ſolido capiendo. 589. *ſeq.*
Conſilium & concilium *quomodo differunt.* 38
Conſtantia *Heinr. Imp. uxor 50. annorum peperit.* 563
Conſules Pop. R.
eorum ratio conſtituendorum. 22
aetas & officium. 21. 22
officium annuum. 22
Poteſtas ac autoritas. 21
belli gerendi ſummam habebant. 21. 24. 34
minores tribunis plebis. 21
ab iis ad Pop. R. appellabatur. ib.
veſtitus. 22
quo tempore magiſtratum inierunt. ib.
etiam Imperatores fecerunt. 136
Coelius Antipater *hiſtoricus.* 93
Coelius Sabinatus. 116
apud Veſpaſianum Imp. magnae autoritatis. ib.
ab eo Sabinianorum appellatio proceſſit. ib.
ejus ſcriptae. ib.
Coepolla. 106
Coetus *nocturni prohibiti.* 369
Coronarum uſus *quatenus permittebatur.* 432. *ſeq.*
lex duod. tabb. 433
Corpus *nullum edit motum.* 477
menti ſubjecti eſſe debet. 481
Coruncanus *vid. Tiberius.*
Creditorum *jus in debitores damnatos* 399. *ſeq.*
Cretio *quid.* 457
Cujacius, *vid. Jacob. Cujac.*
Culei *poena in parricidis num ſublata.* 732

Digitized by Google

Cura *seu Curatio quid.* pag. 289
Curiae Pop. Rom. *quot.* 17
unde dictae. 18
Curiones *unde denominati.* ib.
Curtii *fratres.* 205

D.

DArdanarii *qui appellati?* 706
Debitoris, *condemnati & justo tempore non solventis poenae quae.* 399. *seq.*
Decemviri Rom. 277
Decemvirale jus. 47
Decisiones 50. Justiniani. 156
Codici insertae. ib.
quem ordinem observant. ib.
Decii. 205
Decreta Principum. 145
Depositae rei *dolus quomodo punitur.* 353. *seq.*
Dies *justi qui dicebantur.* 399
praeliares qui. ib.
nominalis infantum qui Graecis fuit. 587
legatorum quando cedit. 612
Digesta Justin. *eorumque natura.* 154. *seq.*
unde denominati. 154
eorum collectores. ib.
in Graecam linguam translata postea. 164
Dii gentilium, *eorumque nomina diversa unde orta.* 415
illos colendi ratio apud veteres diversa. ib. *seq.*
Dinus, *doctrina clarus.* 186
librum sextum Decretal. composuit. ib.
moerore obiit. ib.
Disputationes fori *quid.* 76
Divinatores *quomodo puniuntur.* 729
Divortia, *quibus permittebantur.* 298
mutuo conjugum consensu sine ulla causa erant concessa. 299. 574
primum rariora post frequentiora. 300

Di-

Digitized by Google

Divortia *quae damna marito inferebant.* pag. 600
de iis leges 12. Tabb. 300
Justiniani dispositio. ib.
quid juris apud Athenienses. 299
Divortio facto *ad quem dos perveniebat.* 623
quomodo praegnans mulier sibi consulere potest. ib.
& denunciatione praegnationis facta, quid marito observandum. 625
quomodo denunciatio, quibus & quot personis facienda. ib.
Dominationes *injustae qua ratione conservantur.* 495
Dominii *acquirendi ratio quotuplex J. C.* 316
Domitius Labeo. 118
Domitius Ulpianus. 125
ejus fata. ib.
scribendi genus. ib.
Imperium Alex. Severi consiliis rexit. ib.
Christianorum hostis summus. 126
obiit odio militari. ib.
Domus *seu* aedes *quatenus dirui vetabantur.* 750
Dotem *qui constituere tenentur.* 591. 592
quibus constitui oportet. 591
filiae naturali tantum Pater non constituit. ib.
matrimonio dissoluto quis lucratur. 622. *seq.*
Draco *malum quomodo aestimavit.* 267
Drusus. *vid.* Cajus.
Duarenus. 215
ejus origo, auditores, mors. ib.
Cujacium habuit offensum. ib.
Duodec. Tabulae, *vid.* Tabulae.

E.

EDictum *in albo quis proposuit.* 62
perpetuum *quotuplex.* 66
Adriani. 66
Cornelianum. ib.
Emancipatio *quotuplex.* 449
ejus effectus. 456

Digitized by Google

Engvinarius Baro. pag. 214
aliorum oppositionibus potissimum clarus. ib.
Epistolae Principum. 145
Equestris ordo Pop. Rom. 2
ex quibus conscriptus. 3
seminarium Senatus. 4
ejus insignia. 2
Equites Rom. *unde denominati.* ib.
quo censu fuerint lecti. 3
censu diminuto ad Plebejos transibant. 5

F.

FAbius Sabinus. 121
capite damnatus vitam quomodo servavit. ib.
Fabius Sabinus *filius.* ib.
Cato cur dictus. ib.
Foeminae, *vid.* Mulieres.
viris natura subjectae sunt. 248
quamdiu post mariti mortem aut repudium a novis nuptiis abstinere debent. 571
Fallacissimi *qui sunt.* 510
Famosus libellus *quid.* 358. *seq.*
diversa ejus coercendi ratio. 539
de eo Lex duod. Tabb. 361
Ferrettus. *vid.* AEmilius Ferrett.
Fideicommissa *quid.* 638. *seq.*
eorum introducendorum causae. ib.
veteri Jurisprudentiae ignota. ib.
Fiduciarius *quatenus heredi praefertur.* 617
Figulus, *vid.* Cajus.
Filii *cur natura in Patris potestate sunt.* 479
Filiusfamilias *non ad uxorem ducendam, sed Pater compellitur.* 592
Finium regundorum *Judicium.* 314
Fisci Advocatus. 151
Fiscus *dotem ex solutis imparium aetate nuptiis lucratur.* 372

Digitized by Google

Fiscus
ejus augendi variae causae & leges constituebantur. pag. 604. *seq.*
leges restrinxerunt JCti. 615. *seq.*
ejus jus in bona caduca quale. 608. *seq.*
Flavianum Jus. 47. 52. 437. 441
Fori disputationes *quid.* 76
Formula: *lictor lege age, quando utebantur.* 492
Fragmenta *legum Regiarum.* 270. *seqq.*
duodecim Tabb. 463. *seqq.*
Franciscus Hottomannus. 216
illustri familia oriundus. *ibid.*
mutavit avitam religionem cum bonorum damno insigni. *ib.*
ejus fata adversa. 217. *seq.*
Jurium peritissimus atque Orator fuit. 217
reprehendendi studii amans. 218
ejus laudes & officia. 217
Fundus Italicus *quid.* 598
Funeris sumtus *supra modum qui expendere soliti fuerunt.* 423. *seq.*
eorum erogandorum modus qui & cur fuerit praescriptus. 424. *seq.*
LL. duod. tabb. de iis ac humatione. 431
Furta, *eorumque natura.* 344
distinctio. 244. *seqq.*
per lancem & licium *quae.* 348
nocturna *cur gravius punienda.* 344
diversimode puniebantur. 251. *seqq.*
frugum, *quae poenam merentur.* 251
apud AEgyptios & Lacedaemones impunita. 344
quomodo apud Athenienses puniebantur. *ib.*
de iis ll. duod. Tabb. 349. *seq.*

G.

GLans legenda. 311
lex duod. Tabb. *ib.*
Gothofredus. 218
Goveanus. 210
Aristotelis defensor strenuus. *ib.*

Digitized by Google

Goveanus *ingenio acuto & veloci claruit.* 210
laudatus nimium a Cujacio. 211
Graecia *aliis populis leges dedit.* 265
Gregorius Tholosanus. 218
Grotius. ib.

H.

Hereditas.
ejus divisio quot modis contingit. 325
leges duod. Tabb. de ea. 326
non adita ad quem devolvitur. 512
num & quibus casibus ad heredes transmittitur. 612
delata quae elicitur. 593
repudiata aut omissa cui cedit. 613
ejus pars repudiata num cum onere accrescat. 614
Herennius Modestinus. 127
Vlpiani discipulus. ibid.
Graecae & Latinae linguae peritus. ib.
ejus dignitas. ib.
Hermogenianus *nihil novi prodidit.* ib.
Hesiodus *cur laudandus.* ib.
Homicida *qui dicitur.* 492
Homicidium *quid ejusque poena.* 723
370. 725. seq.
apud veteres parricidium nuncupabatur. 371
Homines novi, 10
Homo *duplici natura praeditus.* 233
quando cupiditatibus maxime indulget. 488
Honorarium Jus. *vid.* Jus honor.
Horas *Romani olim non horologio sed rusticorum more distinguebant.* 47. 68
Hortensius (*Quintus*) 385
Hugolinus a Porta Ravennate. 40
libros feudorum authenticis attexuit. 177
ejus mors. ib.
Humiliores *de Justitia cur solliciti.* 178
481

Digitized by Google

I.

Jacobus Ardizonus. pag. 185
Feudorum librum reliquit. 185
Jacobus de Arena. 187
Jacobus de Belvifo. 188
Jacob. Butrigarius. 188
discipulum habuit Bartholum. ibid.
Jacobus Cujacius. 219
ejus origo. 219
diffidia quae habuit. 219. *seq.*
aliorum industriam & ingenium superavit. ibid.
ejusdem fama insignis, officia, honores. 220. *seq.*
ejus scripta plurima. 223
mors. 223
Jaso Maynus. 202
ex concubina natus. 202
luxuriae deditus ad frugem cur rediit. 202
inimicitias habuit. 203
ejus honores & munera. 202. *seq.*
eruditio & scripta. 202. *seq.*
senio confectus obiit, 204
Ignobiles *qui.* 10
Imperator Roman. 129. *seq.*
Senatoriam dignitatem gerebat. 138
Pontificatum, Censuram, Tribunitiam Potestatem, Consulatum, Proconsulare imperium gesserunt simul. 135.--138
Augustus. 134
cur Augusti, Imperatoris & Caesaris nomen receperit. 134
alias Octavius Dictator appellabatur. 134
Summam Reipublicae rg magis quam nomine gessit. 134. 519
Tribunitiam Potestatem & Censuram administravit. 136
Justinianus. 152. *seq.*
ancipitis famae. 152
quo anno imperio potitus. 152
quae bella gessit. 152

Digitized by Google

Justinianus.
Leges Civiles in ordinem & libros congessit. pag. 152
ejus virtutes vitiaque. 152
Libri, Codex, Digesta, Institutiones, Decisiones, Novellae; quos suo loco invenies.
Imperium *unde ortum.* 257
ejus introducendi necessitas. 257. *seq.*
quinam natura gerunt. 479
a corporis potentia num deducendum. 480
merum & mistum quid. 481
num & qua ratione homini in inanima competat. 478
Imperio *aliorum qui natura subjiciuntur.* 479
Incendium *ejusque poena.* 374. *seq.*
quam Leg. duod. Tabb. habet. 375
Incendiarii *qui dicuntur eorumque poena.* 730. *seq.*
Incestus *inter quos committitur.* 681
quotuplex est. 681. *seq.*
ejus poena hujusque diversitas. 684. *seq.*
Indignus *qui dicitur.* 611
illi quae relicta quomque auferenda. ibid.
quis capere potest. 610. 618
Indulgentia *in hostes.* 412
Infantes *Romani ante triennium a mamma non depellebantur.* 590
Ad Ingenuitatem *quando quis provocare poterat.* 542
Ingenui *nomine qui comprehendebatur.* 562
Injuriæ *realis diversa species.* 362
puniendæ ratio. 362. *seq.*
Institutiones *Justin.* 155
quando editæ. 155
quis composuerit. 155
earum dignitas & auctoritas. 155
Interstitium *sepis quod.* 312
Interpretes.
eorum munus & ratio. 9. 74
æstimatio. 75. *quomodo iis utendum.* 230

Inter-

Digitized by Google

Interpretes Graeci *qui.* pag. 74
Johannes Bossianus. 179
Irnerius. 171
ejus aetas. ibid.
Jurisprudentiae restaurandae adjutor. 121. seq.
Scholae Irnerianae autor. 174
Bononiae Professor fuit. 173
Judicis in aedes *ingredi litigantes prohibebantur.* 709. seq.
Julius Paulus. 126
Vlpianum disciplina & honoribus aequavit. 126
stylo fuit gravis & juris tenax. 127
hujus scripta. 127
Juramenti remissio *quantum Reipubl. noceat.* 484
a quo fieri possit. 592
Julius Cæsar *sui & Patriae perditor.* 490. 518
ejus mores vitaeque ratio. 490
Junius Mauritianus *quo tempore vixit.* 129
Jurisdictio *quotuplex in Vrbe Rom. erat.* 62
earum numerus. 64
conjunctio. 64
Juris *divisio apud Rom. unde petenda.* 40
exercendi ritus qui erant. 437. seq.
Juris-Consulti Rom.
eorum honor ac dignitas. 75
officii ratio. 75. seq.
injure autoritas. 77
diversitas in Philosophiae sectis. 79. 82
Responsa. 77. *haec obsignata Judici tradenda.* 78
dissidia. 82
Icti Sabiniani & Proculiani, *horumque series.* 83. 84
cur ita appellabantur. 116. 118
Icti *nosse debent legislatores agere.* 519
Jurisprudentia *unde nata.* 47
prisca quid complectebatur. 52
quot Philosophiae sectis nititur. 80

Digitized by Google

Jurisprudentia
a quo in ordinem redacta. pag. 78
Cassianorum & Proculianorum. 82.84
quot scholis docebatur publicis. 163
ejus aetas quotuplex. 80
dignitas. 519
Jurisprudentiae antiquae *indoles.* 86
tempus ac duratio. ibid.
mediae *indoles & duratio.* 86
novae *tempus.* 87
novissimae *natura & tempus.* ibid.
Justinianeae *fata adversa.* 167
restitutio. 168.170
Jus accrescendi *quando obtinet.* 614. 596
ejus indoles. 613
num inter legatarios obtinet. 615
num repudiata portio cum onere accrescat. 614. seqq.
Jus AElianum *unde profectum,* 52
Jus Decemvirale *unde dictum.* 47. 68.
Jus duodecim Tabularum. *vid. Leges duod. Tabb.* 49. seq.
Jus Flavianum. 47. 437. 441.
Jus Honorarium *unde natum.* 47
ejus indoles & differentia a Jure Civili. 69
Jus Italicum *quid.* 598. se.
quomodo Cujacius interpretatur. 599
Jus Latii *quid.* 598
Jus Gentium. 247. 252
Jus naturae. 234. seq.
Jus Papyrianum. 47
Jus Patrium, *vid. Patrium.*
Jus Quiritum *cur optimum dictum.* 598
ejus summa. ibid.
Jus Romanum *unde manavit.* 269
Jus referendi, *vid. referendi.*
Jus sine scriptis. 76

Digitized by Google

Jus sacrum. pag. 414
Justinianus. *vid. Imperator.*
Justitia *cur potentiores non sollicitos habeat.* 491
menti natura impressa. 492
optimum civitatis statum inducit. 476
Juventius, *vid. Cajus Juv.* L.
LAbeo. *vid. Antist. Lab. Item Domitius.*
Lacedaemonii *cur non nisi cum adulta nuptias inire solebant.* 570
Laterculum *majus & minus.* 143
Codex erat officiorum. 143
ejus Curam qui gerebat. ibid.
Latrones *cur Justitiam non plane deponant.* 491
Legati *ante obitam legationem privatis rebus involvi vetabantur.* 698.699
Legationes *quis Romae excipiebat.* 23
quo in loco exceptae. 25
Legatorum *dies quando cedit.* 612
Legatum *non agnitum cui defertur.* 613
cur a fideicommisso separatum fuit. 616
Leges Sociales *quae appellatae.* 695
Lex, *leges quid.* 485. 492. *seq.*
naturae obsequi non imperare debet. 564
a quibus ferri poterat. 406
ratio ferendae ejus. 34. 45. *seq.* 406
publicandae. 42
approbandae. 45
improbandae modus & formula. ibid.
abrogandae modus. 406
ferendae formula. 42
de iis lex 12. tabb. 407
Legis actiones. 52
venia cur raro concedenda. 492
Lex M. Acilii Glabrionis *quae.* 696
Lex Aelia Sentia *quo tempore lata.* 524
ejus natura. 524

Digitized by Google

Lex Aelia Sent.
ejus autor qui. pag. 529
sublata ex parte a Justiniano. 524
cavet de latrone libertum inopem negligente 528
certam aetatem manumittentis & manumittendi praescripsit. 525
Lex Aquilia *ejusque autor.* 748
in universum de damno culpa per hominem dato resarciendo disponit. 747. seqq.
capita tria complectitur. 748
quae horum summa. 748. seq.
aestimatio damni quomodo instituenda. 748. seq.
ejus actio adversus heredes non, nisi ex damno dato locupletiores sint, conceditur. 749
Lex Atilia. 54
Lex Atinia *ejus indoles.* 55. 626
ejus aetas. 628
rei furtivae usucapionem cui concedit. 626
Lex Aufidia. 57
Lex Baebia. 57
Lex Calfurnia *Junia.* 695. 57
Praetorem constituit, qui de rapinis magistratuum provincialium judicaret. 695
Lex Cincia *quando prodiit.* 631. 55
ejus autor. 632
dona ob causas orandas accipere vetat. 631. seq.
in desuetudinem trahebatur. 632
restituebatur sub Augusto. ibid.
limitata & dona ad certum modum reducta sub Claudio. ib.
Lex Claudia. 54. sq.
Lex Clodia. 57
Lex Cornelia *de falsis ejusque autor.* 711. 57
falsa instrumenta, & quamvis veritatis mutationem in alterius praejudicium, vetat. 711. seq.
ejus poenae harumque diversitas. 712
ad eam quatuor SCta revocantur horumque indoles. 712. seqq.
Lex Cornelia *de Injuriis ejusque autor.* 719
inju-

Digitized by Google

Lex Cornel.
injurias manu illatas, eumque, qui in alienam domum irruperit, persequitur. 719
duplicis generis actiones prodit. 720
quam poenam reis constituit. 721
Lex Cornelia Nummaria *ejusque autor.* 717. 57
pretiosiori metallo deterius infundere, monetamque adulterare vetat. 717
ejus poena. 717. *seq.*
Lex Cornelia de Repetundis *ejusque autor.* 696
ejus summa quae. *ibid.*
Lex Cornelia de Sicariis. 58. 721
civium vitam ab insidiis sceleratorum tegit. 721
unde denominata. *ibid.*
ejus poena quae. 724. *seq.*
Lex Cornelia de Testamentis *ejusque autor.* 696
confirmat testamenta in urbe ab eo condita, qui apud hostes obiit. 634. *seq.*
Lex Cornelia de Veneficiis. 58. 724
ejus introducendae ratio. 724
homines veneno fraudulenter necare prohibet. 725. *seq.*
quam poenam constituit. 726. *seq.*
Lex Duillia *populo cumprimis subvenit.* 36
Leges Duodecim Tabb. 49
earum collectores qui. *ibid.*
colligendarum ac componendarum ratio. 50. 278
conditores 87
ordo. 279
diversa denominatio. 280
num aeneis an eboreis tabulis inciſae. 278
cur plures a Cicerone fictae fuerint. 414
quos habuerunt scriptores. 280
Lex Fabia. 57
Lex Fabia de Plagiis, *ejusque autor qui.* 737
cum qui hominem invitum celavit, detinuit, &c. damnat. ib.

Digitized by Google

Lex Falcidia *unde appellatur.* pag. 636
quo anno lata. ibid.
heredi quartam hereditatis partem salvam reliquit. 636. 56
ad successiones ab intestato, donationesque mortis causa fuit extensa. 637
Furiae & Voconiae legis vires fregit. 637
Lex Furia *ejusque autor.* 634
certum modum legandi & mortis causa donandi praescripsit. 634. 56
a testantibus callide quomodo eludebatur. 635
Lex Fusia Caninia, *ejusque indoles.* 53. 520. *seq.*
ejus lator qui. 520
quando lata fuit. ibid.
num fideicommissarias libertates contineat. 521
Cujacii de ea sententia. 522
Lex Glicia *ex l. 4. ff. inoff. Test. investigatur.* 649
ejus fundamentum est querela inofficiosi Testamenti. 649. 56
Lex Hostilia *ejusque aetas incerta.* 735
Procuratori certa ratione furti agere indulgebat. 736
Lex Icilia *Tribuno ad Populum loquenti contradicere vetat.* 36
Lex Julia de Adulteriis *unde nomen & ortum trahit.* 664
Adulterium aliaque libidinis crimina omnia coercet. 665.
ejus poenae harumque diversus modus. 667. *seqq.*
Lex Julia de ambitu, *ejusque autor qui.* 57. 708
munera & honores pecuniis impetrare vetat. 707
quam poenam constituerit. 707. *seq.*
Lex Julia & Titia. 54
Lex Julia *de* maritandis ordinibus *quae.* 554. 500
mulieri ad dotem Tutorem dedit. 555
Lex Julia Majestatis *unde nomen ducit.* 659
Imperantis & Reipublicae securitati prospicit. 658
quae crimina proprie complectitur. 659. *seqq.*
ejusdem poenae, harumque diversa ratio. 658. *seqq.*
illa quousque ad alios criminis haud reos poenae sensum extendat. 662

Lex

Digitized by Google

Lex Julia Miſcella *unde denominata.* *pag.* 594
cautionem Mutianam introduxit. 595
eam Juſtinianus temperavit. 597
Lex Julia Peculatus *unde nomen habet.* 701
furta pecuniae publicae vetat. 701. *ſeq.*
ejus poena antiqua quae. 702
hodierna. 703
quinquennio praeſcribitur 705
Lex Julia *de* Reſiduis. 57
Lex Julia *de* Sacrilegio. *ibid.*
Lex Naturae. *vid.* Natura. 234
Lex Julia de Vi, *ejusque autor.* 691. 57
armorum uſum, tumultus aliosve actus vi patratos prohibet. 692
Lex Julia *de* Annona, *ejusque autor.* 705
alimenta dolo quocumque modo cariora reddere vetat. 706
ſervorum mulierumque delationes recipit. 706
quam poenam conſtituit. 706
Lex Jul. Agraria *ejusque autor.* 706
agrorum terminos movere finesque turbare prohibet. *ibid.*
quam poenam reis decernat. *ibid.*
Leges Juliae judiciariae *cur conſtitutae.* 709. *ſeq.*
domum Judicis litigantes ingredi, aut duos reos uno tempore convenire aliaque vetabant. 709
quomodo limitari & interpretari ſolent. 709. *ſeq.*
Lex Julia manumiſſionis, *ejusque autor.* 530
Principem a ſolennitatibus manumiſſionis abſolvit. 530
Lex Julia & Papia Poppaea. 556. ſeq.
ejus autores. 557. 558
ferendae neceſſitas atque dignitas. *ibid.*
caelibatum prohibuit. 557
infamiam, qua caelibes laborabant, ſuſtulit. 559
conjugis & liberorum multitudini praemia conſtituit. 557
relictorum ex alieno teſtamento partem in aerarium transtulit. *ibid.*
a JCtis reſtricta & variis Reſponſis implicata fuit. 557

Lex Jul. & Pap. Popp.
quomodo utraeque a se invicem differunt. pag. 558
capita diversa complectuntur, quae eruit Gothofr. 559. *seqq.*
Lex Junia Norbana *quando lata.* 53. 531
de servis in convivio epistola manumittendis cumprimis disponit. 531
Lex Junia *a Jun. Penno lata.* 695
magistratuum provincialium avaritiam punit. ibid.
Lex Laetoria *terminum pubertatis ad ann. 25. posuit.* 555. 54
adolescentibus luxuriosis curatores ordinavit. 555
circumventis succurrebat. ibid.
horum stipulationes prohibuit. 556
Lex Licinia *societati contra socium, qui partem suam dolose alienavit, succurrit.* 756
Lex Manilia *ejusque autor.* 628
Lex Mensia *ejusque summa.* 534
Lex Petronia *ejusque autor.* 531. 56
in dubiis sententiis pro servi libertate decidendum praecipit. 531
non Domini sed Judicis arbitrio servos ad bestias damnari vult. ibid.
num de iis, qui accusationem desituunt, etiam disposuerit. 741
Lex Pedia 57
Lex Peducea *ejusque indoles.* 684
Lex Petilia. 57
Lex Plautia. 55. 627
ejus autor M. Plautius Sylvan. 627
res vi possessas usucapi prohibet. 627
Lex Plautia *sive Plotia de vi publica & privata.* 689. 691
ejus autor Publ. Plautius. 691
publicae securitati prospexit. ibid.
Lex Publicia & Titia *ludos lucri causa institutos circumscribit.* 834
quos ludos excipit. ibid.
quam coercitionem in ludentes statuit. 734. 735

Lex

Digitized by Google

Lex Regia *quid complectitur.* 139
ejus fragmenta. 270. *seq.*
Lex Remmia *incerto diversoque nomine producitur.* *pag.* 739
ejus autor certus non determinari potest. *ibid.*
infamiae literae K. in fronte imprimendae subjicit eos, qui per calumniam aliquem publico judicio accusarunt. 740
ex ea damnati frontis non integrae dicebantur. *ibid.*
Lex Jul. Repetundarum. 75. 694
Magistratus avaritiae obicem posuit. 694
Lex Rhodia de Jactu *unde appellata.* 751
ejus autores & collectores qui. 751. *seq.*
de damno mercium ejectione navis levandae ergo facta resarciendo agit. 752. *seqq.*
ratio damnorum aestimandorum. 753. *seq.*
Lex Scatinia *ejusque autor.* 686. 687
adolescentes venere corruptos, eorumque corruptores coercet. 687. *seqq.*
Lex Scribonia *ejusque autor.* 55. 627
Servitutum usucapionem quatenus sustulit. 627
libertatem usucapi non impedit. 628.
Lex Servilia *quae.* 696
Lex Titia. *vid.* Publicia.
Lex Tullia. 57
Lex Vectii Lybici. 54
Lex Velleja. 56. 643.
Lex Visellia *quando lata.* 535
varie denominatur. *ibid.*
capita sua non habet amplius integra. *ibid.*
extantium summa quae. 535. 53
sublata a Justiniano 535
Lex Voconia *ejusque autor.* 635
libertatem legandi & foeminarum successionem circumscripsit. 635. *sq.* 56

Libel-

Digitized by Google

Libelli, *eorumque indoles.* 146
sub Augusto & Jul. Caesare primum invaluerunt. ib.
Liberi, *quae praemia habuerunt.* 577. *seq.*
hos qui habebat alteri in Magistratus petitione praeferebatur. 577
quae praemia Lacedaemoniis attulerunt. 579
simulata adoptione quaesiti non prosunt. 577
singuli annum addebant ad Parentis aetatem. 578
suscepto munere nati num prosint. 580
actis publicis singuli inscribebantur. 578. 580
eorum computandorum ratio. 579. *seq.*
numerus qui sufficit & unde probandus. ibid.
numero insunt qui bello ceciderunt. 578
numerus Principis gratia interdum impetrabatur. 581
qualis matrem a tutela liberat. 584
praemia num a Theodosio sublata. 581
qua ratione ad Latinos & libertos pertinuerunt. 582. *seq.*
Liberta *non potest Patrono invito a nuptiis discedere, ut ad novas transeat.* 574
discedens invito Patrono a nuptiis, quae damna sentit. ib.
ei nuptae concubinatu interdictum, non sponsae. 575
Liberto *quando Equestris ordo concessus videbatur.* 536
Liberti *aureo annulo uti poterunt.* 535
eorum praemia ex nuptiis & liberis. 576. *seq.* 582. *seq.*
Libertatis *quaestio sub Augusto mota.* 521
datio virtutis praemium. 525
Latinae *indoles.* 531
haec sublata a Justiniano. 533
Libertatis *Latinae consequendae variae causae.* 532. *seq.*
fideicommissariae indoles. 536. *seq.*
Liberti *Jusjurandum de nuptiis non ineundis cur remissum.* 592
quam bonorum partem Patronis relinquere tenebantur. 602
Libertus *ingratus quomodo puniebatur.* 528. *seq.*
Libido adolescentum *aversa quae.* 685. *seq.*
Licinius Proculus. 110
disciplinae Nervae Patris sui sectator. ib.

Digitized by Google

Licinius Proculus. pag. 118
magnam in jure autoritatem obtinuit. ib.
ab eo Schola Proculianorum dicta. ib.
Lictores *eorumque officium.* 10
Lis & jurgium *quomodo differant.* 345
Longinus, *vid.* Cajus Cass. Long.
Lotharius, *Cremonensis.* 182
aemulus Azonis. ib.
armis praecipue claruit. ib.
rei ecclesiasticae parum favebat. ib.
L. Lucilius Balbus. 98
Stoicae Philos. princeps. ib.
Ludos *qui dirigebat.* 71
Lustrum *cur quinquennium denominatum.* 11
Lutii Atilii *aestimatio.* 88
Lycurgus *cur ad Cives nunquam redire voluerit.* 486

M.

MAgi *eorumque poena.* 729
Magister *officiorum Principis Palatium regebat.* 143
Magistri *Scriniorum, eorumque officium & numerus.* 150
Magistratus *in fide continendi ratio.* 493
optimi natura. 512
num Plebeji ad eum adspirare debeant. 513
cur rationes ab iis poscendae. 515
Mancipatio *quid significet.* 328. 445
ejus Indoles & effectus. 328. seq. 445
quas LL. duod. Tabb. habet. 330
Mancipum *quid.* 316. seq.
Mancipi res *quae* 445
Manlius Torquatus. 90
ejus munera, honores, animique constantia. 90
ipse adversus filium suum sententiam tulit. 90
Manumissio *quotuplex.* 455
ejus ritus & effectus. ibid.
per eam civis Reipublicae dabatur. 525

Digitized by Google

Manumissio,
ejus libertatem restituit Justinianus. pag. 523
nominatim facienda. 523
in fraudem Creditorum facta invalida. 526
Domino solvendo haud existenti quatenus permissa. 527
Manumittentis *aetas justa & limitata.* 525. *seq.*
ex hujus domo quantum efferre licuerit. 542. *seq.*
Manumittendi *vindicta ætas.* 525
licentia cur restringebatur. 528
Maramus. 218
Marcello (*Ulpius.*) 120
Marcus Cato. 88
ejus eruditio & dignitas. 88. *seq.*
Marcianus. 120
Marc. Jun. Brutus. 89
Martinus, *Cremonanſis.* 175
ejus origo & vita. 175. 176
ambitio ſingularis. 176
agnati inter principes relati. 176
adversarium Bulgarum habuit. 175
adulatus eſt Friderico. 176
qua morte perierit. 176
Maſiniſſa Rex *86. annorum liberos prosreavit.* 563
Maſurius Sabinus. 112
doctrina Ateij. Capitonis ſucceſſor. 112
auditorum liberalitate vixit. ib.
primus de jure publica autoritate reſpondendi jus nactus. ib.
Equeſtrem ordinem virtute acquiſivit. ib.
Mathematici *qui dicebantur.* 129
Mauritianus (*Jun.*) 120
Menander. *vid.* Arius Men.
Miniſterium *publicum quid.* 696
Monetae cudendae *ſcientiam unde Romani didicerunt.* 249
Morbi *naturae rationalis.* 242
Mornatius. 218

Digitized by Google

Mulieres *Rom. perpetuae fuberant tutelae.* pag. 549
nubentes jus familiae quando amittebant. 550
innuptae agnati Tutelae fuberant. 551
puberes num a tutela per Vlpianum fuerint libertatae. 552
Mulierum *puberum tutelam Justin. abrogavit.* 554. *seq.*
Mulieres praegnantes *id intra 30. dies a Divortio marito denunciare debent.* 623
hujus denunciationis diversitas ac effectus. 623. *seq.*
qui & quot ad hanc denunciationem mittendi. 625
Muliera *cur divitibus solis non deferenda.* 507. *seq.*
Manuscula *accipere quando locuerit.* 698
Mutiana cautio *quid, & a quibus praestanda.* 596
ejus praestandae ratio. 595

N.

NAtura *rationis cum corporis natura semper certat.* 254
corporis. 237
Naturae *lex duplex.* 234. 237. 241
promiscua. 235
rationis. 237
lex obsequi, non imperare, debet. 564
Neratius Priscus. 112
magni a Trajano Imp. aestimabatur. ibid.
Consulatum gessit. ib.
spe imperii obtinendi per Adrianum excidit. ib.
Nerva Pater. 109
Tiberio familiaris. 109
Tiberii flagitiis indignatus mortem sibi arcessivit. 110
Nerva filius. 110
mature aliis consuluit. ibid.
Nervae Imperatoris Pater creditur. ib.
Ejus scripta. ib.
Nexus *quid.* 446. *seq.*
Nicolaus. 205
Nobiles *qui, atque eorum divisio.* 10. 514

Digitized by Google

Nomina & Cognomina *Romana ratio cognoscendi & discernendi.* 289
Novellae Justiniani. 157
graece conscriptae. 157
quo tempore prodierint. 157
translatae in linguam latinam. ibid.
Novellae Juliani. 158
eas Julianus JCtus vertit. 158
Nundinae *quo die Romae erant.* 41. 391
Nuptiae *prohibitae inter Patricios & Plebejos.* 296
inter Majorem 60. annorum cum majore quinquagenaria. 562
earum laudes & commoda cum tenera puella. 570
injustae & irritae quomodo differunt. 561
earum dissolvendarum modi. 622
Nuptias *illicitas quis dissolvendas tulit.* 561
si aetate impares contraxissent, quam poenam dabant. 572
inituri saepe jurare debebant, se liberorum quaerendorum causa id facere. 595
Nuptiae *cur & quousque inter pupillum & tutorem prohibitae.* 618 *seq.* 621
num inter protutores & pupillum prohibitae. 621
an inter tutoris filium & pupillum permissae. 620
contra prohibitionem a Curatore contractae, quomodo hic punitur. 622
legitime semel contractae postea non vitiantur. 621
quae Praetoribus provincialibus prohibitae. 622

O.

OBvagulatio *quid.* 391
num actori an testi permittebatur. 391. *seq.*
de ea lex 12. tabb. 397
Octavius Dictator. *vid.* Imperator.
Officiorum *magister. vid.* magister.
Offilius, *quos libros scripserit.* 102
Oldradus de Ponte. 187
advocatus fuit callidissimus. 187

Digitized by Google

Oldradus de Ponte.
a Pontifice objurgatus angore obiit. pag. 188
Oligarchia *quid, ejusque incommoda.* 507. *seq.*
Optimates *qui.* 10
eorum in Republ. status quando adest. 488
Optio *quid.* 460. *quando fiebat.* ibid.
Orationes *Principum.* 142. 144
earum indoles. 142
rudiores Principes eas per quaestores recitabant. 132
Otho *judiciorum summarium reliquit.* 178
Othofredus, *Bononiensis.* 185
ejus scripta & mors. 186

P.

PAcis Jus. 251
Pactorum *Indoles.* 384
de his lex duod. tabb. ibid.
Pandectae florentinae *quae.* 169
Pancirolus. 218
Papyrius Praetextatus. 6
ob reticentiam erga matrem in senatum fuit receptus. 6
Unde cognomen praetextatus accepit. ibid.
Papyrianum Jus *quid.* 47
Papyrius, (*Sextus.*) 99
Papyrius Justus. 120
Papinianus. 122
dignitate & eruditione clarissimus. 122. 124
occisus Caracallae jussu. 123
Inscriptiones in eum. ib.
Patricidium *ejusque indoles.* 373
apud veteres homicidium dicebatur. 371
lex duod. Tabb. de eo superstes. 344
apud veteres Rom. penitus incognitum. 731
quo tempore innotuit. 731
in quos committitur. 732
ejus poena. ibid.

Digitized by Google

Partus legitimi *tempus quod.* 300
temporis hujus autores. 302
computandi norma. 301
lex duod. Tabb. de isto. 303
constante matrimonio natus a Patre agnoscendus. 626
Partus Monstrosus *qui dicendus.* 304
a quibus judicandus. 304
necandus statim a Parentibus. 304. 616
quomodo ab Ostento differt. 304
quando matri prodest. 304. 616
lex. duod. Tabb. de isto. 305
Pastus pecoris *quomodo vindicatur.* 315
Paternus Taruntenus. 118
militares libros scripsit. ib.
Patrium Jus. 281. *omnibus gentibus commune.* 281
in Tyrannidem apud quos transiit. ib.
jus vitae ac necis continuit. 284
ejus diversi effectus. 282. *seq.*
expressio quomodo in LL. 12. Tabb. facta. 296
Patronatus Jus. 294
Patroni Romani *unde dicuntur.* 295
a quo instituti. ib.
eorum officium. ib.
successio in liberti bona quaenam. 602
de iis lex duod. Tabb. 298
Paulus Castrensis. 200
Baldi discipulus. ib.
egestate ad studia adductus. ib.
quae munera gessit. 201
Pauperiem *si quadrupes fecerit.* 354
Pax *intenditur bello.* 253
Peculatus *crimen. vid. leg. Jul. peculatus.*
Pecuniae repetundae *crimen quale.* 365
quomodo puniendum. ib. *seq.*
Pedanius *quot servos habuerit.* 522

Pega-

Digitized by Google

Pegasianorum *autor Labeo.* 107
JCtorum. vid. JCti.
Pegasius. 110
non nativitatis beneficio sed virtute honores adeptus. ib.
autor SCti Pegasiani. 112
Perduellis *quis dicitur.* 660
Perduellionis *judicium.* 42
crimen quale & quomodo a majestatis crimine differt. 369. 681
hujus poena. 370
Perezius. 218
Perizonius *vid.* Jacob. Periz.
Permutatio *antiquissima contractuum.* 248
olim venditio dicebatur. ib.
qua ratione olim fuerit inita. ib. *seq.*
Petrus de Bella Pertica. 187
Persarum *Legislator qui.* 263. *seq.*
Philo (*Quint. Publ.*) 40
Philosophia *quae praevaluit in jure.* 80. *seq.*
Phoroneus *Legislator Graec. insignis.* 266
Placentinus. 178
juris scientiam in Galliam retulit. ib.
Placita *Principum. vid. Principum.*
Plato *philosophicam in Rege naturam exposcit.* 489
quam Regni Persici ruinae causam affert. 494. *seq.*
Plagium *quid.* 736
quot modis committitur. ib. *seq.*
quam poenam habet. 138
Plebiscita *a quibus lata.* 39. 40
Plebs Pop. R.
rustica vel urbana. 7
quo loco conveniebat. 38
qui ex ista optimi. 514
ejus indoles. 506
munimentum adversus Nobilium insolentiam. 513
quomodo in officio continenda. 514

Digitized by Google

Poenae *neceſſitas.* 254. 480
ejus diverſitas. 262. *ſeq.*
Pomponius Cajus. 104
an fuerit Servii auditor. 104
Pomponius *vid.* Sextus Pomp.
Pontificatus *maximus Pop. R.* 135
ab Imperatoribus gerebatur. 135
Populus Romanus. 1
ejus diviſio. 2
ordinum autor. 1
poteſtas. 34. *ſeq.*
in criminibus publicis. 63
conventus. 38
Populares *qui.* 10
Poſſeſſionis *Judicium.* 393
ſingulari ratione exercebant Romani. 393. *ſeq.*
Poſthumus *unde dicitur.* 643
quid ſignificat. ibid.
quotuplex eſt. 644
ejus jura quae. ibid. *ſeqq.*
ii quomodo heredes inſtituendi. 645. *ſeq.*
Poſtulare *quid ſignificat.* 740
quis prohibebatur. 740
Pragmaticæ *juſſiones quid.* 144
Praecones. 9
eorum officium. 9
Praefectus *urbis.* 26
ejus poteſtas ac officium. 26
Praefectus *Praetorio.* 147
Conſuli dignitate cedebat. 147
ejus officium. 147. *ſeqq.*
illi aſſeſſores aſſidebant. 150
eorum numerus. 147
Praejudicium *quid in ſenſu jur. Civ.* 624
Praetores Vrbis, *eorumque origo.* 60

eorum

Digitized by Google

Praetores Vrbis pag. 61. 65
poteſtas, Conſulibus abſentibus. 26
habitus. 61
quibus lictoribus uſi. 61
album quid fuit. 67. *ſeq.*
numerus. 64. *ſeq.*
jus reddiderunt e ſella. 61
per annum Praeturam gerebant. 66
Praeteros Peregrini. 61
unde orti. 61
eorum officium. 61. 65
poteſtas. 62
Praetores Provinciales. 62
quamdiu erant in officio. 62
Cereales *qui.* 65
Tutelares *qui.* 65
Edictum juris a ſe reddendi per annum proponere tenebantur. 66
quibus formulis poteſtatem ſuam exercebant. 68
Praetorii *Edicti aequitas & aeſtimatio.* 70
compilatores qui. 70
Pro-Praetores *qui, eorumque nomen unde.* 62
Principem *juvat minores magiſtratus geſſiſſe.* 494
Principum *Edicta quid.* 144
mandata. 145
Reſcripta quid complectebantur. 146
Placita. 47
Orationes. vid. Orationes.
Decreta. 145
Epiſtolae. 145
Priſcus. *vid.* Neratius.
Priſcus *Javolenus.* 116
levis mentis erat. 116
ejus eruditio in jure. 116
auditores, & ſcripta. 117

Digitized by Google

Privilegium *quid.* pag. 407
ejus concedendi ratio ac ritus. 408. *seq.*
lex duod. tabb. 410
Probatio semiplena *num detur.* 664
Proculianorum *Autor Labeo.* 107
Schola unde. 110
Proculiani JCti, *vid.* JCti.
Proculus *vid.* Licinius.
Pro-Consules *unde dicti* 63
Proconsulare *Imperium.* 137
in universas Provincias exercebant Imperatores. 137
Pro non scriptis *res quot modis habeantur.* 605. *seqq.*
Pubertatis terminus *quis.* 555
ex qua lege deducitur. 569
in eo computando Cassiani & Proculejani differunt. 569
Publius Rutilius Rufus. 91
ejus animi firmitas. ib.
scripta ac aetas. 92
Publ. & Sext. AElii, *fratres.* 88
Pyleus *ejusque vitae ratio & scriptae.* 178. 179
Pythagorica *Schola.* 205

Q.

QVadrupes *si pauperiem fecisse dicatur.* 354
Quaesitores *qui.* 63
Quaestiones *perpetuae.* ib.
Quaestores *qui & unde dicti.* 142
eorum officium ac diversitas. ibid.
Quaerela inofficiosi Testamenti. 650
num ex lege Glicia aut ex moribus descendat 650
liberis inique rite tamen exhaeredatis succurrit, Patriaque testamentum rescindit. ib.
num praeteritis quoque indulgeatur. ib.
Quintus Aelius Tubero. 92
ejus frugalitas ac scientia. 92
Quintus Aelius Tubero, filius. 103

Liga-

Digitized by Google

Quintus Aelius Tubero fil.
Ligarium infeliciter accusavit. pag. 103
ejus Praeceptor Offilio. 104
scribendi ratio. ibid.
Quintus Hortensius, *Dictator.* 49
Publilius Philo, *Dictator.* R. ibid.
RAptus virginum *quomodo punitur.* 693
Rationis *humanae jura.* 274
Referendi Jus *quid.* 137
parce Imperatoribus initio concedebatur. 238
Regnum *quando adsit.* 488
optimatum. 504
Repetundarum crimen *ejusque poena.* 365. *seq.* 700. *seq.*
Res litigiosae *quae.* 305
in sacrum non dicandae, & cur. ibid.
de iis lex duod. Tabb. 306
Residui crimen *quod.* 701. *seq.*
qui eo teneantur. 705
Responsa JCtorum. *vid.* Jurisconsilii.
Res publica *quando accurrit.* 488
stricte accepta quid. 511
Roman. a quo constituta. 517
Rex *quis optimus.* 489
satellites exteros non habeat. 490
Rhadamantus *primus legumlator.* 263
Rinaldus. 205
Rivinus. ibid.
Rofredus, Beneventanus. 182
Azonis discipulus. 182
actionum formulas aliaque scripta edidit. 182
Rogerius. 178
Rogus *quid.* 436. *vid. Bustum.*
Romanorum *justitia & jus.* 215
unde profluxit. 253. 263. 269
Patrimonium maxima ex parte in servis constitit. 522
pietas in legibus ferendis. 487

Digitized by Google

Romanorum
ſtatus crebra mutatio. pag. 517
plebis poteſtas. 518
Reſpublica a Romulo conſtituta. 517
quando in Tyrannidem inciderit. ibid.
illi, quo genere cumprimis erant prodigi. 521
cum tenera puella nuptias inire ſolebant. 570
Romam *intrare non niſi depoſito officio licebat.* 24
Romulus *ordinum Pop. R. autor.* 8
de Roſata. *vid.* Alberic. *de* Roſat.

S.

SAbinus *vid.* Coelius Sab. *It.* Fabius. *It.* Maſurius.
Sabiniani *JCti. vid.* Juriſconſulti.
Sacrae *res, eorumque jura.* 416
Sacrificia *hominum varii erant generis.* 728
apud plures Gentes fuere in uſu. 729
eorum poenae. 728
Sacrilegi *qui.* 704
eorum poenae. ibid.
Salicetus *factionibus & exilio clarus.* ibid.
Salvius Julianus. 117
cognomine Severus dictus. ibid.
Adriano Imper. familiaris ibid.
Edictum perpetuum aliosque libros ſcripſit. ibid.
ejus dignitates. ibid.
Sapientis *vita beata.* 243
in hebetiores dominatio cur naturae conceſſa. 479. *ſeq.*
Scaevola. *vid.* Cerbid. Scaev.
Schola *Proculianorum unde dicta.* 110
Bononienſis. 171. a quo inſtituta. ibid.
Bituricenſis. 214
Pythagorica. 265
Scholae publicae *quot in Jure apud Rom. fuerint.* 163
Scientiae & artes *hominis injuſti malitiam augent.* 490
Scribae *doctores quodammodo Magiſtratuum erant.* 8
60.

Sanctiones Pragmaticae . . p. 144

Digitized by Google

Scribae.
eorum officium, dignitas. pag. 8
navales qui. 9
Scrinia *quid.* 159
eorum diversitas. ibid.
cura quibus demandabatur. ibid.
Seditiones *quomodo coercentur.* 68. *seq.*
Senatus *Pop. R. ex quibus erat conscriptus.* 2. 4
quot personis constabat. 3. 4
habendi tempus. 26
ejus locus. 25. 38
autoritas ac potestas. 23
quando diminuta. ibid.
officium in quo consistebat. 23. *seqq.* 34
convocandi jus cujus erat. 26
dimittendi formula. 33
ordo sedendi. 28
ordinis insigne quod. 7
potestas circa bellum gerendum. 34
Seminarium quod. 4
Decreta. 33
Senatores *qui dicebantur.* 3
eorum aetas justa. 5
in Senatum venire cogebantur. 22
quo censu fuerint lecti. 3
ante censum a quibus lecti. 6
censu minuto ad ord. Equestrem descendebant. 5
quo ordine in Senatu sedebant. 28
eorum discessio quid significat. 29
Senatusconsultum. 28. *seqq.*
ejus dicendi ratio & tempus. 28. 36
approbatio. 33
quomodo conscribendum. 31. *seq.*
quot Senatoribus condendum. 30
Senatus saltem faciebat. 40
quomodo asservandum. 32

Digitized by Google

Senatus-Consultum.
a quibus impugnari poterat. pag. 32
ejus impediendi ratio. ib.
post solis occasum condi prohibebatur. 308
SC. Articuleianum *quando prodiit.* 539
Praesidis Provinciae jurisdictionem in causa libertatis extendit 54. 539
SC. Calvisianum *alias Calvitianum dicitur.* 565
de nuptiis a minoris 60. ann. cum majori quinquagenario initis disponit. ib.
SC. Claudianum *ejusque autor Caes. Claudius.* 543. 54
cur Vespasiano adscribitur. 543
mulieres cum alienis servis concumbere sub poena servitutis prohibet. 54. 544
ejus limitatio ac varia lectio ostenditur. 544
& Paulo obstanti respondetur. 546
illud a Justiniano sublatum. ib.
SC. Claudianum *ad Leg. Papiam.* 564
condidit Tiberius Caesar. ib.
prohibet nuptias sexagenarii cum minore 50. annorum. ib.
a Claudio postea abrogatum. ib. seq.
legis Papiae Caput qui abrogatum statuunt, notantur. 565
SC. Claudianum *aliud, quod liberis, quibus libertus a Patre assignatus fuerit, de certa hereditatis parte prospexit.* 652
SC. Dasumianum *libertati servorum favet.* 53. 537
ampliatum fuit a Paulo. 537
SC. Julianum, *a Graecis Adrianum appellatur.* 651
ejus introducendi causae. ib.
fraudulentam hereditatis alienationem coercet. 56. ib.
SC. Juncianum *servis prospexit.* 539
a SCto AEmiliano non discernendum. ib.
SC. Largianum. 53
liberis heredibus a Patre institutis ratione bonorum liberti subvenit. ib.

SC. Ma-

Digitized by Google

SC. Macedonianum *unde appellatum.* 629
ejus introducendi ratio & finis. ib.
improbat mutuum filiisfam. dare, creditoris repetitionem ejus denegat. ib. 55
SC. Neronianum. 744
etiam Pisonianum it. Claudianum appellatur. ib.
poenis servorum subjicit eos, qui manumissi sub eodem tecto mansissent. ib.
SC. Neronianum *a paucis animadversum.* 634
in legatorum favorem introductum. ib.
SC. Ninnianum *sive* Nonianum *incerti autoris est.* 541. 54
Numianum alicubi dicitur. 541
Servorum & libertorum ad libertatem & ingenuitatem proclamantium fraudes restrinxit. 540
delationem fraudis omnibus permisit. 541
detegenti fraudem servos, aut libertos addicebat. ib.
elapso quinquennio aut mortuo ingenuo perimitur. 542
SC. Orficianum *liberis successionem concedit.* 657
quos liberos excludit. ib.
SC. Pegasianum *quo tempore conditum.* 639
fiduciario quartae detractionem concedit. 56. ib.
SC. Pernicianum *caelibes perpetuis caelibatus poenis subjecit.* 565
abrogatum a Justin. ib.
SC. Plancianum *etiam Plautianum appellatur.* 622
de denunciatione praegnationis post divortium & partu agnoscendo disponit. 623. seq.
incertae est aetatis. 622
SC. Rubrianum, *unde dictum.* 538
servis libertatem, quam heres rogatus praecidere intendit, plene concedit. 56. 538
adoptato filio prospexit. 56
adimit heredibus rogatis jus Patronatus. 538
limitatur. ib.
SC. Sabinianum *heredibus adoptivis prospexit.* 642. 56

SC. Si-

Digitized by Google

SC. Silanianum *num a quibusdam recte Syllanianum dicatur.* 742
ejus origo & aetas diu incerta. ib.
eos, qui negligunt aut refugiunt accusare, poenis subjicit. 743 *seqq.*
SC. Statilianum *ejusque autor.* 743
ejus summa quae. 744
SC. Tertullianum & Orphitianum. 56
ejus aetas ac denominandi ratio. 656
Filio matrique mutuam successionem permittit. 56
ejus commodis quot modis mater privatur. 656
SC. Trebellianum *quo tempore constitutum.* 638
de hereditate ejusque actionibus ab herede in alium transferenda, sibique quarta ejus parte retinenda disposuit. 638. 640. 56
ejus actiones dantur etiam universitati. 642
SC. Turpillianum *ejusque autor.* 741
eos coercet, qui reis ad effugiendum judicium moras nectendo subveniunt. ib.
SC. Vectii Lybici, *ab aliis Vectibulicium dicitur.* 546. 547
Servis publicis manumissis libertatem concedebat. 547
SC. Vellejanum, *unde appellatum pariter ac descendit.* 631. 55
foeminis pro alio intercedentibus subvenit, & fidejussionem infirmat. 55. 631
SC. Vitrasianum *quale.* 54. 540
Infantibus, quibus libertas fideicommissaria relicta erat, subveniebat. ib.
SC. Velusianum *fraudulentam debiti alieni acquisitionem, & proprii exactionem per vim factam, vetat.* 694
SCta *quatuor ad Leg. Cornel. de fals.* 712
quam comprehendant singula summam atque poenae determinationem. 712--716
Sententia Judicis. 398
ejus exequendae ratio ap. Rom. 399. *seq.*
leges de ea duod. tabb. 403
Sententias *quis rogabat.* 27
earum dicendarum ratio. 28

Sepis

Digitized by Google

Sepis *interstitium.* 312
Sepulchra *in usum profanum adhiberi vetitum.* 756
eorum jura alia. 435
Servius Sulpitius *quanatione in juris studio profecerit.* 99
Ciceroni erat conjunctissimus. ib.
summam attigit juris aliorumque studiorum scientiam. ib. seq.
quae munera & honores gesserit. ib.
Servius Tullius. 18
Servi *annulos gestare prohibebantur.* 535
eorum numerus Romae quis 522
numero insunt fugitivi. 523
ultra numerum manumissi quomodo computandi. 523. 528
nominatim manumittendi. 523
heredes facti, quando ipso jure liberi. 528
Servitus *viae quam habet latitudinem.* 306. seq.
Servitutum usucapio *quando & quo modo obtinet.* 627
Sext. & Publ. AElii, *fratres.* 88
Sext. Papyrius. 99
Sextus Pomponius. 93. vid. 119
jurium, Geometriae & Phil. Stoicae peritus. 93
Sext. Caecil. Africanus. 118
Julianum Praeceptorem suum imitatus. 119
Sexus *foemineus cur virili naturi subjiciatur.* 478
Sicarii *qui dicuntur.* 722. seq.
Sica *quale armorum genus erat.* 721
Societatis *humanae origo unde.* 245
Sodales *qui dicebantur.* 331
Lex de iis duod. Tabb. 33
Solon *ejusque gesta.* 268
Spadonibus *nuptiae prohibitae.* 565. seq.
qui tales, & quotupliciter sumuntur. 566
generandi virtute quatenus adhuc pollent. 566. seq.
Spinelli. 205
Sponsalia *biennio quatenus circumscripta.* 568
ultra biennium protracta a sponsis, maritorum praemia perdunt. ib.

Digitized by Google

Sponsalia &c.
num hoc casu arrham sponsa retinet. 569
hujus biennii computandi ratio. 568
an inter tutorem & pupillum prohibita. 621
Statuliber, qui erat. 327
ejus mentio in duod. Tabb. ib.
Status Optimatum quando occurrit. 488
Popularis, ejusque natura. 510
Stoicae Philosophiae in jure autoritas. 80
Stuprum quid, ejusque poena. 659. seq. 665
ejusdem adjutores quomodo coercendi. 680
Substitutio ejusque indoles. 613
cur excogitata. 615
quamvis obscura inducitur. 617
Successio ab Intestato. 322
quo ordine contingit ib. seqq.
intestatus qui dicitur. ib.
ejusdem lex 12. tabb. 324

T.

TAbula 1. 2. 3. usque 12. duodec. Tabularum pag. 463. usq. 474
Tartagnus, vid. Alexand. Tart.
Tarruntenus, vid. Paternus.
Tergiversatores qui dicuntur. 742
eorum poena ib.
Tertullianus, sub Sept. Severo vixit. 120
num sacer an civilis scriptor dubitatur. ib.
Testes falsi qui proprie sunt. 366.
eorum poena diversa. 366. 723
leges duod. tabb. 368
Testes esse vetabantur repetundarum rei. 700
Testimonium denunciare quid notet. 697
Theopompi humilitas. 493
Tiberius Coruncanus, Princeps, 87. seq.
jus docuit. 78. 87. quo tempore vixit 78
ejus dignitas & honores. ib.

Digitized by Google

Tingni juncti *actio.* pag. 357
de eo lex duod. Tabb. 357
Timor *ad fallendum acuit.* 510
Titus *Aristo qui fuit.* 118
summus a Plinio laudibus extollitur. ibid.
Torquatus. *vid.* Manilius.
Trebatius *Testa.* 102
Tribonianus *qui.* 159
unde ortus. 162
Juris civilis compositor. 159
socios compilatores quos habuit. 163
culpatur a Suilla. 159
capitis accusabatur a seditiosis. 162
ejus laudes & vitia. 160
honores. 16
Tribuni Plebis. 34
quam potestatem habebant. ibid.
consulibus potestate erant majores. 21
eorum inviolabilitas. 34
intercessio. 37
illi ex quibus collecti. ibid.
quot fuerint. 35. seq.
eorum domus die noctuque patebant. 37
Tribus *quotuplices apud Rom. fuerint.* 13. 14. seqq.
Tribus *per seditionem primum impetrati.* 517
Tributorum *imponendorum ratio.* 514
Tryphonimus *Syriae praefuit.* 120
Tubero. *vid.* Quint. Aelius.
Tutor *quomodo puellae impuberi ad dotem constituebatur* 572. seq.
ejus officium. 573
Tutoris datio. 461
a quo, quibusve solennibus fiebat. 461. 549
Tutorum *Jus.* 286
cautiones si neglexerit magistratus, conveniri potest. 549
Tutela *quid.* 289. 286

Digitized by Google

Tutela
ejus diversitas. 547. *seq.*
Testamentaria *Civibus Rom. deferenda.* 548
legitima *agnatis.* *ibid.*
dativa *quibus & quomodo.* *ibid.*
cessitia *quae.* 551
Furiosorum. 290
Prodigorum. 290
quibus LL. 12. Tabb. deferebatur. 287
ejus actiones. 292
in quo differt a Cura. 289
Tyrannorum Graecorum *callida regnandi ratio.* 495
virtutum simulatio. 496

V.

VAdes *qui dicebantur.* 377. *seq.*
qua in re a vindicibus differunt. 382
Vadimonium desertum *justas rei non comparendi causas complectitur.* 388
de eo lex duod. tabb. 390
Varus *vid.* Alfenus Varus.
Veneficium *quid.* 225. *seq.*
Vesenbecius. 218
Veteres *olim seorsim singuli habitarunt.* 447
Viatores *qui.* 10
Vindices *qui & unde dicti.* 382
num cum vadibus conveniunt. *ibid.*
quae LL. duod. tabb. de iis extant. *ibid.*
Vindiciae *quid.* 393. *seq.*
quas leges duod. tabb. superstites habent. 397
Vinnius. 218
Virgines Vestales *quomodo colligantur.* 577
Viris *foeminae ipsa natura subjectae sunt.* 246
Virtutum *origo.* 241
Vis *quid olim dicebatur.* 589. *seq.*
publica *quomodo a privata distinguitur.* 690. *seq.*

Digitized by Google

Vis
privata *quid* 693
de ea legem tuliſſe fertur Jul. Caeſar. 691
Vita beata *ſapientis.* 243
Vitia *& eorum natura.* 244
Vlpianus *vid.* Domitius Vlpianus.
Vlpius Marcelſus. 120
Vocatio in jus *quid.* 375
ejus formula. 375
exercendae modus. 376
quae exceptiones reo indulgebat. 377. *ſeq.*
quae LL. duod. tabb. habet. 379
Voluſius Mecianus *quis.* 120
ejus laudes. *ibid.*
SCti Voluſiani autor. 120.
Vſucapio, *a quo introducta.* 315. *ſeq.*
ejus introducendae ratio & finis. 316
quod tempus quaeque res requirit. 316. *ſeq.*
quas habet LL. 12. Tabb. 318
Vſurarum modus *privatis graeciae foeneratoribus relictus.* 334
a Romanis qui fuerit determinatus. 334
Computandarum ratio & uſus. 335. *ſeq.*
de Vſuris leges duod. Tabb. 344
Vxores, *quae proprie dicebantur.* 297
vino uti prohibebantur. 298
quomodo una cum liberis a marito tractandae. 510
magiſtratuum Provincialium delinquentes quomodo puniebantur. 607
earum poteſtas in maritum. 297
Vſucapio. 297
duo erant genera ap. Rom. 654

X.

Xenia *Magiſtratui accipere permittitur.* 633
Xenophontis *ſententia.* 495

Z.

Zaleucus *legislator Graecus.* 265
Zoroaſtrus *num Perſarum Legislator.* 263

Digitized by Google

Vocabulorum Antiquiorum ex fragmentis Legum duodecim Tabb. explicatio.

A
Besscit. pag. 300
Amfractu. 308
Amsagetes. 308
Amtermini. 376
Amsegetes. 376
Amsanctae. 376
Assiduum. 383
Estimiam. 404
Ambitus. 306

C
Oncapes. 358
Conscito. 387
Capsit. 350

D
Onicum. 338
Decisum escit. 350
Duplione. 353
Duit. 373
Danunto. 391
Dissensus. 391

E
Ndo. 286. 350
Escint. 432
Escit. 293. 350. 381
Esum.

Digitized by Google

Eſem. 293
Enem. 318
Erſta Cita. 326
Endoploratio. 350
Ens. 380
Endo jacito. 381
Endo via. 384

F *Vlmin.* 271
Fariatur. 368
Fructi. 398
Forctum. 412
Farris. 404
Forti. 412

H *Orctum.* 418

J *Vrgant.* 315
Jobis. 272
Im. 350. 432
Impeſcit. 396
Incenſit. 345

N *Ancitor.* 293
Nervo. 404

O *Löe.* 271
Occentaſſit. 361
Obnubita. 374
Ob portum. 392
Obvagulatum. 392

P *Olluctum.* 274
Pavire. 353
Pacit. 365
Pedemveſtruit. 381
Proletavia. 384
Pacunt. 385

Pipu-

Digitized by Google

Pipulum. 391
Viritare. 350
Quips ende. 403

Vpſit.

Ei. 365
Stlis. 271
Sublucare. 306
Se fraude eſto. 310
Siremps. 350
Sirit. 413
Si Calvitur. 368
Si enſiet. 380
Stlitem. 383
Stlocum. 387. 397
Sol occaſus. 387
Subvades. 388
Superſtitibus. 390
Sanati. 397

Ransque data. 413
Teſtarier. 331
Transduit. 368
Erberit. 370
Vſurpandi. 271
Vſus eſto. 300
Vindiciam. 300
Vindicit. 397
Vls. 404 404

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google